





B.SCHOTAN.
Disputationes Juri
dicæ.
390
J 9











DISPUTATIONES JURIDICÆ,

Ad seriem materiæ
PANDECTARUM
CONSCRIPTÆ
à

BERNARDO SCHOTANO,
Juris in Academia Leidensi Antecessore,

Quibus fundamenta Iuris per rationes decidendi ac dubitandi explicantur.

Accessit
Oratio funebris in exequiis authoris recitata
ab
ARNOLDO VINNIO D.
Juris & ibidem Professore.

Possidet R. Haeck. 16 8.B.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,

cIↄ Iↄ c LIII.

TYP

LE



difp
Par
quil
præ
cide
plica
tibi
opu
teria
mih
Ne

TYPOGRAPHUS
ad
LECTOREM.

HAbes Amice Lector *D. Bernhardi Schotani* disputationes ad seriem Pandectarum conscriptas, quibus fundamenta Juris præcipua per rationes decidendi ac dubitandi explicantur. Pluribus hasce tibi commendare non est opus. Autoris nomen, materia, & utilitas libri hunc mihi laborem præripuere. Nec etiam is sum qui magni

gni iſtius Juriſconſulti laudes pro dignitate illuſtrare queam. Scopus ejus in conſcribendo hoc opere non fuit inanes quorundam argutias juris Alumnis propinare, ſed quæ uſum maxime in foro habent inſtitutioni ſuæ commiſſos docere. Morte præventus ad umbilicum fateor deducere non potuit, præcipua tamen invenies, quibus fruere & vale.

COLLEGII JURIDICI DISPUTATIO PRIMA.

Resp. HENRICO à GERWEN, Lugdunensi Batavo.

Extit. Inst. & Digest. de Iust. & Iur.

THESIS PRIMA.



Roximus & Verus finis Juris docendi ac discendi, est Justitiæ administratio. *Const. omnem Reip. sive proœm. Dig. §. Discipuli 6. l. 1. §. 1. D. h. Nov. 30. c. 9. §. 1. Nov. 69. in præfat.* D. Tim. Fab. *Disput. anniv. 1. Thes. 1. in Exeges. vers. an quia Iustitia.* Annon verior finis, Dei cultus ac honor! Bonum publicum? Annon proximior, promotio ad gradum ac ambitiosos Titulos, *arg. l. magistros 7. C. de professor. & medic*! ad Honores & dignitates. *arg. §. fin. proœm. Inst.* ad opes. *arg. Nov. 1. epil. in f?*

2. Justitia, si (uti oportet. *l. pen. D. Ad Exhib.*) verba civiliter & ex mente Authoris explicentur, rectè definitur. *in l. justitia 10. pr. D. & pr. Inst. h.* ubi DD. Non unus hic scrupulus. I. Justitia non in nuda voluntate, sed, uti omnis virtus, in actione consistit. II. Justitia non voluntas, sed virtus ac habitus voluntatis est. III. Justitia non est constans, cum non tantum varia & vaga ejus sit administratio, eaque minima ex circumstantia mutetur, *l. Tanta 2. §. sed quia 18. C. de jur. veter. enucleand. Nov. 7. c. 2. pr.* sed & iniqua sit. *l. Ius pluribus 11. vers. Prætor. D. h. l. servo 65. §. cum prætor 2. D. ad SC. Trebell.* IV. Justitia non tantum exigit, ut jus suum cuique à Judice tribuatur, sed homines in republ. honestè vivant, alterum non lædant. *d. l. Iustitia 10. §. Iuris 1.*

D. h. De hac definitione vide D. Ameſ. *de conſcientia lib.* 5. *c.* 2.

3. Particularis Juſtitia, non univerſalis, eſt Juris noſtri finis: Juriſprudentia enim non de omnibus virtutibus perfectam doctrinam continet, nec cogitationum & affectuum eſt moderatrix, ſed quid juſtum, quid injuſtum, *d. l. juſtitia* 10. §. *Iuriſprudentia.* quid æquum, quid in republica bonum ac ejus adminiſtrationi conducat, *l.* 1. §. 1. *D. h.* docet. In contrarium allegatur textus *in Nov.* 30. *c.* 9. §. 1. *Nov.* 69. *in præfat.* & ratio I. Quòd, qui legibus remp. ſunt fundaturi, non ſuas curas dirigant ad unam, ſed omnes virtutes. Plat. 1. *de legib.* II. Quod in jure noſtro de S S. Trinitate, de vera ac Catholica fide, de Juſtitia divina. *l.* 1. *& t.t. C. de fid. Cathol.* de anima erudienda, *d. Conſt. omnem.* §. 9. *in fin. de ration. ſtud. jur.* ac omnibus virtutibus tractetur.

4. In Juſtitia diſtributiva, quæ qualitatis perſonarum rationem habet, nihil iniquitatis eſt. Præmia enim virtutum tantum bene merentibus conſtituenda. *l.* 4. *C. de ſtatuis & imag.* Idonei & maximè Juriſperiti præ aliis ſunt eligendi ad honores & magiſtratum. *l. honor.* 14. §. *de honoribus. D. de munerib. & honor. Novell.* 82. *&* §. *fin. proœm. Inſt.* Aliter ſervus, quam liber, *l. in ſervor.* 10. *l. capitalium* 28. §. *fin. D. de pœn.* Plebejus, quam nobilis, *d. l. in ſervor. l. Pedius* 4. §. 1. *D. de incend. ruin. nauf.* puniendus. Itane ergò reſpectus perſonarum, quem adeo damnavit Deus, in Judicio habendus! Jus pauperis ac viduæ flectendum! aliud peregrino, aliud alii jus dici oportet? Vid. *Lev.* 19. *v.* 15. *Deuteron.* 1. *v.* 17. *c.* 16. *v.* 19. *cap.* 24. *v.* 17. *Exod.* 22. *v.* 21. 22. *Ieſai.* 1. *v.* 13.

5. Probo hanc eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione: Unde repetenti depoſitum, non latroni, qui depoſuit, ſed domino reddendum. *l. Bona fides* 31. §. 1. *verſ. & probo. D. Depoſit. ubi Gloſſ. & DD.* At

I. Con-

I. Contrarium est *in l. 1. §. pen. D. naut. caupon. stabul.* II. Contractus, qui ex bona fide oritur, non est retrahendus ad perfidiam. *l. si quis vel* 11. *versic. ut non concessa. C. Depos.* Grave est fidem fallere. *l. 1. D. de constit. pecun.* III. Obligationes obligatis imponunt necessitatem restituendi. *pr. Instit. de Obligat.* nec admittunt, ut restitutioni quis intercedat, vel eam sua contradictione possit impedire. *Nov. 88. c. 1. et auth. sed jam cautum. C. Depos.*

6. Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ ac æquitatis, quam stricti juris rationem. *l. placuit 8. C. de judic. & ibi Cyn. Bart. l. hac lege 8. in fin. C. de pact. conv. tam sup. dot. etc l. 1. D. de Iust. & Iur. l. Quod si Ephes. 4. in f. D. de eo quod cert. loc. l. si servum 91. §. sequitur 3. versic. esse enim hanc. D. de verbor. Oblig. l. Etsi quis 14. §. Idem Labeo 13. vers & generaliter. D. de relig. & sumt. fun.* Strictum enim jus & summum, injuria est summa. Nec contrariatur textus I. in *l. 1. l. leges 9. in fin. l. fin. pr. et §. 1. C. de legib.* II. in *l. si expressim 19. D. de appellat.* III. in *l. prospexit 12. §. 1. D. qui et à quib. man.* Nec ratio. I. Quod Judicis sit judicare secundum leges, non de iis. *distinct. 4. c. 3. Cic. pro Ligar.* II. Quòd hoc admisso Judex prætextu æquitatis posset sua potestate abuti, cum præstet refrænare eam. III. Quòd præstet aliquatenus iniquam habere legem, quam eam, quæ per judicis arbitrium semper esset incerta. Vide Duaren. 2. *disp.* 18. Fachin. 1. *controv.* 3. Donell. 1. *comm.* 13.

7. In causis de jure dubiis justitia sic administranda, I. ut nihil detur gratificationi: sicque erit nullus casus pro amico: Qui n. dicitur pro amico, est revera vel potiùs pro diabolo, qui causam detrudendi in gehennam ex eo nanciscitur. 1. Acceptio personarum Deo est ingrata, ut probatur. *thes. 4. in fin. h.* 2. Ignorantia juris, (quod semper certum. *l. 2. D. de jur. & fact. ignor.*) quæ est in judice, non debet nocere litiganti. 3. Sunt aliæ rationes ad dubias causas

respondendi. Verum contrarium respondit JCtus *in l. fin. D. de religiof.* Et qui eligit ut alteri sit auxilio, crimen non contrahit. *l. si quis in gravi 3. §. si cum omnes 4. in fin. D. ad SC. Syllan.* Eligere a. quis potest pro arbitrio. *l. si non expedierit 6. §. fin. D. de bon. auth. Iud. poss. l. in navem 31. in fin. D. locat. l. si Stichum 8. §. si decem 4. D. de novat. l. planè 21. l. si non sortem 26. §. fin. D. de condict. indeb.* Multum dandum esse affectioni, & propter eam jus esse flectendum docent textus *in l. 3. §. 9. 10. D. de negot. gest. in l. cum rem 10. C. de legat. l. 38. D. de fideicommiss. libertat.*

8. II. Ut nihil fiat per sortem, si litis esse possit ullus alius exitus. Nec enim per casum, sed ex scientia certa jus dicendum est. *l. 17. C. de judic. Nov. 82.* Nihil tàm contrarium rationi ac constantiæ, quàm sors. Cicer. *lib. 2. de divinat.* Sors ad felicitatem, non veritatem pertinet. Ratio dubitandi *ex Proverb. 16. v. 33. Iosu. 18. v. 10. Actor. 1. v. 26. l. si duob. 3. pr. vers. sancimus. C. commun. de legat. §. optionis 23. Inst. de legat. l. si quæ sunt cautiones 5. D. fam. ercisc. l. sed cum ambo 14. D. de judic. l. 2. C. quand. & quib. quarta pars. l. Generaliter 24. §. Quid ergò, si plures 17. D. de fideicomm libertat.*

9. III. Nunquam sententia feratur per verba: *non liquet*: *§. curare 32. Instit. de action. l. 1. D. de re Iudic. l. pen. fin. C. quæ sentent. sin. cert. quant.* Confer *l. Pomponius 13. §. fin. D. de h. q. arb. recep. l. Pomponius 36. D. de re Iudic. l. Divi. 27. §. fin. D. de liberal. caus.* Gell. 14. *noct.* 1. Senec. *Epist.* 66.

10. IV. Ut in ambiguis pactis & contractibus fiat interpretatio contra illum, qui legem dixit. *l. veterib. 39. D. de pact. l. Labeo 21. l. cum in lege 33. D. de contrah. Emt.* Sibi n. debet imputare, qui locutus est, quòd non apertius dixerit. Obst. I. *l. si quis intentione 66. D. de Iudic. junct. l. licet 3. §. Idem scribit 11. versic. nam sicut D. de pecul.* II. *l. Insulam 13. D. qui potior. in pign.* III. *l. Comprehensum 60. D. de contrah. Emt.* IV. *l. si in emtione 34.*

ne 34. pr. junct. l. Labeo. D. eod. Vide D. Busium, Gloss. & DD. ad d. l. veteribus 39.

11. V. Ut, cum quis solus dixit, fiat verborum, quæ ambiguitatem habent, explicatio ex mente ejus, qui locutus est. *l. 1. l. leges 9. l. fin. C. de legib. l. 50. in fin. D. de legat. 1. d. l. si quis intentione 66. D. de Iudic.* Imò fit contra mentem testatoris explicatio in *l. 19. D. de usu & usufr. legat. l. 4. pr. D. de legat. 1. l. Labeo 7. §. Servius 2. vers. non enim opinionib. D. de supellect. legat.*

12. VI. Ut, cum est ambigua facti probatio, judicetur pro reo. *l. 4. C. de Edend.* Nec aliud est in *l. 25. §. 1. D. de probat. in l. 85. D. de regul. jur.*

13. VII. Ut, si æquitas pugnet cum ipsa lege expressâ, ad principem fiat relatio, *d. l. 1. l. leges 9. l. fin. C. de legib.* Ast I. non est permissum ad principem referre. *Nov. 125. c. 1.* II. Si lex sit iniqua, non opus est interpretatione, cum ipso jure sit nulla. *arg. l. quod non 39. D. de legib.* ut & sententia iniqua nullius est momenti. *c. inter cæteras x. de sentent. & re judicat.*

14. VIII. Ut, si rationes æquitatis ac juris æquè prægnantes utrinque militent, & nulla sit circumstantia qualitatis personarum, rerum, vel possessionis, quæ vel reo vel actori faveat, dividantur res, de quibus est lis, ut utrique parti dimidium cedat. *arg. §. fin. Inst. de vulgar. substit. l. si paterf. 40. & seq. D. de hered. Instit. l. antiqui 3. verb. medietatem quandam. D. si pars hered. petat. l. Titius 54. verb. pro rata patrimonii D. ad Trebell.* Ubi Alexand. Boër. *decis. 42. n. 39.* post varios. Ratio dubit. I. Ex *l. quæsitum 12. §. si quis 14. D. de Instruct. vel instrum. leg.* II. Mosis est rusticorum, non bonorum judicum. *gloss. in l. Nesennius. D. de negot. gest.*

15. IX. Ut, si res non recipiat divisionem, uni pecunia alteri res; uni proprietas alteri ususfructus adjudicetur. *§. si familiæ 4. & seqq. Inst. de off. Iudic.*

l. usufr. 6. §. 1. D. *de usuf.* aut partes ad transactionem compellantur. *arg. l. Quidam existimav.* 21. *& ibi* Alexand. D. *De reb. cred. c. placuit* 9. *distinct.* 90. Videtur absurdum aliquem cogi ad transigendum, cum transactiones sint voluntatis liberæ; *arg. l. sicut* 5. C. *de oblig. & action.* & facti; ad quod homo liber non compellitur.

16. Jus rectè definitur ars æqui & boni. *l.* 1. D. *h.* DD. *ad* §. 1. *Inst. h.* Imò malè. est enim alia definitio in *l. Iustitia* 10. §. *Iurisprud.* D. *h.* ubi aliud genus tribuitur. scil. scientia, notitia. Diversa autem ejusdem rei sine vitio non possunt esse genera. Aristot. 6. *Topic. c.* 3.

17. Nobis Christianis est permissum uti Ethnicor. legibus. Sunt enim receptæ ac probatæ ab Imperatorr. & Magistratibus Christianis: adeoque apud nos non pro Ethnicorum legibus habentur. nec quoque Euangelium abolet politiam. *Marc.* 12. *v.* 17. Non autem permittitur, ut frater cum fratre coram infideli Judice contendat. 1. *Corinth.* 6. *v.* 5. 6. Multa quæ pugnant cum fide & verbo Dei sunt subinde in Ethnicorum legibus; multa quæ sunt contra æquitatem. prout & in Jure civili non pauca talia inveniri nonnulli contendunt. JCti Ethnici Christianis inimicissimi fuerunt.

18. Lex Mosaica moralis etiam nos tenet. Habet enim ea lex principia æquitatis à Deo constituta, quæ aliter habere se non possunt, unde immutabilia rectè dicuntur. §. *pen. Instit. de Iur. natur. gent. & civil.* D. Althus. *c.* 22. *Politic. n.* 1. Atqui non sumus sub lege, sumus legi mortificati. *Roman.* 7. *v.* 4. *&* 6.

19. Lex typica ceremonialis, quæ ad umbram futurorum instituta, est in totum sublata per adventum Christi *Coloss.* 11. *v.* 16. 17. *Gal.* 5. *v.* 1. *& seqq.* Rat. dubit. Christus non venit, ut solveret legem, sed magis impleret. *Matth.* 5. *v.* 24.

20. Lex ceremonialis, quæ inserviit legitimo ordini

dini ecclesiastico etiam hodiè servanda est, quatenus conveniens est vel esse potest nostrorum sacrorum peractioni. Zepper. *de legibus Mosaic. lib.* 1. *c.* 1. Testatur verò Apostolus gentium, mutato sacerdotio, necessariò quoque legis mutationem fieri. Hebr. 7. *v.* 12. *& seqq.* add. Hebræ. *c.* 8.

21. Forensis lex vel est fundata in populo Israëlitico ac habet specialem rationem ob eum populum; hæc cum populo interiit: Vel sese refert ad ceremonias; quæ cum sublatæ sint, & hujus nullus esse potest usus. Vel simpliciter refertur ad tuitionem legis moralis: Hæc & hujus exemplum eximiè munit nostras conscientias, ne, cum ea utimur, videamur quid facere contra Dei voluntatem. Ita ferè Piscator. *loco de polit. magistrat. aphorism.* 12. *& de lege Dei aphorism.* 17. *&* Melanchthon *in locis communib. De ll. Mosaic.* Hanc verò libertatem Magistratibus relictam censeo, ut quidem non facile recedant ab iis, quæ placuerunt optimo legumlatori, qui falli non potest, sed pro usu ac necessitate paululum mutare possint, sed ea non in totum tollere. Rat. dubit. I. Lex hæc nobis non data, ergò non magis ad nos, quam Solonis vel Draconis leges pertinent. II. Abrogata Judæorum republ. necesse est abrogari & omnes leges, quales quales fuerint isti populo præscriptæ. III. Politia Judaica fuit typus spiritualis regni Christi: Christo itaque patefacto, desinit hoc typicum. IV. Quotquot ex gentibus fuerunt conversi ad Christum, suas leges retinerunt & placuerunt Deo.

22. Juris Canonici non est authoritas tanta, ut pro lege valeat, & legem civilem possit mutare aut tollere: receptum enim est jus civile. Non tamen negligendum omnino. Continet eximia æquitatis & honestatis plurima præcepta: describit egregiè modum procedendi, & nonnullis casibus quoque observatur pro jure certo. Ut fit in *cap. Rainutius. x. de*

Testament. Imò videtur absolutè receptum cùm nostræ leges se isti Juri subjiciant. *l.* 45. *C. de Episc. & Cler.*

23. Non dubito, quin jurisprudentia possit in artis formam redigi. Talia enim sunt juris præcepta, quæ aptè cognosci possunt, ac naturâ sua ordinem ostendunt. Ipsum quoque Jus nihil aliud est, quam ordinata de justo ac injusto institutio: undè rectè definitur ars æqui & boni, *l.* 1. D. *h.* Coras. 1. *de jur. civ. art.* 1. Diss. Bodin. *in dist. jur. univ.* pro quo hæc faciunt. 1. Quod jus referatur ad casus singulares, qui sunt numero innumeri, ac propterea artis formam nequeunt admittere, cum perpetuo novæ emergant facti species. 2. Quod ars uti ipsa est in se perpetua, ita quoque non admittat sui formam, nisi in iis, quæ eodem modo se semper habent: Iuris autem humani conditio in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod stare perpetuo possit. *l. Tanta* 2. §. 18. *C. de jur. vet. enucl. l. de quibus* 32. §. 1. D. *de legib. Nov.* 30. *c.* 9. §. 1. *Nov.* 69 *præf.* 3. Quod jus nostrum destituatur justa ratione. *l. non omnium* 20. *& seq.* D. *de legib.* ac ubi non est ratio, ibi nec ars.

24. Romani juris methodus non admodum inconcinna, si in genere ea spectetur. Omnia enim sunt ita disposita, ut facile bona ratio dari possit ordinis, paucis tantùm titulis exceptis, qui appendicis loco ob similitudinem aliquam, vel à re vel à verbis petitam, sunt aliis additi. Gothefr. *ad l.* 2. D. *de stat. homin.* Diss. Donell. 1. *Comm.* 1. Vult. *Iurisp. Roman. in præfat.* 1. Quia multa sunt, quæ non possunt defendi, uti locus tituli, *Naut. caup. stabul.* & cur tit. de inoffic test. præcedit testamentariam materiam, &c. 2. Diversa est Methodus in Codicis, Inst. & Digestorum libris. Vid. Wesembec. *ad* §. 2. *Inst. de Testam. ordin.* Costal. in *præfat. ad sua adversar. n.* 6 7.

25. Magni quidem facio labores eorum, qui Jus nova methodo proponunt, inter quos Lagus, Donell, Vultejus ac plurimi alii. attamen arbitror esse conven-

venien

venientius, ut ſequamur titulos ac libros ea ſerie, qua in Jure Romano ſunt traditi. Novatio enim plurimùm obeſt, quia turbat: & præſtat immorari iis, ex quibus omnia certè probari poſſunt, quam aliorum ſcriptis, quæ ad fontes ducunt. Quinimò ſæpè plus operæ ponitur in methodo illa bene obſervanda, quam in ipſo jure iiſque principiis addiſcendis. Diſſ. Vult. & reliqui allegati: quia maxima eſt ratio ordinis: efficacius ordinatè ſinguli dici poſſunt: ordo memoriæ lumen adfert, & ſine magno labore præſtat eximium fructum: ubi non eſt, ordo ibi omnia bona diſſipantur. Plat. 6. *de legib.* Cic. 11. *de Orator. paſſim.*

Ex tit. C. de veter. jure enucleand.

26. Non rectè factum à nonnullis, quod apud legum ſtudioſos Tribonianum ipſumque Juſtinianum culpent ob compoſitionem, interpolationem ac derogationem Juris veteris. Boni magiſtri eſt officium, inquit optimus ICtus Tim. Fab. imprimis amore ac reverentia diſcentium animos imbuere atque incendere. Ante Iuſtiniani tempora confuſa omnia, ac perſaturam collecta jura juvenibus proponebantur: omnia devia ac incognita ſine manuductione. *Conſt. omnem* § 1. *de ration ſtud. jurid.* Tanta libror. moles, ut vix legi poſſent: per hoſce libros omnia in compendium redacta. Præſtat itaque, grato animo hoſce recipiamus labores apprimè utiles omnibus, cum docentibus & diſcentibus, tum judicantibus. Calumniatores inquiunt: contortè omnia, inſidiosè, imperfectè, irrationabiliter, confusè. Antiquatæ leges non ſatis à novis legibus diſtinctæ.

27. Nullum ſcelus commiſſum à Iuſtiniano, quod veterum ſcripta innumera ſuſtulerit, quoniam jam ea antiquaverat. Hac ratione amputatæ plurimæ lites, quæ ex interpretatione hujus vel illius veteris ſcriptoris, quæ incertum, quid ſequi oporteat, redderet lectorē

& judicem orirentur. Sublatæ ſunt occaſiones calumniandi temerariis legũ cenſoribus, quibus nihil, quod non ex cerebro ſuo ſit profectum, arridet, quiq; noxio inſtituendi modo multos inficiunt, tantum non perdunt in ſummam pernitiem reipubl. Fateor equidem poſſe in multis haberi majorem lucem: ſed tantus eſſet abuſus, ut lucem quærenti per perverſitatem quorundam plus quam cimmeriæ ſuborirentur tenebræ, Maximè cum Imperii vaſtatio, quæ ſecuta eſt, neutiquam incorruptos ad nos tranſmiſiſſet libros. Rat. dubit. I. Nihil eſt tam præſtans, quam ut ipſis Authores legum inſpiciantur; fiet enim ut iis inſpectis ratio manifeſta melius poſſit intelligi II. Videmus multas leges præcipuè in reſponſis ICtorum nimis perplexè ob verborum auguſtiam copiamve eſſe ſcriptas, quæ intelligi optimè poſſent, ſi facti ſpecies haberi poſſet ex veterum monumentis. III. Multa poſſent intelligi ab iis, qui curioſe ea, quæ antiquitati pro temporis ejus neceſſitate ac uſu placuerunt, inveſtigant. ac ſic plurimum eſt nocitum hiſtoriæ legum.

28. Nemo mihi perſuaſerit Juſtinianum fuiſſe Ethnicum, à Chriſtiana fide abhorruiſſe (contrarium enim eſt in tit. C. *de fide Cathol.*) literarum omnium expertem fuiſſe & analphabetum, cum *in* §. *6. procem. Inſt.* ac multis aliis locis ſe dicat legiſſe leges, &c. & ignoti nulla ſit cupido. Platin. de vit. Pontif. latè. Authoritas Suidæ contrariatur, ejuſque ſarcaſtici ſermones, quibus alii malè feriati homines moventur, ea, quæ de Iuſtiniano dicuntur verè, exibilant.

25. Nemo quoque mihi perſuaſerit, Tribonianum fuiſſe contemtorem religionum omnium ac præcipuè Chriſtianæ, cùm titulos de fide catholica Chriſtianorum colligere ac explicare voluerit, quos præterire potuerat: Nec, quod legum fuerit nundinator; cùm, qui Chriſtianus eſt verè, ut eum fuiſſe melior eſt ſententia, non poſſit talia perpetrate vel ſaltem non debeat præſumi. Zaſ. *in l. 2. §. Et cum placuiſſet*

cuisset verb. Injuriose. D. de orig. jur. Calumniatur Suidas & simul laudat. Annon posset aliquid imputari Triboniano ob crebram legum in novellis & Codice mutationem? Totus n. Codex prior est sublatus ob antiquationem multarum legum. *Const. Summa reipubl. §. 1. de Iustin. Cod. faciend. Iunct. Constit. Cordi nobis est. de Emend. Cod. §. 1. 2.* II. Novellæ in infinitis corrigunt priora, Dig. & Codicis, Jura. III. Ipsæ novellæ sunt correctæ per novellas posteriores: ex qua re non parum lucratus esse præsumi potest.

30. Cum libri Institutionum sint compositi post libros Pandectar. *§. cumque 3. & seq. procem. Inst.* sequitur Leges Pandectarum corrigi per Institutionum Jura. *l. fin.* D. *de constit. princ.* Exempla passim occurrunt. Malè videtur hoc defendi. I. Cum libri Institut. ante Pandect. sint promulgati: Instit. n. XI. Calend. Decemb. id est, 21. Novemb. anno 533. ut apparet, *ex fin. procem. Instit.* Pandectæ XVII. Januar. id est, 16. Decembr. 533. ut ostendunt finalia *in Constit. Dedit. de confirm. Digestor.* Promulgationem autem oportet sequi. II. Cum Institutiones una cum Pandectis sint confirmatæ ac robur acceperint, ejusdem sunt, non superioris potestatis. Id probatur *l. Tanta 2. §. pen. junct. fin. C. h.* III. Cum & libri Institutionum corrigantur per leges Pandectar. Ita corrigitur *§. si quis 34. Inst. de rer. divis. per l. in rem §. sed & id 3. D. de Rei vindic.* Ita *§. 25. verb. vel spicas Inst. eod.* per *l. adeo 7. §. 7. versic. videntur D. de acq. rer. dom.* Ita §. 30. *in fin. Inst. eod.* per *l. 37. in fin. D. de rei vindicat.*

31. Codex derogat, quia & compositione & promulgatione, quæ demum facta est XVI Calend. Decemb. 534. posterior est, libris Institutionum & Pandectarum. Exempla sunt obvia. Ratio dub. Imper. Justinianus eodem modo authoritatem probandi largitur Institutionibus & Pandectis, quo Codici repe-

titæ

titæ prælect. *Constit. Cordi nobis est* §. *supradictis*. 3. & §. *repetita* 5. *de Emendat. Codic.*

32. Authenticæ, titulis codicis insertæ, nullam habent per se juris authoritatem; cum privata JCti Irnerii opera sint editæ. Itaque, si quæstio incidat, recurrendum est ad Novellas, ex quibus sunt desumtæ. Atqui videntur per usum (ubique enim allegantur à DD. ac publica fide sunt additæ in editionibus) receptæ & sic habendæ pro legib. *l. de quib.* 32. §. 1. *D. de legibus.*

33. Libri 60. βασιλικῶν quorum, testib. Harmenopulo & Balsamone, est author Leo Philosophus. Cujac. 18. *Observ.* 36. vel Eclogæ, uti & Novellæ constitutiones Leonis, nihil probant contra jus à Iustiniano compositum; quia Leo in occidente imperium non habuit, & ætate ejus novellæ non fuerunt receptæ, nisi essent latæ de iis, in quibus non erat jus, uti *Novell.* 57: 71. 89. 102. 103. 104. vel quæ jus vetus explicant. *ut Nov.* 77. vel supplent. *ut Nov.* 5. Cujac. 17. *observ.* 31. Cur ergò allegantur à probatissimis authoribus? Cur hujus Imperatoris minor authoritas quam Imperatoris Iustiniani?

34. Libri feudorum per se nihil probant in controversia civili contra jus civile. Et in materia feudali non habent authoritatem probandi, si aliud patrio jure sit dispositum. Rosenthal. *de feud. c.* 1. *conclu.* 9. *n.* 1. Schneid. *de feud. part.* 1. *q.* 1. Imò nulla vis tribui iis potest, cùm privato studio ICtor. Oberti de Orto & Gerardi Capagisti aliorumque sint compilati. ICti autem singulares jus introducere non possint.

35. Ubi etiam in feudis deficit jus feudale vel non sunt consuetudines, ibi jus civile obtinet. *c.* 1. *in fin. versic. strenuus. de cognit. feud* Carol. Molin. *in consuet. paris.* §. 1. *gloss.* 5. *n.* 72. Annon præstat servari jus Canonicum? Sunt plurimæ quæstiones de juramento fidelitatis à vasallo præstito: in controversiis verò, quæ ad religionem jurisjurandi pertinent, sequi oportet

tet Iuris canonici dispositionem. *argum. c. novit x. de Iudic.c. fin. de foro compet. in 6.* ut & in omnibus illis, in quibus periculum animæ versatur. Iason. *in prælud. feudor. n. 63.* citatus à Schrad. *d. part. 1. quæst. 6.* Rosenth. *d. c. 1. concl. 19.*

De Iuris Præceptis.

36. Iuris præcepta sunt tria: honestè vivere, &c. *l. Iustitia 10. §. Iuris præcepta 1. D. h.* Imò I. sunt & alia. Quòd tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Matth. 7. *v.12.* II. Tot sunt, quot leges. *arg. l. legis 7. D. de legib.* III. Unicum tantùm est. Ius suum cuique tribuere. ut patet ex definitione Iustitiæ. *pr. Inst. de Iust. & Iur.*

37. Præceptum primum pertinet ad officium hominis respectu sui ipsius: Alterum, ad offic. cujusque respectu concivis: Tertium ad officium Iudicis, Opp. I. Videtur satius esse, ut primum ad jus naturale, alterum ad gentium, tertium ad civile referatur. D. Tim. Fab. *disp. ann. ad §. 3. Inst. de Iust. & Iur.* vel ut, primum ad mores, alterum ad personam, tertium ad res pertineat. II. Videtur, quod primum non sit Juris præceptum, si tantum officio cujusque erga se applicetur: cum nemo sibi faciat injuriam: nemo secum possit habere actionem, sed justitia semper ad alterum dirigatur. Vid. Ames. *de conscientia. lib. 5. c. 2. quæst. 2.*

38. Honestatis summam habet rationem nostrum jus, uti constat ex *l. 14. §. 2. l. 42. D. de rit. nupt. l. filius, q. 15 in fin. D. de cond. Instit.* Opp. Jure civili concubinatus habet nomen legitimum & extra pœnam legis est. *l. 5. C. ad SC. Orfic.* honestus est. *l. 1. D. de concubin.* Permittuntur ea, quæ sunt inhonesta. *l. 144. D. de reg. Iur.* Non puniuntur adulteria. *l. 29. C. ad l. Iul. de adult.* Honesti viri nomen retinet, qui in suis ædibus lupanaria exercet. *l. 27. §. 1. D. de petit. hered.* Turpiter non facit meretrix, quod pro scortatione

tione accipiat pecuniam. *l. idem si* 4. §. *sed quod meretrici* 3. D. *de cond. ob. turp. caus.*

39. Alterum lædere prohibent omnia jura optima ratione. Quare ergo sunt permissæ, I. usuræ. *t.* 1. *de usur.* II. Circumventiones. *l.* 16. §. 4. *D. de minorib.* III. Usucapiones *t. t. Inst. D. & c. de usucap.* IV. Effusiones vini ad alterum pertinentis. *l.* 1. §. *fin. D. de peric. & comm. rei vendit.* V. Extorsiones nummorum aliarumque rerum *l. pupillus* 24. *in f. D. de his, quæ in fraud. credit.* Et similes causæ, per quas vel personæ, vel res alterius læduntur.

40. Non licét in se sævire, multo minus permissum est se occidere. I. Præceptum, non occides *Exod.* 20. *v.* 13. *Denteron.* 5. *v.* 17. generale est & non distinguit inter se vel Alium. II. Nemo suorum membrorum est Dominus *l. liber homo* 13. *ad l. aquil.* III. Si non alterum offendere vel interimere liceat, multo minùs se. Adde his textum in *l. omne delictum* 6. §. *qui se vulneravit* 7. *D. de re militar.* Baccov. *de actionib. disp.* 8. *ad Thes.* 9. Rudolph. Goclen. *Exercit Ethic. quæst.* 88. Nec aliud probatur ex textu. *in l. Sed si damnum* 9. §. *si ipse servus* 7. *D. de pecul.* Ex ratione I. quia volenti non fit injuria *l.* 1. §. *usque adeo D. de injuriis l. non putavit* 8. §. *si qui,* 6. *D. de bon. poss. contr. tabb.* II. quia alterum non lædit, qui se lædit.

41. Expedit Reip. ne quis re sua abutatur §. 1. *in fin. Inst. de h. q. sunt sui vel alien. Iur.* Opp. I. *l. sed et si* 25. §. *consuluit* 11. D. *de petit. heredit.* II. *l. Mævius* 55. *vers. vel in mare. D. de cond. & demonstr.* III. *l. in re mandata* 21. *C. mandat.* IV. quia licet omnia bona donare *l. si unquam* 8. *C. de revocand. donat.*

42. Quocirca non excedit limites officii magistratus, si prodigo proprio motu interdixerit bonis *l.* 1. *D. de Curat. fur.* Melius est coarctare hominum calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium, ut de juvenibus traditur *l. fin.* §. *Ipsum a.* 5. *versic. melius C. de*

bon.

bon.q. liber. Huc eleganter facit *l. His qui in ea* 12. §. *fin. D. de Tutor. & Curator. dat.* Scrupulus non unus hic. 1. Iudex nisi rogatus, officium non impertit, arg. *l. Dies* 4. §. 8. D. *de damn. infect.* 2. Non debet homini sanæ mentis administratio rerum suar. adimi, ut nec testamenti factio. *l. ex facto* 43. D. *de vulg. & pupill. substit.*

43. Suum cuique tribui debet a judice secundum conscientiam, non acta, quæ cum judicis conscientia pugnant *l. Illicitas* 6. §. 1. D. *de off. præsid.* Arum. *Exercit.* 20. *Thes.* 4. Atqui nemo potest esse testis & judex simul. Iudex debet judicare publica authoritate non ex suo consilio. Hinc orirentur infinita mala, si tantum Judici esse tribuendum: Probationes negligerentur, Judici esset potestas quidlibet statuendi.

44. Ius suum tribuitur optimè in legibus Iuris civilis. Nec dari quicquam potest quod cum tertio præcepto puguat. Mirabilis legum romanarum ob æquitatem excellentia. Opp. Multa sunt delicta, quibus nulla pœna statuta *l. Et si quis* 14. §. *Divus* 14. D. *de Religios.* Ob vilitatem personæ adultera à pœna immunis est *l. Quæ adulterium* 29. *in fin. vers. Hæ autem. C. ad l. Jul. de adult.* Licet de capitali transigere crimine, *l. transigere* 18. *C. de transact.* & sic pœnam privatis tollere. Rursus in excessu peccatur, dum filii ob peccata parentum puniuntur. *l. Quisquis* 5. *C. ad l. Iul. Majest.* Servo, qui non peccavit, libertas negatur, licet dominus eam conferre velit *l. prospexit* 12. §. 1. *D. qui & à quib. man. lib. non fiunt.* In contractu pernitiose admittuntur multa contra hoc præceptum: Dum ex pacto non datur actio *l. Iurisgent.* 7. §. 4. D. *de pact.* Iuramento confirmata pactio, nulla pronunciatur *d. l. Iurisg.* 7. §. 16.

EX-

EXERCITIUM SECUNDUM.

Resp. ABRAHAMO KNYF, Ultrajectino.

De divisionibus Iuris.

THESIS PRIMA.

IUs est publicum vel privatum: sunt enim quædam publice utilia quædam privatim. *l.* 1. §. *hujus* 2. *D. de just. & jur.* Opp. I. Nulla fit mentio sacri: jus autem & sacrum est. *l. ut inter.* 23. *& t. t. C. de fide Cathol. & titt. seqq:* II. Omne jus est publicum, quia nullum jus, nisi à populo vel principe vel senatu: omnia ad Reipublicæ tranquillitatem directa sunt. III. Omne jus est privatum, quia & ad privatorum commodum omnes leges pertinent. *l.* 2. D. *de statu hom.* &, si Reip. bene est, est & bene privatim.

2. Jus privatum comprehensum est libris Digestorum à princip. usque ad titulum libri 49. *de jure fisci.* & magna quoque parte libri primi Codicis, & seqq. usque ad librum 10. & omnibus titulis Instit. Publicum vero à titulo Dig. *de jur. fisci.* usque ad finem: parte priori lib. 1. C. & libris tribus posterioribus. Opp. Etiam in libris Digest. à principio usque ad tit. de jure fisci, tractatur de officiis variorum Magistratuum, titulo de Senatoribus & seqq. usque ad finem lib. 1. ut & de publicanis, vectigalibus. De iisdem quoque *in Codic.* nec non de jurisdictione: & non tantum in Digest. & Cod. sed & Institutionibus de tutela, quæ est publicum munus *pr. Inst. de excusat. tutor.* De nuptiis, quæ etiam sunt publicæ *nov.* 22. *in præfat.* De hæreditatibus, legatis Principi relictis. *l. quod principi.* 56. D. *de legat.* 2. *l. fin* D. *qui testam. fac. poss.* §. *fin. Instit. quib. mod. testam. infirm. l. ex imperfecto* 3. C. *de Hered. instituend.* De testamentis, quæ

quæ sunt juris publici. *l. Testamenti.* 3. *D. qui test. fac. poss.* De publicis judiciis, quæ ad statum Reip. tuendum maxime spectant,

3. Publicum jus etiam collectum est ex principiis naturalibus ac gentium. Inter animalia enim principatum vigere, *can. In apibus.* 41. *caus.* 7. *q.* 1. initia, processum bellorum, defensiones contra externam vim & similia naturæ præcepta, ex quibus jura de publico statu desumuntur, observamus. Gentes omnes magistratum agnoscunt, ac religionis alicujus opinione occupantur *l.* 2. *D. de just. & jur.* quod & Ethnici testantur. Aristot. 1. *de cælo.* Cicero. Apud omnes legati sancti. *l. fin. D. de legation.* Jura parentum in liberos, principia dominationis publicæ, sunt sancta. Gœdd. *ad l.* 6. *n.* 11. *D. de verbor. signif.* Vult. *ad §. fin. in fine Inst. de just. & jur.* Opp. I. Distributio Juris in naturale gent. & civile tantum privato juri adscribitur. *d. §. fin. & l.* 1. *§. hujus* 2. *in fin. D. eod.* II. In Brutis nec sacrorum cura, nec sacerdotum aut magistratuum reverentia. III. Bruta nihil ad societatem tuendam conferunt. IV. Omnia publica ex usu ac necessitate uniuscujusque populi sunt. Vid. Petr. Heig *n.* 4. & Mynsing *ad d. §. fin.* Wesembec. *in paratit. n.* 14. *§. Ius autem privatum.*

4. Ius publicum Romanum, non est sublatum per L. Regiam. Nulla enim lege id demonstratur. Arum. *exercit.* 1. *th.* 12. Opp. I. Omne imperium populi in principem est translatum, Ergo & publicum jus cessat. II. Omnia publica, quæ antè per populum vel alios, quibus eam curam demandaverat populus, pòst per principem expediri sunt solita. Vid. Revard. 5. *var.* 12.

5. Jus naturale distinctum à Iuregentium est jus, cujus principia natura omnia animantia docuit. In bruta itaque non tam cadit jus formatum quam præceptum naturæ, tanquam materia, ex qua, D. Tim. Fab. *disp. anniv.* 2. *ad pr. Inst. de Iur. natur. gent. &*

 civil.

civ. Opp. I. Bruta carent ſenſu, ſunt rationis expertia *l.* 1. *§. ait prætor.* 3. *D. ſi quadrupes paup. fec. dicat.* nihil ergo juris, quod ſola ratione valet, iis tribui poteſt, ſive formaliter ſive materialiter: nec bruta diſtingunnt inter bonum & malum: nihil eligunt præ alio, II. Omne jus gentium etiam naturale dicitur. §. *ſingulorum Inſt. de rer. divis. l.* 1. *in f. D. de furt.* ergo gentium à naturali diſtingui non debet: & magis, quia jus gentium eſt à ratione naturali, ut & ipſum jus naturale. §. 1. *Inſt. de jur. natur.* Vall. 4. *elegant.* 48.

6. Educatio eſt juris naturalis *pr. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.* & ſtorge parentum. Quis enim affectus vincit paternum *l. fin. pr. C. de curat. furios*? Nec jus naturale eſt mutatum ex eo, quod Abrahamo impoſitum, ut necaret filium ſuum. nec enim lex naturæ diſpenſata nec vita innocentis Iſaaci fuit ſubjecta poteſtati Abrahami, ut principali cauſæ, ſed ut inſtrumento divini dominii & bene placiti. nec Deus voluit, licet juſſerit. Opp. Non jubet Deus, quæ contra naturam ſunt. Non jubet Deus, quæ non vult: Deus enim ſemper, quod vult, facit & immutabilis eſt. *Mal.* 3. *v.* 6.

7. Contra naturam faciunt illuſtres fæminæ, quæ proprios lactare liberos dedecori ſibi eſſe arbitrantur, & aliis eos educandos à teneris tradunt: eſt enim educatio à natura *d. pr.* Hac de re Ioann. Cas. *de ſphær. civ. lib.* 7. *c.* 17. Opp. Nimis hoc plebejum & ſervile. II. Sunt res majores, quibus implicantur. III. Non iis doloribus afficiendæ. IV. Eligi poteſt eximia aliqua nutrix. Vid. Caſp. Bartholin. *problem. philoſopſ. & medic. exerc.* 2. *probl.* 1.

8. Ex jure naturali deſcendit defenſio contra vim, etiam cum nece alterius. *l.* 1. *§. vim vi.* 27. *D. de vi & vi armat* Eſt enim hæc lex innata omnibus, ut, quæ nocent, declinent. Cicero. Opp. I. Adſcribitur Defenſio juri gentium *l. ut vim* 3. *D. de Iuſt. & & Iur. junct. l.* 1. *§. fin. l.* 2. *eod.* II. Naturalis ratio permittit ſe defendere *l. itaque* 4. *D.* ad l. Aquil, naturalis autem

autem ratio constituit jus gentium §. *Ius autem* 1. *vers. Quod ratio naturalis. Inst. de Iur. natur. gent. & civili* III. Desideratur ad defensionem inculpatæ tutelæ moderamen *l.* 1. *C. unde vi.* at hoc à jure gentium vel civili, non verò à naturali.

9. Ex eodem jure est suorum defensio, ut ex ea invadens impune occidi possit. *l.* 1. §. *item divus.* 4. D. *ad l. Corn. de sicar. arg l.* 2. D. *de receptat. l. sed & hæ personæ.* 35. D. *de procurat. l. Isti quidem.* 8. §. *hæc quæ* 3. D. *Quod met. caus. l.* 1. §. *amplius.* 3. *D. de liberal. caus. l. frater* 1. *l. Si ut allegas.* 4. *C. ad C. Corn. de sicar.* D. Tim. Fab. *disput. anniverſ. ad pr. Inst. De jur. nat, g. & civ.* Opp I. *l.* 2. 3. 4. *C. ad l. Corn. de sicar. l.* 1. *C. unde vi.* ubi Permittitur tantum defensio sui corporis contra vim, ut & in *d. l. ut vim.* 3. D. *de. iust. & jur.* II. Nullo textu id permissum, & in re tanti momenti incerto jure vagari, est periculosum, Vaud. *libr.* 2. *quæst.* 26. *in fin.*

10. Idem admittendum in defensione extraneorum. Exemplum est in Moyse. Textus in *cap. non inferenda.* 7. *caus.* 23. *quæst.* 4. quin & tenetur quisque alterum tueri & in culpa est, si id non faciat. *l. culpa,* 50. *D. de reg. jur. c. inferenda. & seqq. Proverb.* 24. *vers.* 11. Imò in crimine *l. nullum.* 109. *D. de reg. jur.* Add. *l.* 2. 3. *D. de noxal.* act. Hominis enim hominem beneficio adjuvari interest, *l. si serv.* 7. *D. de serv. exportand.* Opp. I. In culpa est, qui immiscet se Rei ad se non pertinenti *l. culpa est.* 36. *D. de reg. jur.* ubi Gothofr. II. Præceptum Dei est: *non occides.* III. Multa scelera sub prætextu eo committi possent. Nemo tenetur se ob alium periculo exponere. Vid. Dec. Cagnol. *in d. l. culpa.* 50.

11. Ius gentium est jus, quod naturalis ratio inter omnes homines eosq; solos constituit *l.* 1. §. *fin. D. de just. et Iur.* Opp. I. Hæc definitio competit & juri naturali & civili seu positivo. II. Jus gentium non est à naturali ratione sed deflectit ab ea; uti fit in bellis, servitutibus, quæ sunt juris gentium. *l. Manumissionis.* 4. *&*

ſeq. D.*de juſt. & jur,*& pugnant cum natura. III. Nullum eſt jus gentium juxta eam definitionem, cum non poſſit dari fere ullum jus, quod ab omnibus hominibus pariter eſt receptum.

12. Non eſt receſſum à jure gentium in furto, conceſſo à Deo populo Judaico ut ſpoliarent Ægyptios: quia à Deo rerum omnium domino mandatum erat & per hoc fiebat compenſatio damni, quod per injuriam paſſi erant Iſraëlitæ. Opp. Deus eſt ipſa juſtitia; juſtitia ſuum tribuit per ordinem bonum & legitimos tramites, non per peccatum: lex enim eſt moralis *non furaberis.*

13. Ius gentium, aliud eſt primævum, aliud ſecundarium. Aliud enim jus à ſimplici, aliud à ſuperiori ratione, quæ inferiorem oppoſitam ſuperat, proficiſcitur D. Tim. fab. *diſp. Anniv. ad.* §. 2. *de jur. natur. gent. & civ.* Opp. Non probatur hæc diviſio per textum: unici tantum juris gentium faciunt leges mentionem *l.* 1. §. *fin. & ll. ſeqq.* D. *de juſt. & jur.* vid. Conn. *Comment.* 5. Coraſ. 6. *Miſcell. ult.*

14. Ex jure gentium primævo ſunt pleræque conventiones. In iis enim eſt ſimplex ratio hæc, ut fides data liberetur. *l.* 1. D. *de pact. l.* 1. D. *de conſtit pecun.* Opp. contractus ſunt ex uſu & neceſſitate generis humani eo modo, quo bella & ſervitutes §. *ſed jus quoddam.* 2. *verſ. jus autem gent. Inſt. de jur. natur. gent. & civ. l. ex hoc jure* 5. *D. de Iuſt. & jur.*

15. Repreſſaliæ deſcendunt ex jure gent. Uti bellum ex eodem jure *d. l. ex hoc jure* 5. ita quoque repreſſaliæ, quia inſtar belli ſe habent, *c. Dominus noſter. Cauſ.* 23. *quæſt.* II. Apud omnes gentes ſtudioſe id agitur, ut Principes ſubditos ſuos tueantur adverſus iniquitates & injuſtitiam. In populo Iudaico illuſtre exemplum in civibus Gibeæ ex tribu Benjamin *Iudic. c.* 19. 20. & 21. D. Tim, fab. *d. diſp. ad* §. 2. *Inſt. de jur. natur. gent, & civ.* Opp. non eadem forma in iis apud omnes gentes ſervatur, ergo magis juris civilis erunt. §. 1. *Inſt. eod. l.* 6. D. *de juſt. & Iur.* forma autem dat eſſe rei.

16. Ex-

16. Eæque rectè defenduntur. Bella uti justa, ita & repressaliæ. Nihil tam debetur hominibus, quam ut justitia administretur. Non verò aliter permittendæ, quam si omnia accedant, quæ ad hanc rem sufficiunt, de quibus Menoch. *de Arbitr. jud. Cas.* 527. Opp. I. *l. un. C. ut null. ex vic. pro al. vic. deb. et t. t. C. ne filius pro patr. & seqq.* II. Hæc res multa habet incommoda, multas iniquitates ad se trahit. III. Sunt prohibitæ repressaliæ, *Nov.* 52. *c.* 1.

17. Ad jus civile refertur literarum obligatio: non enim hæc aliis gentibus cognita: Unde & mutuum civile à D.D. appellatur. Gothefr. *in l.* 2. *§. fin. D. de reb. credit.* Opp. I. Ejus essentia consistit in mutuo: mutuum autem receptum apud omnes gentes. *d §.* 2. *in fin. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* II. Gentes omnes instrumenta de conventionibus admittunt: literarum autem obligatio substantiam suam habet in instrumento.

18. Stipulatio est juris civilis *arg. l. Sunt quidam* 17. *§.* 1. *D. de pœn. Junct. l. quotiens* 14. *in f. D. de nov. arg. l. si ita stipulatus* 126. *§. Chrysogonus* 2. *D. de verbor. obligationib. l. Ea quæ* 35. *D. de acq. rer. domin.* Gœdd. *de contrah. & committ. stipulat. c.* 2. *conclus.* 1. Opp. I. Potest fieri quacunque lingua. *l.* 1. *§. fin. D. de verbor. obligat.* II. Acceptilatio est juris gentium. *l. An inutilis* 8. *§ fin. D. de acceptil.* ergo & stipulatio, per quam fit acceptilatio. III. Consensus facit stipulationem, aliæque gentes stipulantur & verbis contrahunt. Vid. Walther. 1. *Miscell.* 11.

19. Emphyteusis ad jus civile referenda: est enim ei per constitutionem Zenonis certa forma tributa, cùm quoad perfectionem, tùm quoad alia, quæ isti contractui circa naturalia sunt addita, de quibus in *l.* 1. 2. 3. *C. de jur. Emphyt. §. adeo.* 3. *Inst. de locat. & conduct.* Ibi Heig. *n.* 24. Donell. 9. *comment.* 13. Opp. I. Nusquam à regula, quæ est in *§.* 2. *in fin. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* & in *d. l. ex hoc jure. in fin. D. de Iust. et Iur.* excipitur. II. Receptum fuisse

hunc contractum apud Byſantios docet Ariſtot. 2. œconom. Et antiquiſſimum. *ex Gen.* 47. *v.* 24. *& ſeqq.* & Ioſeph. 2. *Antiq.* 4. multi crediderunt. III. Vix diſtinguitur ab emptione, locatione *d.* §. *ades.* 3. *l.* 1. *C. de jur. emphyt.* Vid. Connan. 7. *comm.* 12. Arum. 15. exerc. 12.

20. In concurſu juris naturalis, gentium & civilis, prædominatur Civile *arg. l. bona fides.* 31. *D. depoſ.* quia habet rationem magis ſpecialem: ſpecialia autem generalib. ſunt ſuperiora, *l. in toto.* 80. *D. de reg. jur.* &, quia utplurimum magis æqua, aut publica ratio ex jure civili deſumitur. Opp. I. Non eſt debitum, quod jure civili non naturali debetur. *l. quod ſi.* 3. §. 1. *D. de Conſtit. pecun.* II. Ius civile non poteſt mutare jus naturale, quod à Deo eſt conſtitutum. §. *fin. Inſt. de legit. agnat. tutel.*

21. Ius naturale eſt immutabile *d.* §. *f. De legit. agnat. tutel.* §. *pen. Inſt. de jur. natur. gent. & civ.* Opp. I. Servitutes, quæ contra naturam ſunt, permittuntur. §. 2. *Inſt. de jur. perſon.* II. Alimenta liberis denegantur. *Nov.* 89. *c. fin.* III. Matrimonia coarctantur. *t. t. C. de interd. matrim. inter pupill. &c.* IV. Licet cogere filium ad nuptias *l. ſi patre.* 22. *D. de rit nupt.* V. Præmium meretur, qui patrem occidit *l. minime.* 35. *D. de religios.*

22. Civilia facile mutari poſſunt: ſunt enim ex bene-placito Imperatorum. *d.* §. *penul. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Opp. I. Jus omne certum eſt. *l.* 2. *D. de jur. & fact. ign.* ergo immutabile. II. Nihil tam nocet Reip. quam frequens legum mutatio, Incerta per hoc omnia fiunt & datur multis anſa peccandi aliosque decipiendi.

De Iure ſcripto & non ſcripto.

23. Scriptura in genere non eſt de eſſentia legis. Ex ſolo enim placito populi vel principis lex valet, *l. De quibus* 32. §. 1. *D. de legib. l.* 1. *D. de conſtit. princip.* Connan. *comm.* 7. *n.* 5. Donel. 1. *comm.* 13. Opp. I. Vix ſine

sine scriptura potest esse lex. II. A legendo dicta est lex: legi autem non potest, nisi fuerit scripta. III. Et fere est apud omnes gentes receptum, ut scribatur. IV. Consuetudinem scribi non est necesse *l.* 39. *D. de legib.* ergo legem scribi oportet. Vide Niell. *De feud. disput.* 1. *thes.* 2.

24. Lex ne quidem ad existentiam requirit scripturam: legis enim existere & proponi possunt viva voce. Princeps interloquitur & lex est. *l.* 1. *in. D. de const. princip.* Lacædemonum leges extitere sine scriptura, Opp. Non possunt leges venire in notitiam populi, nisi beneficio scripturæ. Arum. *exercit.* 1, *thes.* 16. Gulielm. Forster. *disp.* 1. *thes.* 34.

25. Legem vero apud Romanos scriptam fuisse ordinariò non dubito. §. 3. *Inst. de jur. nat gent. & civ. l. humanum.* 8. *C. de legib. l. de quibus. pr. &* §. 1. *D. eod.* Opp. I. In definitione legis *l.* 1. 2. *D. eod.* §. 4. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* nulla est mentio scripturæ, II. Consensus populi tantum legem facit *d. l. de quibus.* 32. §. 1.

26. Interpretatio prudentium ad leges 12. tabb. & alia jura sine scripto venit *l. necessarium.* 2. §. *his legibus.* 5. *& ibi* Anton. Fab. *in rationalib. &* §. 12. *D. de orig. tur.* Opp. Icti utique signata & sic scripta dederunt Responsa *d. l. necessarium* 2. §. 48. II. Responsa sunt pars juris scripti §. *constat* 3. *Inst. de Iur. nat. gent & civ.*

27. Auctoritas judicarum rerum non pertinet nec ad jus scriptum nec ad responsa prudentum, verum res judicatæ sunt fundamenta consuetudinis *l. nam Imperator* 38. *D. de legib. l.* 1. *C. quæ sit longa consuet.* Opp. Sententiæ semper scribuntur. *l hac leg.* 2. *& seq. C. de sentent. ex brevic. recit.* Et sic ad scriptum jus referri debent. II. Opponuntur res judicatæ consuetudini, *d. l. nam imperator.* 38. , ergò non idem sunt.

28. Definitiones legis, generalius acceptæ, quas proponunt Papinianus & Marcianus in *l.* 1. *& seq.*

D. *de legib.* emendandæ non ſunt. Opp. I. Lex non eſt decretum prudentum hominum, hoc eſt, jurisperitorum, vel Optimatum tantum, ſed totius populi vel Principis. II. Lex non eſt ipſa delictorum coercitio, ſed regula, quæ modum coercendi demonſtrat & imponit. III. Lex non punit eos, qui ex ignorantia delinquunt, ita Furioſis, contra *l. divus.* 14. D. *de off. præſid.* Dormientibus, contra *Clementinam de homicid. voluntar.* Pœnam infligeret: ita ignorantibus non ſubveniret, contra *l. ſi fidejuſſor.* 29. *verſ. ubi verò ignoravit D. mandat. arg. l. fin.* D. *de rit. nupt.* Delicta enim ex voluntate committuntur. *l. divus.* 14. *D. ad l. Corn. de ſiccar.* ignorans autem velle dici nequit.

29. Lex non obligat ante promulgationem: ſciri enim lex debet. *l. leges.* 9. *C. h.* Sciri verò non poteſt, niſi promulgetur. Opp. I. Ex ſolo placito lex valet. *l. de quibus.* 32. §. 1. *D. h.* II. Nulla fit mentio in definitione promulgationum.

30. Lex, ſimulac pervenerit in notitiam populi per legitimam promulgationem, obligat. *l. leges.* 9. *verb. præſcripto earum manifeſtius cognito. C. h.* Idem & mores indicant. Opp. I. Certa tempora huic rei ſunt præſcripta vel trium menſium. *Nov.* 58. *in præfat. verſ. ſi autem* vel duorum. *Nov.* 66. *c.* 1. vel 30. dierum, *nov.* 116. *c.* 1. II. Debet modicum tempus dari huic rei, ne per ignorantiam quis peccet. III. Præſtat hanc rem committere arbitrio Judicis, cum in facto conſiſtat *arg. l. mora.* 32. D. *de uſur.*

31. Legem manifeſtam eſſe oportet, &, quæ non eſt ullo modo, nec fieri poteſt manifeſta, legis nomen non meretur. Quid enim ſic proprium eſt legum, ſicut claritas. *Nov.* 107. *c.* 1. *in pr.*? videndum, ne homines nexu legum inexplicabili uti muſcæ aranearum telis inretiantur, ne, cum eorum actus varie poſſint accipi, diverſoque jure cenſeri, judicibus detur facultas, leges, ut naſum cereum, flectendi. Satius eſt ut jura ſint certa *l. in omni.* 2. D.

de jur. & fact. ignorant. Opp. I. Non nocet obscuritas in lege, quia potest peti interpretatio à principe. *l. 1. l. f. C. h.* II. Obscuritas nec contractum, nec testamenta vitiat. in contractu nocet ei qui legem dixit, in testamentis tollitur, si voluntatis possit esse interpretatio: si non possit, sequimur, quod minimum est. *l. semper. 9. D. de regul. jur.* Si nec in conventionibus, nec in ultima voluntate noceat, ergò nec legem reddet nullam.

32. Lex, quæ destituitur ratione, non valet. *l. quod non ratione.* 39. *D. h.* Opp. I. Multa sunt constituta contra rationem. *l. quod vero contra.* 14. *& seq. l. non omnium.* 20. *D. h.* II. Non licet inquirere in rationes legum. *l. Et ideo.* 21. *D. h.* III. Solo placito leges valent. *l. de quibus.* 32. §. 1. *D. h.* IV. Ratio opponitur legi. *l. consuetudinis.* 2. *C. quæ sit long. consuet.*

33. Iura constitui oportet in his, quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex inopinato. *l. jura.* 3. *& seqq. D. h.* Opp. I. Oportet in omnibus jura constitui: jus enim certum & finitum esse debet. *l. in omni.* 2. *D. de jur. & fact. ignor.* & boni est legumlatoris omnia prævidere & ad omnia providere. II. Etiam jura sunt de raro accidentibus. *l. adeo.* 7. §. *insula.* 3. *D. de acquir. rer. domini. l. si major.* 12. *C. de legitim. hæredib. l. Antiqui.* 3. *D. si pars Hæred. petat.*

34. Legis est virtus, imperare, vetare, permittere, punire. *l. legis.* 7. *D h.* Opp. I. Omnis lex imperat, quia est commune præceptum. *l.* 1. *D. h.* Unde lex, quæ non præcipit, sed vetat, punit vel permittit, non est lex. II. Aliquæ leges vetant & non puniunt *l. Et si.* 14. §. 14. *De religios.* III. Sunt leges nonnullæ, quæ tantum docent, consilia suggerunt, methodum præscribunt, non puniunt, nec permittunt, nec vetant, nec jubent.

35. Iura constituuntur generaliter, non in singulas personas, *l. jura non in singulas* 8. *D. h.* Opp.

I. Singulæ personæ obligantur ex lege: singuli constituunt tandem remp. II. Contrarium est in constitutionibus principum singularibus §. 6. *in fin. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* in jure singulari, de quo *in l. quod vero* 14. *& seqq.* D. *h.* III. Leges Codicis rescriptæ ad singulares personas, & quæ singulorum hominum faciunt mentionem uti *l. quoniam* 23. *C. de episc. & cleric. l. neque* 61. *C. de decurion.* indicant ad singulas quoque personas jura referri.

36. Lex sese ad futura refert. *l. leges* 7. C. *h.* Id procedit, nisi de præterito tempore & pendentibus adhuc negotiis sit cautum. *d. l. leges* 7. Exempla in *l. sancimus* 22. §. 1. *C. de sacrosanct. Eccles. l. de usuris* 27. *C. de usur.* Opp. Durum est nimis, ut jus ex priori lege quæsitum auferatur per posteriorem cum nemini possit vel ex decreto principis jus suum auferri. *t. t. C. ut lit. pend.*

37. Si fiat interpretatio juris ante lati, spectatur tempus legis latæ, non factæ interpretationis: quia interpretatio novum jus non facit, sed obscuritatem in lege tollit. *l.* 1. *l. leges* 9. *C. De legib.* Opp. Quod obscurum est, nullum est, *th.* 31. Non enim potest intelligi: quod intelligi nequit, pro non scripto habetur. *l. quæ in testamento.* 2. *D. de his, quæ pro non script. habent.* unde interpretatio demum legem facit. *arg. d. l.* 9. uti & is, qui in certum confessus est, non habetur pro confesso. *l. certum* 6. D. *de confess.* sed cogendus est certum confiteri: & cum certum est confessus, demum confessus esse rectè dicitur. *d. l. certum* 6. §. 1.

38. Cum quid ex postfacto circa ordinem judicii in negotio aliquo antegesto, de quo jus erat constitutum, statuitur, sequi oportet in lite ordinem post præscriptum, verum in decisione controversiæ ipsius, jus ante latum, Panorm. in *c. fin. de. constit.* Opp. I. Negotium est principale, ejus jus etiam ordo judicii sequi debet secundum regulam: principale ad se trahit accessorium. *arg. l. in rem.* 23. §. 3. *D. de rei vind.*

II. Lex

II. Lex de ordine ad futura ſpectat negotia, non præterita. *d. l. leges.* 7. ac ſic in eo negotio, quod geſtum eſt antè, non poteſt obtinere.

39. Leges, quæ etiam de præterito agunt, non poſſunt accipi de iis, quæ plene ſunt taanſacta vel ſic judicata, ut nulla poſſit eſſe appellatio *d. l. Tanta* §. 23. *C. de vet. Iur. enucl.* Idem etiam ſtatuo, ſi lata ſit ſententia de lite, à qua appellatum eſt: quia, ſi ſententia ab inferiori judice ſit lata, terminata eſt lis *l.* 1. *D. de re Iudic.* & ita eſt ſatisfactum. *d.* §. *leges.* 23. & *Nov.* 19. *c.* I. *in fin.* II. Judex appellationis judicat de iniquitate ſententiæ *l.* 1. *D. de appellat*: ea vero eo tempore non fuit iniqua. III. Initium cujuſque rei ſpectandum. *l.* 3. *C. ad SC.maced. l. In ambiguis* 85. §. 1. *D. de regul. Iur.* nec caſus adventitius attendendus eſt *l. Iuliamus* 6. *D. quib. manum. non licet.* Tuld. *ad h. tit. C. n.* 4. Opp. I. Sententia cum effectu non eſt, cum poteſt appellari, l. & *poſt rem.* 7. *l. poſt rem* 11. *D. de Tranſ.* II. *Nov.* 19. *c.* 1. *in fin. verb. aut decreto aut tranſactione finis acceptus eſt.* Finis autem non eſt, cum appellatio eſt inſtituta. III. *d.* §. *leges.* 23. ubi requiritur, ut judiciali ſententia ſint controverſiæ finitæ ſive abſolutæ.

40. Verba legis poſterioris ita concepta, *ſiquis fecerit*, ad futura negotia pertinent: quia, cum ipſa lex ad futura pertinet, in dubio non aliter poteſt id explicari, quam quod de futuris loquatur. *d. l. leges* 7. Tuld. *d. loc.* Opp. Debet voluntas legiſlatoris & ejus interpretatio in dubio requiri. *l.* 1. *l. leges.* 9. *l. fin. C. h.*

41. Præceptum, *d. l. leges.* 7. locum etiam habet in pænalibus, ut delicta non ſecundum novam ſed veterem legem puniantur: generaliter enim *d. l.* 7. concepta eſt: pœnæ molliendæ *l. interpretatione* 42. D. de pæn. Odia reſtringenda. *c. odia de reg. jur. in* 6. *l. factum.* 155. §. *fin. D. eod.* Eſt expreſſus textus. *in l.* 1. *D. de pœn.* Ratio dubit. Leges volunt non condemnatos ex antiquiore lege, ſed nondum judicatos & reos oblatos

ob

ob crimen ante commiſſum ex nova lege puniri. *l. fin. verſ. ſi quis tamen D. ad l. fab. de plagiar.* II. Ut novatio perimit priorem obligationem. *l.* 1. *D. de novat.* Ita nova lex priorem legem *l. fin. D. de conſtiut. princ.* III. Licitum eſt judici exaſperare ſupplicium. *l. Aut facta.* 16.§.*fin. D. de pæn.* cur non & idem legiſlatori deferendum eſt? Vult enim, ut lex vigeat in ſummo gradu & ſic in præteritis quoque locum habeat. Nec etiam per novam pænam lex prior tollitur, ſed augmentum aliquod accipit: augmentum verò non conſtituit novam ſpeciem, verum ad aliud, quod principale eſt, accedit, eique ac ejus juri cedit *arg. l. etiamſi* 8. ubi Barthol. & Bald. *C. de jur. dotium l. inter ſocerum.* 26, §. *cum inter.* 2. *in fin. D. de pact. dotal.* IV. Non poteſt legem invocare qui ipſe in legem commiſit, ut loquitur Tryphon. *in l. auxilium.* 37. *in fin. D. de Minor.* ac reatus omne beneficium juris & omnem honorem excludit. *l.* 1. *C. ubi ſenator vel clariſſ.*

42. Scire leges, non eſt verba tenere, ſed vim ac poteſtatem. *l. ſcire.* 17. *D. h.* non enim leges verbis, ſed rebus imponuntur. *l. omne.* 2. *C. comm. de legat. & fideicom.* Rat. I. dub. Verba ſunt maxime attendenda cum exprimant vim ac poteſtatem: nec legiſlator quid dixiſſe, quod ante non agitaverit mente, præſumitur. *l. labeo.* 7. §. *Servius.* 2. *verſ. cæterum. D. de ſupell. legat.* II. Periculoſum eſt arbitrio judicis committere, ut is, verbis neglectis, vim ac poteſtatem aliam, quam verba habent, affingendi facultatem habeat: nec enim legis auctoritas eſt in arbitrio judicantis *l.* 1. §. *quorum. D. ad. S. C. Turpil. l. ordine.* 15. *D. Ad municipal.*

43. Iura ſingularia, quæ contra rationem juris communis conſtituta ſunt, non ſunt producenda ad conſequentiam *l. quod verò* 14. *& ſeqq. & h.* Rat. dub. I. SCtum Macedonianum continet jus ſingulare, attamen extenditur per interpretationem: agit -enim

enim de filiis, & porrigitur ad filias. *l. sed si paterf.* 9. §. 2. D. *ad. S C. Macedon.* & ad nepotes. *l. filium.* 14. D. *l. si filius* 6. §. 1. *C. eod.* II. Jura singularia sunt beneficia: beneficia verò sunt plenissimè interpretanda *l. beneficium.* 3. D. *de constit. Princ.*

44. Quæ in favorem introducuntur, non sunt duriori interpretatione detorquenda in odium *l. nulla.* 25. *l. quod.* 5. *C. de legibus. c. quod ob gratiam.* 61. *de reg. jur. in.* 6. Exempla sunt & in pactis. *l. ea lege.* 51. *D. locat. l. sabinus.* 9. D. *de in diem addict. l. cum venditor.* 2. & *seq.* D. *de leg. commiss.* Busius. *in d. l. nulla.* 25. *D. h.* Rat. dub. I. Ius ad impetrationem & commodum constitutum retorquetur directo in odium, non tantum à læso. *l.* 1. §. 1. D. *quod quisque jur.* sed & à quolibet alio. *l. si quis iniquum.* 3. §. *hæc pœna.* 2. D. *eod.* in tantum ut & locum habeat pœna, licet is, qui impetravit, eo non sit usus *d. l. siquis iniquum in f. pr.* II. Pactum in favorem emptoris appositum retorquetur in detrimentum *l. si vina.* 6. D. *de peric. & comm. rei vendit.* III. Favor est, quod servi non contra dominum torqueri possint, at idem in odium Domini vergit, quia nequeunt torqueri pro domino *l. pridem* 6. *l. Servos* 4. *C. de quæstion.* IV. Cui ita favet sententia, ut Ingenuus fiat, amittit favorem aureorum annulorum *l. intra.* 2. D. *de jur. aureor. annul.* V. Ex favore est Iudæis concessum, ne conveniantur die sabbathi, hoc retorquetur in odium, ut etiam alios eo die non conveniant. *l. die sabbathi* 13. *C. de Iudæis.*

EXERCITIUM TERTIUM,

Resp. HENRICO HAKE, Bremensi.

De Antinomiis primum.

THESIS PRIMA.

SCholis & Tribunalibus noxium est, facilè admitti, corradi, circumferri, ostentari ac juventuti operam danti legibus instillari antinomiarum farraginem. Scholis, quia auditores incertis eo modo imbuti principiis non habent, ubi tutò consistant: omnia iis fiunt suspecta: sinistrè de arte Juris sentiunt ejusq; authoribus: semper hæsitantes nihil quicquam proficiunt: non scrutantur veras rationes rerumque momenta. Tribunalibus, quia Judices perperam antè edocti, si probi sint, nunquam non fluctuant, nunquam conscientiis suis satisfaciunt: si improbi sint, dum de lege non secundum eam indicare sibi arbitrantur esse permissum, veritati præjudicium, iniquas litigantium Juri sententias, Reip. pernitiem fabricant & libidini suæ inservientes tantum-non æquitatem ac certa jura subvertunt. Ratio dub. I. Non est id noxium, cum facilima hæc sit instituendi methodus: Quod enim aliàs maximis laboribus vix potest obtineri, id unico dicto, *Est antinomia*, sine molestia Studiosi consequuntur. Præstat nodos Gordios ense unicoque ictu desecari, quam nimium perplexa ac indissolubilia ineptè irrito conatu velle dissolvere. II. Qui pugnantiam inter leges esse frequentem asserunt, incerta nec tradunt nec transmittunt jura, sed unam præ alia eligunt sanctionem, vel plurium Doctorum calculo approbatam, vel æquiorem. Ronchegall. *in pr. l. In duobus* 3. *n.* 45. D. *de duob. reis*. Baro *ad tit. Inst. de rer. divis.* II. Cum in antino-miis

miis minima Juris pars consistat, non reddent eæ jus incertum vel certum turbabunt: nec in modico magnum est damnum. *arg. l. si debitor. 21. in fin. pr. D. de Iudic. l. Scio illud 4. D. de restitut. in integ.* IV. Maximè prodest & Scholis & Tribunalibus veritas, ejusque plena agnitio: Fides atque industria eorum tam laude, quam honestate ac pariter pietate non caret, qui veritatem in publicas aures lucemque deduxerint. *l. nulli. 28. §. fin. C. de Episc & cleric.* Qui agnoscunt contraria in legibus, veritatem agnoscunt: cæteri, qui ea non admittunt, somniis juventutem ac figmentis instruunt: qua re nihil perniciosius.

2. Novum & insolens non est, ut in artibus aliquis ἐναντιοφανῶν reperiatur numerus, qualis & in sacro codice non exiguus. Conferantur loca subsequentia! Genes. 46. *vers.* 27. ubi de septuaginta, cum Actor. 7. *v.* 14. ubi de septuaginta quinque. II. Deuteron. 29. v. 4. ubi Deus non dedit oculos ad videndum, aures, &c. cum Ezech. 12. *v.* 2. ubi dedit Deus oculos, &c. III. Mich. 5. *v.* 2. ubi Bethlehem, minima dicitur: cum Matth. 2, *v.* 6. ubi non minima. IV. 1. Samuel. 16, *v.* 21. 21. ubi David ad Saulem missus stabat coram rege eique delectus fuit armiger: cum 1. Samuel. 17. *v.* 55. ubi David nec Regi, nec Abnero, militiæ præfecto, notus fuit. V. Malech. 3. *v.* 6. ubi Deus non mutatur: cum Jerem. 18. *v.* 8. 11. ubi Deus mutat propositum. VI. Actor. 9. *v.* 7. ubi audiverunt vocem ac neminem conspexerunt: cum Actor. 22. v. 9. ubi lucem conspexerunt & vocem non audiverunt. VII. Actorum 15. *v.* 10. ubi jugum non potest portari: cum 1. Joan. 5. *v.* 3. Matth. 11. *v.* 30. ubi onus dicitur leve. VIII. ad Rom. 10. *v.* 9. ubi verbum est notum: cum ad Rom. 16. *v.* 25. ad Ephes. 3. *v.* 4. ad Colossens. 1. *v.* 26. ubi mysterium incognitum. IX. Ad Roman. 11. v. 34. ubi mens Dei incognita, uti & 1. ad Corinth. 2. *v.* 16. cum 1. ad Corint. 2.

v. 12. & 2. ad Corinth. 5. *v.* 1. ubi mens & gratia Dei nota. VIII. 2. Petr. 1. *v.* 19. ubi sermo est lucerna in obscuro: cum 2. Petr. 3. *v.* 16. ubi difficilia intellectu in verbo. IX. 1. Joann. 1. *v.* 8. ubi omnes peccatores: cum 1. Joann. 3. *v.* 9. ubi homo non potest peccare. Nemo verò sanus ac pius negaverit, hæc & similia sexcenta commodâ interpretatione ac distinctione conciliari posse. Ita quoque in omnibus artibus ac scientiis summa ope nitendum, quò veritas ex variorum locorum collatione & ad eam factâ genuinâ explicatione eruatur. Ratio dubit. Malè hæc comparantur. Nam in verbo Dei nullus est nec potest esse error: cum sancti homines non ex suo lubitu, sed acti à Spiritu Sancto sint locuti. 2. Petr. 1. *v.* 21. ac tota scriptura sit inspirata divinitus. 2. ad Timoth. 3. *v.* 18. Jurisprudentia verò profecta est ab hominibus, qui falli, errare ac fallere potuerunt, & quibus fuit impossibile, in tanta rerum ac materiarum copia ac varietate, omnium meminisse. *l. Tanta* 2. *pr. versic. ut nihil neque contrarium C. de Iur. Veter. enucleand.* Nihil in hisce terris perfectum dari potest.

3. Statuo itaque nullam dari vel demonstrari posse liquidam & certam in Jure civili contradictionem. Convenit id scopo ac mandato Justiniani *in Constit. Hæc, quæ* §. *Quibus* 2. *De nov. codic. faciend. Const. Cordi nobis est.* §. *supradictis.* 3. *De Emendat. Codic. l.* 1. §. *nulla* 8. *C. de vet. jur. enucl.* Ejusdemq; testimonio *in D. l. Tanta* 2. §. *contrarium* 15. *C. eod.* Si quid occurrat, quod non benè videtur aliis locis respondere, satius est agnoscere nostri ingenii judiciique hebetudinem, quam authores Juris, qui grato animo magis excusandi essent, oscitantiæ ac studii rerum malarum insimulare, ac iniquè criminari. Agimus quippe legum Interpretes non Censores ac Dictatores: nostrum itaque non fuerit, quæ sæpe magna est, imperitiam nostram aliis imputare, quibus nihil imputandum est; non nostris

placitis

leges, sed legibus, quas invenimus, placita subjici oportet. Demus potius aliquid justæ interpretationi, diversitati materiarum, factorum, personarum, rationum, quam jura tantis laboribus digesta injuriosè rejiciamus. Non verborum cortici, sed menti, æquitatis regulis apprimè inhærendum. Eleganter Zasius *in Epistol. ad Claud. Cantiunc.* Ratio dubit. I. Non scopum ac intentionem cujusquam tantùm, ne quidem Imperatoris, spectari convenit, sed veritatem. A judicio enim subindè discordat effectus. *Nov.* 111. *in præf.* II. Testimonio Imperatoris non credendum; cum testis sit in propria causa. *l. nullus* 10. D. *l. omnibus C. de testib.* III. In legum decisionibus sequimur quidem dispositionem Imperatoris Justiniani, sed non in ejusmodi causis, de quibus disputatur in præsens: ita nemo observat quinquenniũ, præscriptum studio juris *in Const Omnem §. sed quia.* 5. *vers. Quibus de meth. ac rat. jur. doc.* Non-nemo scribit commentarios directò contra præceptum Imper. *in d. l. Tanta* 2. §. *hoc autem* 21. *C. de vet. jur. enucl. & Const.* Dedit §. *illud autem* 21. *de Confirmat. Digestor.* IV. Præstantissimi Interpretes antinomias esse varias contendunt. Inter hos Egvinar. Baro *in* 50. *Decision. Iustin. &* 3. *Man. D. lib.* 18. Connan. 1. Comment. 15. *n.* 4. *in fin.* Donell. 8. *comm.* 11. Duaren. *in l. fructus §. si fundum D. solut. matrimon.* Mudæ. *in l. si servus* 24. *D. de act. Emt.* Costal. *in l. si unus* 27. *D. de pact.* Covarruv. 1. *variar. resol.* 3. *n.* 7. Non in inutili pulvere versabimur nec ociabimur, si nonnulla loca proponamus, inter quæ contradictionem nonnulli ponunt, vel de quorum conciliatione aliqui tantumnon desperant, aut de quibus potest dubitari: primùm quidem ex Institutionum libris, processuri post ad Digestorum leges & Codicem. Ratio. dub. Si in aliquibus locis possint solvi difficultates, ergo non in omnibus. Ut itaq; scrupulus omnis eximatur, permitto cuilibet hac disputatione ex Institutionibus, in medium proferre, quæ posuimus, alia lo-

ca libuerit; ut ita ex amica dispositione & contrariorum oppositione, id, quod in rem obtinet argumentis consequi queamus.

4. Imperator ait §. *sed naturalia* 11. *Instit. de jure natur. gent. & civil.* Jura, quæ quæque Civitas sibi constituit, i, civilia mutari solere tacito consensu populi sive consuetudine. Idem Julianus *in l. De quibus* 32. §. 1. *D. de legibus.* Constantinus verò *in l. Consuetudinis.* 2. *C. quæ sit long. consuet.* legem nullam vinci à consuetudine.

5. Imp. *pr. Instit. qui & quib. ex caus. manum. non lic.* eum, qui in fraudem creditorum manumittit nihil agere. Cum hoc faciunt Theodos. & Valent. *in l. non dubium* 5. *C. de legib.* ubi & regula est: Qui quid facit in fraudem, nullius momenti rem agit. Et Julianus *in l. cum hereditas* 5. *pr. D. qui &. a quib. manum. lib. non fiant.* libertates in testamento datas in fraudem creditorum non competere. Iulianus verò *in d. l. cum hereditas* 5. §. *si Titius* 2. libertates ita datas rescindi *in l. si quis integris* 7. D. *eod.* Interpellari & Alexand. *in l.* 1. *C. qui manumitt. non poss.* revocari.

6. Imp. Inter parentes & liberos adoptivos, licet adoptionis vinculum sit solutum, prohiberi matrimonium §. *Ergo* 1. *in fin. Inst. de nupt.* Gajus verò in *l. Quinetiam* 55. § 1. D. *eod.* patris adoptivi matrem, materteram, neptem ex filio, facta mei emancipatione, à me duci posse.

7. Imperator, nuptias citra parentum consensum initas esse nullius momenti; liberos ex eo natos non haberi pro legitimis. §. *si adversus ea* 11. *Inst. de nupt.* Idem paulus in *l. nuptiæ* 2. D. *eodem.* Verum Ulpianus: certo jure nos uti, ne bene concordantia matrimonia fortè & liberis subnixa, jure patriæ potestatis turbentur. *l.* 1. §. *fin.* D. *de liber. Exhibend.* Et idem: Paulus matrimonia sine voluntate patris contracta non dissolvi: contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur. *lib.* 2. *sentent. Tit.* 19. §. *Eorum.*

8. Imp. Adoptatum ab extraneo non transire in potestatem hodiè §. *sed hodiè Inst. de adoption.* allegans constitutionem suam *in. l. pen. C. eod.* Et nihil filium consequi, quam jus succedendi ab intestato D. §. *sed hodiè.* Ipse verò *d. l. pen. pr. versic. & tale vitium corrigentes sancimus*, eum in alienam familiam, i, potestatem translatum. tE ibidem §. *fin. autem* 2. Emancipari, i, à patria potestate liberari. Et §. *sed ea omnia* 14. *Inst. de heredit. q. ab intestat. defer.* ei tribui jura, ac si, i, non verè in patris potestate mansisset.

9. Tutorem à patre datum filio emancipato confirmari sine inquisitione. §. *fin. Inst. de tutel.* Verum Tryphoninus *in l. In confirmando* 8. *& seqq.* D. *de conf. tut.* confirmari cum inquisitione.

10. Imperator, Tutorem filiis datum non videri datum nepotibus §. *fin. Inst. qui testam. tutor. dar.* Et Ulpianus *l. Quid si nepotes* 6. D. *de testamentar. Tut.* Iavolenus verò, Filiorum appellatione omnes Liberos intelligi *l. Filii* 84. D. *de verbor. signif.* Et Callistratus, liberorum nomine omnes descendentes *l. liberorum* 220. *pr.* D. *eod.* & naturam docere, quod parentes pii filiorum appellatione omnes, qui ex se descendunt, contineant. Nec enim, inquit, dulciori nomine possumus nepotes nostros appellare, quam Filii. *d. l. liberorum* 220. §. *fin.*

11. Imp. Libertatem non amitti per deportationem §. *minor* 2. *Inst. de capit. diminut.* Callistratus verò *in l. cognitionum* 5. §. *consumitur fin.* D. *de var. & extraord. cognit.* per deportationem adimi libertatem.

12. Imp. Romæ præfectum urbi vel Prætorem secundum suam jurisdictionem tutorem dare posse §. *sed hoc jure* 4. *Inst. de Attilian. tutor.* Ulpianus verò in *l. muto* 6. §. *Tutoris dato* 2. D. *de tutel.* Tutoris dationem non esse Jurisdictionis.

13. Imp. Tutorem statim in ipso negotio præsentem debere authorem fieri. & nihil agi, si post tempus, per epistolam tutoris autoritas interponatur. §.

Tutor. 2. *Inst. de Author. tut.* & Gajus in *l. Obligari* 9. §. *Tutor.* 5. *D. eod.* Ulpianus verò in *l. si quis mihi* 25. §. *Iussum* 4. D. *de acquir. vel omitt. heredit.* authoritatem interponi perfecto negotio: & Gajus *in d. l. obligari* §. *fin.* scriptis authoritatem approbari inter absentes.

14. Imp. Adolescentes invitos non accipere curatores nisi ad litem §. *Item inviti* 2. D. *de Curatorib.* Ulpianus verò, Adolescentes curatorum auxilio regi, nec iis rei suæ administrationem committi debere, quamvis rem suam benè gerentibus *l.* 1. §. *fin. D. de minor.* Et Callistratus, officium Tutorum, non aliter finem accipere, quam constitutis curatoribus *l. à Tutoribus* 33. *D. de administ. tutor.*

15. Imp. In locum absentis Reip. causa, qui tutor erat, Curatorem interim dari §. *Item qui* 2. *Inst. de Excus. tutor,* & Paulus *in l. In omnem* 15. *& seq.* D. *de tut. & Curator. dat.* nec cum reversus fuerit liberari, sed tutelam eum recipere cogendum *dd. ll.* Paulus verò, in *l. Quæsitum* 12. *D. de Tutel.* & Ulpianus, *in l. si Tutor* 9. *pr. D. de Tutel. & rationib. distrah.* Tutorem interim dari.

16. Imp. Imperitum literarum excusari à tutela, quamvis sufficiat ad administrationem negotiorum §. *similiter* 8. *Inst. de Excusat. tutor.* Modestinus vero, Ejus, qui se negat literas scire, excusationem accipi non debere, si modo non sit expers negotiorum *l. si duas* 6. §. *fin. in fin.* D. *eod.*

17. Imp. Posse tutorem, antequam incipiat tutelam gerere, suspectum quasi removeri §. *suspectus autem* 5. *Inst. de suspect. tutor.* Ulpianus vero, non posse tutorem suspectum postulari, si quid antè admissum ab ipso vel in bonis pupilli vel *in tutela*, *l. Tutor* 3. §. *nunc videamus* 5. *versic. Quod si quid.* D. *eod.*

18. Imp. Littora esse rem communem juregentium §. *Et quidem* 1. *&* §. *littorum* 5. *Inst. de rerum division.* Celsus vero, littora populi romani esse, *l littora* 3. D. *nequid in loc. public.* ac sic proprie publica *l. Bona* 17. *D. de verbor. signif.*

19. Imp.

19. Imp. in §. *Quum ex aliena* 25. *Inst. de rer. divis.* frumentum ex alienis spicis excussum ejus esse, qui excussit, cum novam speciem faciat: Gajus verò *in l. Adeo* 7. §. *cum quis* D. *versic. videntur D. de acq. rer. dom.* frumentum id esse domini spicarum, non ejus, qui excussit: quia excutiens speciem novam non facit, sed eam, quæ est,. detegit., hoc æquissimum est.

20. Imp. *in* §. *cum in suo* 29. *Inst. de rer. divis.* dari generaliter, ex ll. 12. tabb. tam contra eum, qui bona fide ædificavit, quam eum, qui in malafuit fide actionem in duplum. Idem Paulus *in l. In rem* 23. §. *Tignum* 6. *D. de rei vindicat.* Idem verò Paulus, leges 12. tabb. velle precium, hoc est, veram æstimationem solvi *l. Qui res suas* 98. §. *fin in fin. D. de solution.* & Ulpianus actionem in duplum pertinere ex ll. 12. tabb. ad tignum furtivum *l.* 1. D. *de tign. junct.* nec non Paulus *in l. De eo, quod* 63. D. *de donat. int. vir. & uxor.*

21. Imp. Eum, qui duplum est consecutus, non posse diruto ædificio materiam vindicare, *d.* §. *Cum in suo* 29. *in fin.* Idem Gajus, in *d. l. adeo* 7. §. *Cum in suo* 10. *in f.* D. *de acq. rer. domin.* Ulpianus vero *in l. sed si* 2. *D. de tign.* extrinsecus, i, extra duplum, dari rei vindicationem.

22. Imp. *in* §. *Ex diverso* 30. *Inst. De rer. div.* malæ fidei possessorem amittere materiam, ex qua in alieno solo adificavit; quia semper ei potest objici culpa. Idem Gajus *in d. l. adeo* 7. §. *Ex diverso* 12. Ulpianus verò, *l. Iulianus* 37. *in fin. D. de rei vindicat.* concedendum esse malæ fidei possessori, ut sine dispendio domini areæ tollat ædificium, quod posuit: Et Imp. Gordianus *in l.* Domum. 5. *C. eod.* habendam esse in malæ fidei possessore rationem sumtuum necessariorum, utiles posse tolli.

23. Imp. Tabulam picturæ cedere §. *si quis in aliena* 34. *Inst. de rer. divis.* Idem Gajus *in l. Qua ratione* 9. §. *sed non.* 2. *D. de acq. rer. dom.* Paulus verò *in l. rem* 23. §. *sed & id* 3. *D. de rei vindic.* Picturam tabulæ cedere, ut accidens subjecto.

 24. Imp.

24. Imp. *in* §. *si quis à non domino* 35. *Inst. de rer. divis.* fructus perceptos esse indistinctè bonæ fidei possessoris, sive sint naturales, sive industriales. Idem Paulus *in l. Bonæ fidei* 48. *D. de acquir. rer. domin.* Idem Julianus *in l. Qui scit* 25. §. 1. *vers. porro bonæ fidei. D. de usur.* & Gajus *in l. In pecudum* 28. *pr. D. eod.* Pomponius verò *in l. fructus* 45. D. *eod.* tantum industriales, non naturales esse possessoris per perceptionem.

25. Imp. *d.* §. *si quis à non domino.* de consumtis fructibus agi non posse, & Paulus *in l. Sed & loci* 4. §. *post litem* 2. *in f. D. Fin. regund.* Possessorem lucrari fructus quos bona fide percepit & consumsit. Imp. verò Ælius Ant. possessorem teneri restituere fructus etiam consumtos, quatenus est factus locupletior, *l.* 1. *C. de petit. heredit.*

26. Imp. Partum ancillæ non esse in fructu. §. *In pecudum* 37. *versic. Partus Inst. de rer. divis.* Idem Ulpianus *in l. vetus fuit quæstio* 68. *D. de usufruct.* Paulus vero, Partum in fructus computandum. *l. Falc.* 24. §. 1. *D. ad l. Falc.* Et in reditu esse *l. Resp.* 14. §. 1. *D. de usur.*

27. Imp. *in* §. *Thesauros* 39. *Inst. de rer. division.* Thesaurum, in loco religioso inventum, esse insolidum inventoris. Callistratus verò *in l. non intelligitur* 3. §. *si in locis* 10. D. *de Iur. fisc.* eum pro dimidia parte inventori, pro dimidia Fisco cedere.

28. Imp. *in* §. *fin. Inst. de rer. divis.* res, ob tempestatem navis levandæ causâ ejectas in mare, manere prioris domini. Ulpianus verò *in l. Falsus creditor* 43. §. *si jactum* 11. *vers. Et si quidem* D. *de furt.* Credendum esse, eum, qui rem ejectam ex navi invenit, rem eam facere suam, nec furtum committere.

29. Imp. Servitutem esse urbanam, jus cloacæ habere §. 1. *Inst. de servit. rust. & urban. prædior.* Neratius verò *in l. Rusticorum* 2. *D. de serv. rust. præd.* esse rusticam.

30. Imp. servitutes pactionibus & stipulationibus con-

constitui. *§. fin. Inst. de Servitut.* Paulus verò *in l. Obligationum* 3. *D. de Obligat. & Actionib.* Obligationum substantiam non in eo consistere, ut Servirutem nostram faciat.

31. Imp. Vestimentorum esse quasi usumfructum *§. Constituitur* 2. *Inst. de usuf.* Ulpianus autem, esse eorum usumf. verum *l. si ususfructus* 9. *§. si vestis* 3. D. *usufr. quemad. caveat. l. sed siquid* 15. *§. Et, si Vestimentorum* 4. D. *de usufr.*

32. Imp. *in §. finitur* 3. *vers. nam cedendo Inst. de usufr.* per cessionem extraneo, i, alii, quam proprietario, factam, nihil agi. Ipse verò, *in fin. §.* 1. *Inst. de usu & habitat.* Usumfructum locari, vendi, concedi posse. Et Ulpianus, *in l. arboribus* 12. *§. usufructuarius* 2. D. *de usufr.* Pomponius verò, *in l. si ususfructus* 66. *D. de Iure dot.* Usumfructum extraneo cessum interire & proprietario acquiri.

33. Imp. Exustâ domo usufructariâ, ne quidem areæ usumfructum manere. *d. §. Finitur* 3. *in fin.* Idem verò *in §. Sacræ* 8. *Inst. de rer. divis.* locum, in quo sacræ ædes sunt ædificatæ, manere sacrum etiam diruto ædificio. Et Paulus *in l. sed & eo* 9. *D. quib. mod. ususf. amitt.* Usufructuarium posse uti solo, in quo Villa usufructuaria fuit, quæ jam diruta est. Idemque, domo exustâ manere jus pignoris in area. *l. Paulus* 29. *§. Domus* 2. *D. de pignorib.* Et Marcianus à pignore solvendo ad ususf. interitum valere argumentum. *l. sicut* 8. *D. quib. mod. pign. solv.*

34. Imp. Errorem falsæ causæ usucapionem non parere *§. Error* 6. *Inst. de usucap.* Idem Paulus *in l.* 1. *D. pro Donat.* & Ulpianus *l.* 1. *§. fin. D. pro dot.* Paulus verò *in l. nunquam* 31. *§. fin.* D. *de usucap.* Errantem in causa, usucapturum.

35. Imp. Maritum esse Dotis dominum *pr. Inst. quib. alien. non lic.* Ulpianus verò in *l. denique* 3. *§. Ergò etiam* 5. *D. de minorib. & l. in eum* 16. *D. de religios.* Dotem esse proprium fœminæ patrimoninm. Idem

Africanus *in l. Filium* 4. D. *de Collat. bonor.* Et Papinianus *in l. Pater* 14. D. *ad l. falcid.*

36. Imp. Testamenta non habere vires, nisi fiant unico contextu §. *Sed cum paulatim* 3. *in fin. Inst. de Testament. ordinand.* Idem Ulpianus in *l. Heredes palam* 21. §. *fin.* D. *qui testam. fac. poss.* Africanus verò, posse intervenire interim tractatum de mandato *l. Quidem, cum* 46. D. *de hered. Instit.* Ulpian. Pignus posse constitui *l. non est mirum* 26. *pr.* D. *de pign. act.* Et ipse Imp. multa alia posse intercedere *l. Cum antiquitas* 28. *C. de testam. ordin.*

37. Imp. Legatarium inter testes ad confirmationem testamenti admitti & per hoc testamentum non vitiari §. *legatariis autem* 11. *Instit. de testam. ordin.* Idem Ulpianus *in l. Qui testamento* 20. *pr.* D. *Qui testam. fac. poss.* Pomponius verò, *in l. Nullus* 10. D. *de testib.* Nullum esse testem in re propria idoneum, & Ulpianus *in l.* 1. §. *in propria* 11. D. *quand. appell.* Eam esse propriam causam cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet.

38. Imp. Ad testamentum filiif. de castrensi peculio testantis post missionem, patrem inter testes adhiberi non posse §. *In testibus* 9. *vers. Sed si filiusfam. Inst. de testam. ordin.* Ulpianus verò, *in d. l. Qui testamento* 20. §. *per contrarium* 2. D. *qui testam. facer. poss.* Patrem indistincte posse esse testem in testamento filii, de Castrensi peculio disponentis.

39. Imp. Testamentum factum inutiliter ante militiam non confirmari ex eo quod Testator sit factus miles, nisi dicto vel facto voluntatem eam, cum miles est, probaverit. § *sed & si quis* 4. *Inst. de Testam. milit.* Idem Julianus *in l. Tribunus* 20. §. 1. D. *eod.* Ulpianus verô, sufficere, si militis voluntas non sit contraria. *l. In fraudem* 15. §. *Testamentum* 2. D. *eod.*

40. Imp. Filiumf. non posse testari de ullis bonis, exceptis tantum castrensibus vel quasi & sic

nec

nec de adventitiis. in quib. pater non habet usumfr. *pr. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam.* & *in l. pen. C. qui testam. fac. poss.* Papinianus vero *in l. Imperator* 50. *D. ad Sc. Trebell.* Filiumf. in bonis iis, in quib. patri non est datus ususfructus, militi comparari. Filiusf. autem miles potest testari: & ipse Imp. Duntaxat permissum esse filiof. testari de bonis, in quibus patri est constitutus usufructus *l. fin.* §. *Ipsum autem* 5. *versic. filiis a. famil. C. de bon. quæ lib.* & sic consequenter concessam testandi facultatem in bonis, in quibus est patri ademtus ususfructus. Idem *in Novell.* 117. *c.* 1. §. 1.

41. Imp. Impossibilem conditionem Institutionibus & legatis adjectam pro non scripta haberi §. *Impossibilis* 10. *Inst. de hered. Inst.* Papinianus verò, per adjectionem ejusmodi conditionis, testamentum infirmari *l. filius, qui* 15. *D. de condit. Inst.* Et Marcianus *in l. si Titius.* 16. *D. eod.* Nec non Imp. §. *fin. Inst. de legat. in fin.* legata impossibilia, legib. interdicta, aut alias probrosa non valere.

42. Imp. Sufficere, ut cui plures conditiones disjunctim sunt adscriptæ, cui libet, obtemperet. §. *si plures* 11. *in fin. Inst. de hered Instit.* Idem & Florentinus *in l. si plures* 17. *D. de condit. Instit.* Imp. vero, *in l. Generaliter* 6. *C. de Instit.* & *substit.* omnes partes conditionum, disjunctim appositarum, esse implendas. & Julianus *in l. si is, qui ducenta* 13. §. *utrum.* 3. *D. de reb. dub.*

43. Imp. Si instituto heredi, coherede substituto dato, alius fuerit ei substitutus, ad utramque partem substitutum admitti §. *sed si instituto pen. Inst. de vulg. substit.* Scævola vero *in l. Qui habet* 47. *D. eod.* non pertinere ad substitutum partem utramque.

44. Imp. *in* §. *fin. Inst. eod.* Si quis servum alienum, quem putabat esse liberum, instituerit eique substituerit Mævium, Mævium in partem vocari ad hereditatem. Et partis nomine inter duos dimidiam,

inter plures æqualem denotari, Imp. *in §. si plures* 6. *Inst. de hered. Instit.* Et Ulpianus *in l. legata* 19. §. *fin. D. de legat.* 1. Iulianus verò *in l. si paterfamil.* 40. *D. de hered. Instit.* duos fieri semisses & unum semissem inter Mævium & dominum instituti dividi.

45. Imp. §. *Non solum* 4. *Instit. de pupill. substit.* Posse patrem filio exheredato substitutum dare. Gordianus verò Imper. *In l. ab eo* 9. *C. de fideicomm.* ab eo, qui neque legatum, neque fideicommiss. neque hereditatem, vel mortis causa donationem accepit, nihil relinqui posse.

46. Imp. Ex eo solo non infirmari testamentum. quod testator id valere noluerit, sed per aliud testamentum jure perfectum revocari §. *pen. Inst. quib. mod. test. infirm.* Ulpianus verò; heredem qui non habet voluntatem Testatoris, licet sit institutus, non posse admitti ad successionem *l.* 1. §. *si heres* 8. *D. si tab. non ex. tab.* Nec sunt fraudandæ voluntates testantium.

47. Imp. Principem legibus quidem solutum esse, sed legibus vivere. §. *fin. in fin Inst. quib. mod. testam. infirm.* Theodos. verò & Valentin. *in l. Digna vox est.* 4. *C. de legib.* Dignam esse vocem majestate, legibus alligatum se profiteri: Principis authoritatem pendere ab authoritate juris: legibus submitti principatum: Nec esse licitum Principi, quod non est permissum aliis.

48. Impr. Legata esse præstanda ab herede. §. 1. *Inst. de legat.* Papinianus, viâ rectâ ad legatarium transire, nec requiri factum heredis. *l. legatum.* 80. *D. de legat.* 2. Celsus verò, ab ipso testatore posse præstari *l. Lucius* 22. *D. de legat.* 2.

49. Imp. *in §. sed si rem* 10. *Inst. de legat.* rem legatarii propriam non deberi, licet legatarius eam alienaverit. Idem Ulpianus in *l. cætera* 41. § *Tractari* 2. *D. de. legat.* 1. Celsus verò in *l.* 1. §. *fin. D. de regul. Caton.* si tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore non est tuus: si eum vivo testatore alienaveris, legatum tibi deberi.

50. Impr.

50. Imp. Fundo sive instructo vel cum instrumento legato, eoque fundo alienato, instrumenti legatum extingui. *§. si quis ancillas 17. in fin. Inst. de legat.* Et Paulus *in l. 1. § 1. D. de instruct. vel instrum. legat.* Labeo verò *in l. si cui fundus 5. D. eod.* fundo cum instrumento legato idem admitti, sed non fundo instructo. Aliter idem Paulus in *d. l. 1. pr.* sive fundus legatus est instructus, sive cum instrumento: duo legata intelligi: Ex quo colligitur uno extincto alterum deberi. Item Pomponius, eas res, quæ instrumenti fundi sunt, perindè ad legatarium pertinere ac si nominatim essent legatæ, *l. si ita legatus 16. princ. D. de us. & habit.* Si autem sint nominatim relictæ, diversa constituent legata, quæ singuli in se habebunt suam essentiam.

51. Imp. Si generaliter res relinquatur, electionem esse legatarii, nisi testator aliud dixerit. *§. si generaliter 22. Inst. de legat.* & Ulpianus *in l. Quoties 2. § 1. D. de opt. legat.* Idem verò Ulpianus: si non appareat, de quo cogitaverit Testator, electionem esse heredis. *l. si quis à filio 32. §. si quis plures 1. D. eod.* Idem *in l. legato 37. §. 1. eod.* Item Paulus *in l. Cum certum 4. D. de Tritic. vin. vel ol. leg.* Quinimò Ulpianus, non optimam, non pessimam, sed medii precii rem esse solvendam. *d. l. legato 37. in pr.*

52. Imp. Errorem in nomine, cum de persona constat, non obesse legato, nec heredis institutioni, *§. si quidem 29. Inst. de legat.* Ast Ulpianus *in l. Quotiens 9. D. de heredib. Instituend.* Quotiens volens alium heredem scribere, alium scripserit, nihil actum esse: nec heredem esse, qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum, quem voluit, quoniam non est scriptus.

53. Imp. Rem, quæ non est in commercio, inutiliter legari *§. Non solum 4. vers. sed si talis sit. Inst. de legat.* adeò, ut nec æstimatio peti possit *d. l. non solum. 4. vers. sed si.* Et Ulpianus in *l. Cum servus. 39. §.*

Item

Item campum 9. & *fin. D. de legat.* 1. Iavolenus verò, licet pro parte non possit capere, in solidum æque posse *l. Cum ei.* 42. *D. de leg.* 2. Et Ulpianus *in l. sed si res* 40. *D. de legat.* 1. Marcianus *in l. filiusfam.* 114. §. *si quid alicui.* 5. *D. eod* Paulus *in l. mortuo bove* 49. §. *sed proculus* 3. *D. de leg.* 2. Æstimationem rei, quæ non sit in commercio, deberi.

54. Imp. Si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur, & æstimationem ex uno sit consecutus, ut rem consequatur, agere posse. §. *si res aliena in fin. Inst. de legat.* Ulpianus *in l. planè* 84. §. *sed si* 2. *D. de legat.* 1. Iulianus verò *in l. Hujusmodi* 84. § *si sempronius* 2. *D. eod.* Exceptione legatarium hoc casu repellendum esse, si non sit precio contentus & rem, cum precium accepit, petat. Idemque, in *l. si tibi homo* 86. §. 1. *D. eod.* ex duobus testamentis semel tantum deberi.

55. Imp. In conjunctione mixta. verbis & re facta, esse jus accrescendi, si unus ex legatariis legatum spreverit, aut decesserit, aut alio modo defecerit. §. *si eadem* 8. *Inst. de legat.* Ulpianus verò, in *l. Item quod Sabinus* 17. §. *unde* 1. *versic. nam quantum D. de hered. Inst.* quantum ad jus accrescendi, non esse conjunctos, qui sine parte vocantur. Mixtim autem conjuncti, partes non habent. *l. Triplici* 24. *D. de verbor. signif.* Et Pomponius *in l. si duobus.* 16. *D. de legat.* 1. Si duobus res conjunctim (sc. mixtim) legata sit, quamvis alter in rerum natura non fuerit (& sic defecerit) alteri solam partem deberi. Ulpianus *in l. plane* 34. §. *si conjunctim* 9. *D. eod.* Partem quoque facere hos, quorum in personis non constitit legatum, quique defecerunt, ita, ut reliqui, qui concurrunt, tantum ad partem possint admitti. Idem Iulianus *in l. Hujusmodi* 84. §. *si Titio* 8. *D. Eod.* Gajus in *l. si Titio* 55. *D. de legat.* 2. Partem deficere per mortem unius ex legatariis. Papinianus *in l. mulieri & Titio* 74. *D. de condit. & demonstrat.* Repudiationem Collegatarii unius alteri non prodesse ac idem *in l. Dominus* 57. §. 1. *D. de usufr.* Partium emolu-

emolumenta ex personis vita decedentium ad proprietarium in usufructu recurrere.

56. Imp. Jus accrescendi etiam habere locum in conjunctione reali. *d. §. si eadem* 8. *Inst. de legat.* Paulus in *l. Re conjuncti.* 89. *D. de legat.* 3. Gajus verò *in l. sicut* 5. *D. de adimend. legat.* In conjunctione reali esse tacitam ademtionem, quia continet translationem. Pomponius verò, *in l. Qui duos* 13. *§. fin. D. de legat.* 2. Solidum singulis deberi: solidum enim separatim, sive separatis orationibus legatur, ut apparet ex *d. §. si eadem* 8. *in fin.*

57. Imp. Ex sententia Papiniani *in l. verbis.* 5. *vers. Quod si* D. *Ad. l. Falc.* si debitor creditori legaverit, quod debet, utile esse, si in diem debeat. vel sub conditione, & dies venerit, vel conditio extiterit: quia semel, sive ab initio constitit. *§. Ex contrario* 14. *Inst. de legat.* Paulus verò, inutile effici, quamvis initiò valuerit. *l. debitor.* 82. *pr. D. de legat.* 2.

58. Imp. Grege legato, etiamsi ad unam ovem pervenerit, quod superfuerit, vindicari posse, *§. si grex.* 18. *Instit. de legat.* Et Pomponius in *l. si grege legato* 22. D. *de legat.* 1. Ulpianus verò, in *l. Quid tamen.* 10. *§. fin.* D. *quib. mod. usuf. amittit.* Quadrigæ usufructu legato, si unus ex equis decesserit, extingui usumfructum etiam in reliquis. Et Pomponius, in *l. fin.* D. *eod.* Cum gregis ususfructus legatus est, & usque eo numerus pervenit gregis, ut grex non intelligatur, perire usumfructum.

59. Imp. Falsam demonstrationem non vitiare legatum *§. Huic proxima* 30. *Inst. de legat.* Marcianus, *in l. Falsa* 33. D. *de cond. & dem.* Papinianus verò, *l. Cum tale* 72. *§. fin.* D. *eod.* falsam legati demonstrationem non facere legatum. Et Ulpianus ex falsa demonstratione nihil deberi. *l. si sic legatum.* 75. *§.* 1. D. *de legat.* 1.

60. Imp. In l. falcidia quantitatem patrimonii ad tempus mortis redigi. *§. Quantitas autem* 2. *Inst. ad l. Falcid.*

Falcid. Papinianus in *l. Quod bonis* 15. *Quod avus* 3. *D. eod.* Julianus verò in *l. Si Creditor.* 83. *D. eod.* ad tempus aditæ hereditatis referri. Id fieri oportere ſuadet ratio, quia legata intereunt damno legatariorum. §. *Si res legata.* 16. *Inſt. de legat.*

61. Imp. Ad hoc, ut fideicommiſſum valeat, opus eſſe, ut aliquis recto jure teſtamento heres inſtituatur, ejuſque fidei committatur. §. *Imprimis* 2. *Inſtit. de fideicommiſſ. hereditat.* Ulpianus *in l.* 1. §. *Cujus* 2. D. *ad SC. Trebell. Verb: quib. ex teſtamento &c.* Idem verò Imp. *In* §. *Præterea* 10. *Inſt. eod.* ab inteſtato fideicommiſſa relinqui poſſe: Et Impp. Car. Catin. & Numeria *in l. Si per fideicommiſſum* 3. *C. Ad SC. Trebell.* Dioclet. & Maxim. *in l. Et ſine C. eod.*

62. Imp. Ex ſingulis rebus per fideicommiſſum relictis quartam retineri poſſe. §. *ſed quia heredes.* 5. *verſ. Exceptis Inſt. de fideicommiſſar. hereditat.* eamque Trebellianicam, ut ex contextu. *d. verſ. Exceptis* colligitur. Idem in *l. Tanta* 2. §. *Quintus* 6. *C. de. veteri jur. enucl.* Idem verò, ſe exæquaſſe legata fideicommiſſis ſingularibus & fideicommiſſa legàtis, ut idem obtineat in fideicommiſſis, quod in legatis, & ſic lex falcidia habeat locum. *l. Omne.* 2. *C. Commun. de legat.*

63. Imp. Legata etiam in Codicillis relinqui poſſe *pr. Inſt. de Codicill.* ubi filia Lentuli legata ſolvit cum jure non cogeretur: Et hæc ipſa res poſtmodum producta eſt ad neceſſitatem juris. Idem autem *in d.* §. *præterea* 10. *in fin. Inſtit. de heredit. fideicommiſſ.* tantum in teſtamento legata dari. Ita & Modeſtinus *in l. legatum* 36. *D. de legat.* 2.

64. Imp. Si quis teſtamentum facere non poſſit, Codicillos tamen poſſe. *pr. Inſt. de Codicill.* Marcianus verò in *l. Divi.* 6. §. *Codicill.* 3. *D. eod.* Paulus in *l. Conficiuntur* 8. §. *Codicilli.* 2. D. *eod.* nemini eſſe poteſtatem condendi Codicillos datam, qui non poſſit teſtamentum facere.

65. Imp

65. Imp. Codicillos ante teſtamentum factos valere, ſi Probari non poſſit Teſtatorem ab iis in teſtamento receſſiſſe. §. *non tantum* 1. *Inſt. de Codicill.* Papinianus verò *in l. Ante tabulas* 5. *D. eod.* non valere aliter, quam ſi teſtamento vel aliis codicillis confirmentur.

66. Imp. Codicillos nullam ordinationis ſolemnitatem requirere. §. *fin Inſt. de Codicill.* Idem verò in *l. final. in fin C. Eod.* requiri ad ordinationem Codicillor. neceſſario quinque teſtes.

67. Imp. Obligationes pertinere ad jus rerum. *pr. Inſt. de oblig.* Paulus verò *in l. obligationum* 3. *D. de oblig. & act.* ad ſubſtantiam obligationum non pertinere, ut aliquod corpus noſtrum vel ſervitus noſtra fiat, ſed ut perſona perſonæ obſtringatur. Ex quo patet ad jus perſonarum obligationum jura eſſe referenda.

68. Imp. Contrahi re, verbis, literis aut conſenſu. §. *fin. in fin. Inſt. de Obligat.* Gajus vero, Contrahi vel re, vel verbis vel conſenſu, omiſſa mentione literarum *l.* 1. §. 1. *D. eod.* & Paulus ex literis obligationem non iniri *l. non. figura* 38. *D. eod.*

69. Imp. Ex ſolutione indebiti eſſe contractum verum, eumque qui re fit. §. *id quoque* 1. *Inſt. Quib. mod. re contrah. oblig.* Idem ipſe, ex indebiti ſolutione naſci quaſi contractum. § *pen. Inſt. de obligat. q. quaſi ex contract.*

70. Imp. Condictionem ſoluti competere, cum quis ex errore ſolvit, nulla diſtinctione inter Juris & facti errorem appoſita. *d.* §. *Id quoque.* Conſtant. & Maxim. in *l. cum quis.* 10. *C. de jur. & fact. ignor.* diſtingui oportere inter ignorantiam juris & facti.

71. Imp. Creditorem, qui pignus accepit, re ſive rei traditione obligari. §. *fin Inſt. Quib. mod. re contrah. oblig.* Ulpianus verò *in l.* 1. *D. de pign. action.* Gajus *l. contrahitur* 4. *D. de pignor. & hypothec.* Paulus. *l. ſi is qui* 66. *D. de furt.* ſola conventione pignus contrahi.

72. Imp. Id, quod ex ſtipulatione pure facta de-

betur,

betur, confeſtim peti poſſe. *§. omnis* 2. *Inſt. De Verbor. Obligat.* Calliſtratus vero in *l. Debitoribus* 31. *D. de re Iudic.* Debitoribus non tantum petentibus dies ad ſolvendum eſſe dandos, ſed & prorogandos, ſi res exigat. Paulus, *in l. promiſſor.* 21. *§.* 1. *D. de Conſtit. pecun.* Iis, qui ſine die ſe obligarunt, modicum tempus ſtatuendum eſſe, non minus decem dierum, ut exactio celebretur. Idem, in *l. In fraudem* 45. *§. Fiſcalibus* 10. *D. de Iur. fiſc.* Fiſcalibus debitoribus in ſummis majoribus tres menſes, in minoribus duos prorogari poſſe ex arbitrio judicantis.

73. Imp. Spem debiti ex conditionali ſtipulatione ad & in heredes tranſmitti. *§. ſub conditione* 4. *in fin, Inſt. de Verbor. Obligat.* Scævola verò, *in l. Qui Romæ* 122. *§. Agerius* 4. *D. eod.* Non tranſmitti in heredes. Et Ulpianus, *in l. ſi cum heres* 4. *D. Quand. dies legat. ced.* Obligationem ex Legato conditionali ad heredem non transferri.

74. Imp. Ex duobus reis promittendi alium purè, alium in diem vel ſub conditione obligari poſſe: nec impedimento eſſe diem aut conditionem, quo minus ab eo, qui purè obligatus eſt, petatur. *§. fin. Inſt. De duob. reis ſtipul.* & Florentinus, *in l. Ex duob.* 7. *D. eod.* Papinianus vero, *in l. Eandem* 9. *§. ſed ſi quis* 1. *D. eod.* Non eſſe reos, à quibus impar eſt ſuſcepta obligatio. Et Venulejes, *in l. ſi ex duobus* 12. *pr. D. eod.* Non eſſe duos reos, ſi imparitas obligationis ſit in tempore.

75. Imp. Judiciales ſtipulationes eſſe, quæ à mero Iudicis officio proficiſcuntur §. *Iudiciales* 1. *Inſt. de diviſ. ſtipulat.* Prætorias, quæ à mero Prætoris officio *§. prætoria* 2. *Inſt. eod.* Ulpianus vero, Judiciales comprehendi ſub prætoriis *l.* 1. *pr. D. de prætor. ſtipulat.* & eſſe eas, quæ propter judicium interponuntur. *d. l.* 1. *§.* 1.

76. Imp. Licet initio utiliter res in ſtipulatum deducta ſit: Si tamen poſtea in aliquam cauſam, ex qua ſit inutilis, ſine facto promiſſoris devenerit, extingui ſtipula-

ſtipulationem §. *Idem juris eſt* 2. *verſ. Item contrà, licet. Inſt. de inutilib. ſtipulat.* Et Marcellus *in l. exiſtimo* 98. *D. de Verbor. Obligat.* Paulus verò, *in l. In ambiguis* 85. §. 1. *D. de Regul. Iur.* Non eſſe novum, ut, quæ ſemel utiliter ſunt conſtituta, durent, licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. Adde *c. factum legitime* 73. *D. eod. in* 6.

77. Imp. Eum, qui alium daturum facturumve promiſit, non obligari §. *ſi quis alium* 3. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* Julianus verò, *in l. nemo eſt.* 5. *D. de duob. reis conſtit.* Neminem eſſe, qui neſciat operas alienas promitti poſſe. Paulus *in l. hominis* 3. *D. de uſ. & uſuf. legat.* Hominis liberi operas legari, locari, & in ſtipulationem deduci poſſe. Et Ulpianus, valere ſtipulationem, alium ſiſti *l. quoties* 81. *D. de Verbor. Obligationib.*

78. Imp. Alteri neminem niſi filiumf. Patri, Servum domino poſſe ſtipulari §. *ſi quis alii* 4. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* Ulpianus, *in l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri* 17. *D. de Verbor. Obligat.* Ipſe verò Imp. *in l. Cum per* 2. *C. per quas perſon. nobis acquir.* Per Liberam perſonam non tantum condictionem ex mutuo, ſed & hypothecariam actionem acquiri. Et Ulpianus *in l. certi condictio* 9. §. *ſi nummos* 8. *D. de reb. credit.* Condictionem nobis competere, ſi alius ſuos nummos noſtro nomine alteri annumeraverit.

79. Imp. Si quis ſibi & alii ſit ſtipulatus, valere tantum pro dimidia parte. *d.* §. *ſi quis alii* 4. Javolenus verò, in totum valere, ſed alterius adjectionem pro ſupervacuo habendam eſſe, *l. proprium* 5. *D. Commun. Præor.* Idemque *in l. Fundus ille* 64. *D. de contrah. Emt.*

80. Imper. Inutilem eſſe ſtipulationem etiam ſi quis plus promittat, quam fuit intergatus; quia ſtipulationi non quadrat reſponſio. §. *præterea inutilis eſt.* 5. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* Ulpianus verò *in l* 1. §. *ſi ſtipulanti* 4. *D. de verbor. Obligat.* ſi ſtipulanti mihi

decem, *tu viginti* reſpondeas, eſſe contractam obligationem, ſed non niſi in decem. Manifeſtiſſimum enim eſt, in viginti eſſe decem.

81. Imp. Inter abſentes verborum obligationem non poſſe contrahi. §. *Item verborum* 12. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* Paulus verò, literis fieri poſſe ſtipulationem *l. Ea*, *quæ marito*. 57. *D. de donat. intervir. & uxor.*

82. Imp. Fidejuſſorem etiam poſſe accedere ad obligationem naturalem §. *in omnibus* 1. *Inſt. de fidejuſſ.* Ipſe verò Imp. *in* §. *Fidejuſſores*. 5. *eod.* Fidejuſſores non poſſe accipi in duriorem conditionem, quam ipſe reus acceptus eſt. Durior autem eſt conditio Fidejuſſoris, qui poteſt pulſari efficaci actione, quam Rei, contra quem non datur actio, ſed tantum exceptio.

83. Imp. Si de alia re ſtipulator, de alia promiſſor ſenſerit, nullam eſſe obligationem §. *ſi de alia* 22. *Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Paulus verò, *in l. ſi id quod aurum* 22. *D. de verbor. obligat.* obligationem tenere.

84. Imp. Fidejuſſorem non eſſe obligatum, ſi in majorem ſummam, quam reus debet, ſe obligaverit. §. *fidejuſſores* 5. *Inſt. de fidejuſſor.* ne quidem uſque ad quantitatem concurrentem, uti expreſſit Ulpianus, *in l. Græcè* 8. §. *illud*. 7. D. *eod.* Iulianus verò, fidejuſſorem teneri uſque in concurrentem quantitatem *l. rogatus* 33. D. *mandat.*

85. Imp. Literarum obligationem eſſe validam poſt lapſum biennii *pr. Inſt. de literar. obligat.* Idem *in l. In contractibus*. 14. *pr. C. de non num. pecun.* Ulpianus verò, *in l.* 1. §. *conventionis* 3. D. *de pact.* nullam eſſe obligationem citra conventionem; & *in l. Iuriſgent.* 7. §. *ſed cum nulla* 4. D. *de pactis.* nullam eſſe obligationem ſine cauſa. In tempore verò nulla conventio, nulla cauſa debiti. Imò nec tempore poteſt deſinere obligatio, ſecundum Paulum *in l. Obligationum* 44. §. 1. D. *de obligat. & Actionib.*

86. Imp. Præciſè à venditore rem eſſe tradendam

§. *ſed*

§. sed & certum 1. *versic. tunc omnimodò. Inst. de emt. & vendit.* Et Ulpianus, *in l. Ex emto* 11. *§. Et inprimis* 2. *D. de actionib. emt.* Ulpianus verò, *in l.* 1. *D. eod.* Celsus, in *l. si jactum* 12. *D. eod.* Et Impp. *in l. si traditio.* 4. *Cum venditorem* 10. *C. eod.* si non fiat traditio, agendum esse in id quod interest.

87. Imp. in §. *cum autem* 3. *Inst. de emt. & vend.* periculum rei emtæ ad emtorem pertinere, licet nondum sit tradita. Paulus verò *in l. Quod si neque* 14. §. 1. *D. de peric. & comm. rei vend.* periculum esse venditoris ante traditionem. Et Africanus, venditorem teneri precium restituere. *l. si fundus* 33. *D. locat.*

88. Imp. A conductore præstandam esse diligentiam exactissimam pro usu vestimentorum & jumenti *§. pen. Inst. de locat.* Et Gajus *in l. si merces* 25. *§. Qui columnam* 7. *D. eod.* Ulpianus verò, *in l. Et ita de facto* 3. *§. ait Prætor.* 1. *D. naut. caupon. stabular.* conductorem teneri tantum de levi culpa.

89. Imp. Morte unius ex sociis finiri societatem, nisi aliter convenerit. §. *solvitur adhuc* 5. *Inst. de societ.* Pomponius verò *in l. adeo* 59. *D. eod.* non valere pactum, ut post mortem societas duret, & heres in eam succedat.

90. Imp. Culpam levem esse in societate juxta, *§. fin. Inst. eod.* omissionem ejus diligentiæ, quam quis suis rebus adhibet. Celsus verò, *in l. Quod Nerva.* 32. *D. depos.* culpam latam committi, cùm quis alienis minorem quam suis adhibet negotiis.

91. Imp. Mandatum morte finiri §. *item si adhuc* 10. *Inst. de mandat.* Paulus verò *in l. fin. D. de solution.* Mandatum morte non extingui.

92. Imp. In negotiorum gestione præstari levissimam culpam. §. *Igitur.* 1. *in fin. Inst. de oblig. q. quas. ex cont.* Impp. verò *in l. Tutori* 20. *C. de negot. gest.* præstari levem.

93. Imp. Non esse permissum aliud pro alio solvi invito creditori *pr. Inst. Quib. mod. toll. obligat.* Et Paulus

in l. mutuum 2. §. *mutui* 1. *in fin. D. de reb. cred.* Imp. verò, *in Nov.* 4. *c.* 3. res sive species solvi pro nummis. Et *in l. si quis argentum* 35. §. *sin autem donator* 3. *C. de donat.* æstimationem præstari pro servis, vel argento.

94. Imp. Actionem in rem dari contra illum qui nullo jure est obligatus actori. §. *omnium* 1. *vers. aut cum eo Inst. de Action.* Ipse verò *in* §. *Item si quis in fraudem* 6. & §. *Item serviana* 7. *Inst. eod.* Iunct. §. *sed. istæ* 3. & §. *in personam. Inst. eod.* actiones Paulianam & Servianam vel quasi, esse in rem: cum Pauliana detur contra fraudis conscios, Ulpianus *in l.* 1. *D. Quæ in fr. cred.* & Serviana ex pignore, quod constituitur. *d.* §. *Item serviana.* 7. §. *versic. Inter.* Quæ verò actiones sunt ex delicto vel quasi, Ex contractu vel quasi dicuntur & revera sunt in personam *d.* §. *omnium* 1.

95. Imp. Veterem actionem ac causam cessare, si jusjurandum postulante adversario, id est, vel Judiciale coram judice, vel voluntarium extra judicium fuerit præstitum *l. Item, si quis postulante* 11. *Inst. de action.* Novatur enim prior obligatio per jusjurandum. Paulus, *in l. Qui jurasse* 26. §. *fin. D. de jurejurand.* Ulpianus vero, *in l. si duo.* 13. §. *si quis juraverit* 3. §. *Idem. dicimus* 4. §. *Marcellus* 5. *D. eod.* post jusjurandum præstitum agi posse veteri actione ex Emto, pro socio, ac pigneratia.

96. Imp. Actiones præjudiciales in rem esse. §. *Præjudiciales* 13. *Inst. de act.* Ulpianus verò, *in l.* 1. §. *per hanc autem* 2. *D. de. Rei vindic.* Præjudicia non esse in rem speciales actiones: cui sententiæ convenit & ratio, quia præjudiciales actiones sunt de jure personarum, statu & conditione.

97. Imp. Mulierem in dote præferri omnibus creditoribus, si ipsa experiatur, cum ejus solius causa privilegium prælationis sit introductum. §. *fuerat* 29. *Inst. de action.* Et Impp *in l. un. C. de priv. dot.* Privilegium dotis ad heredem non transire. Ipse verò, *in l. assiduis* 12. §. 1. *versic. Exceptis. C. qui potiores in pignor.*

nor. hab. Filiis tribui idem beneficium. Et Ulpianus, in *l. Dotale* 23. §. *Heredi* 3. *de fund. dotal.* Heredi quoque mulieris idem auxilium præstari, quod mulieri præstatur.

98. Imp. Licere errorem corrigere in eodem judicio, hoc est, post litem contestatam §. *si quid aliud* 35. *Inst. de action.* Paulus, *in l. In delictri.* 4. §. *fin. vers. Donec autem prius. D. noxal. action.* Paulus verò, in *l. non potest* 23. *D. Iudic.* non posse in Judicium deduci, quod ex postfacto accidit. Et Iavolenus, in *l. ut fundus* 18. *D. Commun. divid.* Ultra id quod in judicium deductum non posse excedere potestatem judicis.

99. Imp. in §. *Cæterum* 1. *in fin. Inst. si quadrup. pauper. feciss. dicat.* actiones pænales de eadem re concurrentes, se invicem nunquam consumere. Ulpianus, in *l. si servus* 27. *D. ad leg. aquil.* Idem, in *l. Nunquam* 2. D. *de privat. del.* Paulus verò, Raptorem etiam furti teneri, sed, si antè actum sit vi bonorum raptorum, denegandam esse furti. *l.* 1. *D. de vi bon. raptor.* Et Modestinus, in *l. Plura delicta* 53. *pr. D. de Obligat. & Act.* Plura delicta in una re, plures admittere quidem actiones, sed nullum posse omnibus uti: una enim, non omnibus utendum est.

100. Imp. *l. in* §. 1. *versic. Aliquandò. Inst. de perpet. ac temporal. action.* Heredem non posse conveniri, si ad eum nihil pervenerit ex dolo defuncti in contractu commisso. Ulpianus verò, *in l. Ad ea.* 157. §. *fin. D. de regul. Iur.* In contractibus successores, ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur.

101. Imp. Si reus satisfaciat actori ante rem judicatam, officio judicis convenire, eum absolvere, ac omnia judicia esse absolutoria. §. *fin. Inst. de perpet. & temp. action.* Ulpianus, in *l. Item si.* 14. §. *fin.* D. *De eo, quod met. caus.* Si sponte rem ante sententiam restituerit, omnes liberari. Paulus verò, in *l. reus* 73.

D. de procurator. distinguendum esse inter litem contestatam & non contestatam. Et Ulpianus, in *l. Qui ea mente* 65.*de D. furt.* pænitentia ac restitutione neminem absolvi posse. Gajus, in *l. non prodest.* 5. *D. de vi bonor. raptor.*

102. Imp. Qui pactus est cum reo, ne à se petatur pecunia, videri tacitè esse pactum, ne possit à fidejussore petere. §. *fin. Inst. de replicat.* Ulpianus vero, *in l. nisi hoc actum* 22. *D. de pact.* Non habere fidejussorem exceptionem pacti cum reo initi de non petendo.

103. Imp. Interdictum, *unde vi*, etiam competere dejecto, licet ipse vi, clam, aut precario possideat à dejiciente. §. *Recuperandæ* 6. *Inst. de Interdict.* Ulpianus verò, tunc dari hoc interdictum ei, qui dejecit, si sit dejectus ab alio, non ab eo, quem dejecerat. *l.* 1. §. *Qui à me* 30. D. *de vi & vi arm.* Nec enim adjuvandus est, qui contra leges ipse quid commisit, Tryphoninus *in l. auxilium.* 37. *in fin. D. de minor.* Nemini quoque ex sua improbitate dari potest actio. Ulpianus, *in l. Itaque* 12. §. 1. D. *de fuit.*

104. Imp. Officio Judicis convenire, ut in judicando sequatur leges, vel mores. *pr. Inst. de offic. Iudic.* Ipse vero, Defensoribus civitatum incumbere, ut jurent, se omnia secundum leges & jura facturos: reliquis vero Judicibus ut sequantur quod iis visum fuerit justius & melius Auth. *Hodie. post l. Rem* 14. *C. de Iudic.*

105. Imp. In petitione hereditatis eadem circa fructus intervenire, quæ locum habent in vendicatione. §. *Etsi in rem* 2. *vers. Et si hereditas. Inst. de officio Iudic.* Ulpianus verò, *in l. Item veniunt.* 20. §. *Item non solum.* 3. *vers. Fructus.* D. *de petit. heredit.* Fructus omnes augere hereditatem, sive ante eam aditam sive post accesserint; adeoque eos videri petitos, licet nulla in formula petitionis heriditatis eorum mentio sit facta, cum jure ipsius principalis actionis contineantur.

Quod in rei vindicatione diverſum, quia ſpecialiter fructus ante litem conteſtatam percepti peti debent, & poſt eam percepti ad officium Iudicis ſpectant, ut alia omnia, quæ pendente judicio eveniunt & non poſſunt jure actionis videri in Iudicium deducta. Paulus, in *l. Non poteſt.* 23. *D. de Iudic.* Ulpianus, *in l. ædiles* 25. *§. Item ſciendum eſt* 8. *D. de Ædil. Edict.*

106. Imp. Gladio puniri adulteros *§. Item lex Iuliæ* 4. *D. de public. Iudic.* Conſtantinus, *in l. Quamvis* 30. *C. ad l. Iul. de adult.* Papinianus verò, adulteros non eſſe ultimo ſupplicio afficiendos, ſed inter adulterum & adulteram matrimonium non valere, nec hereditatem ab adultero adulteræ, nec ab adultera adultero relinqui poſſe, ſed relictam Fiſco vindicari *l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign.* Et Marcianus, eos, qui adulterium ſimul & inceſtum commiſerunt, eſſe deportandos *l. Si quis viduam* 5. *D. de quæſticn.*

107. Imp. Conſcium in parricidio eadem pæna, qua ipſe parricida afficitur, plecti. §. *Alia deinde lex.* 6. *Inſt. de public. Iudic.* Ulpianus, *in l. utrum* 6. *D. ad l. pomp. de paricid.* Scævolam verò, *in l. Frater* 2. *D. eod.* Fratrem, qui cognovit, nec patri indicaverat, relegari.

EXERCITIUM QUARTUM,

Resp. LAMBERTO ADIO,
Leovard. Frisio.

De Antinomiis secundum.

THESIS PRIMA.

PRocedemus ad loca nonnulla Pandectarum, in quibus apparens se antilogiæ species offert. Respondet Paulus, *in l. Ius pluribus* 11. *D. de Iust. & jur.* Prætorem quoque jus reddere, etiam cum iniquè decernit. Et Mæcianus, *in l. Servo invito.* 65. §. *cum Prætor. D. ad SC. Trebell.* Cum prætor causâ cognitâ etiam ambitiosè jubet ex fideicommisso hereditatem restitui, publicè interesse, restitui propter rerum judicatarum authoritatem. Impp. verò, *in l. Rescripta.* 7. *C. de precib. Imp. off.* Rescripta Principis contra jus elicita à Judicibus esse refutanda. Si Principis, cujus majestate multis modis est inferius Prætoris Imperium, multo magis Prætoris decreta. Undè Ulpianus ambitiosa decreta rescindi debere *l. Ambitiosa* 4. D. *de decret. ab ordin. faciend.* Paulus, factum à judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non esse. *l. Factum* 170. *D. de regul. jur.* Ulpianus, Prætoris factum juri non derogare. *l.* 1. §. 1. D. *de feriis.*

2. Celsus, *in l. Quod non* 39. D. *de legib.* Quod non ratione, sed errore est introductum, non obtinere. Paulus verò, *in l. supellectili* 3. §. *fin. in fin.* D. *de supellect. legat.* Errorem jus facere. Ulpianus, *in l. Barbarius* 3. D. *de offic. Prætor.* Idem, *in l. si quis patremf.* 3. D. *Ad SC. Macedon.*

3. Ulpianus, *in l. nec ei* 17. *pr.* D. *de adoption.* Negari ei, qui tutelam vel curam administravit, arrogare minorem suum. Papinianus verò, tutori permit-

mittendum esse suum privignum arrogare. *l. nonnunquam 32. §. 1. D. eod.*

4. Marcianus *in l.* In *tantum* 6. *§. fin.* D. *de rer. divis.* Cenotaphium magis esse locum religiosum. Ulpianus verò, *in l. vel quod paterfamil. §. fin.* D. *de religios.* Cenotaphium posse vendi, cùm non sit religiosum.

5. Marcianus, *in l. omnes 2. §. 1. D. de offic. proconsul.* Apud Legatum proconsulis neminem posse manumittere. Paulus verò *in l. apud* 17. §. 1. *D. de manumiss. vind.* Et apud Legatum manumissionem jure fieri.

6. Pomponius, *in l. legati* 13. *D. de offic. procons.* legatos proconsulis nihil proprium habere: Macer verò, *in l. Cognitio* 4. §. 1. D. *de offic. ejus cui mandat. est Iurisdict.* Legatis propriam Iurisdictionem dari.

7. Ulpianus, *in l.* 1. §. 1. *in fin.* D. *quod quisque Iur.* Conatum non officere, cum injuria nullum habuerit effectum. Idem verò, *l. si quis iniquum.* 3. *pr.* D. *eod.* Edicto locum esse, licet, qui impetravit, non fuerit novo jure usus. Callistratus, *in l.* Divus 14. D. *Ad. l. Cornel. de sicariis.* voluntatem in delictis spectari, non exitum.

8. Ulpianus, *in l. unic. pr.* D. *si quis jus dic. non obtemp.* omnibus Magistratibus concessum esse Jurisdictionem suam defendere pænali judicio. Idem verò, *in l. Qui Iurisdict.* 10. D. *de Iurisd.* Qui Iurisdictioni præest, nec sibi, nec suis jus dicere posse. Et. Impp. *in l. unic. C. Ne quis in sua caus. judic.* In re propria iniquum admodum esse, alicui licentiam tribuere sententiæ.

9. Gajus, *in l. Arbitro* 9. D. *Qui satisd. cogant.* Arbitro ad fidejussores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium videbitur, perindè ab eo, atque à Iudicibus appellare licere. Ulpianus vero, ob pietatem non revocari arbitri sententiam.

l. fin. D. famil. ercisc. Et Imp. Antoninus non posse ab arbitri sententia appellationem fieri, *l. 1. C. de recept. arbit.* Et Paulus *in l. non distinguemus* 32. *§. cum quidam* 14. *D. de recept. qui arbitr. recep.*

10. Gajus, *in l. Et si* 8. *D. si quis cautionib. jud. sist. caus. fact. non ob temp.* Defendi eum per Exceptionem debere, qui post tres, aut quinque pluresve dies, quam judicio sisti promiserat, secum agendi potestatem fecerit, nec actoris jus ex mora deterius factum sit: adeoque moram purgari posse in obligationibus, quæ diem & pœnam habent. Africanus verò, *in l. Trajectitiæ* 23. *D. de obligat. & action.* Non dari purgationem moræ cum dies & pœna adjiciuntur.

11. Ulpianus, *in l. jurisgentium* 7. §. Sed & si *in alium* 2. *versic. Et ideo. D. de pactis.* Si tibi Stichum dederim, ut *Pamphilum* manumittas, & manumisso *Pamphilo* Stichus sit evictus, non prætoriam in factum, sed civilem incerti, præscriptis verbis, actionem dandam: Julianum autem sensisse dandam esse prætoriam & meritò à Maurician. esse reprehensum. Paulus verò, Julianum scripsisse hoc casu dandam esse civilem. *l. Naturalis* 5. *§. At cum do* 2. *in fin. D. de præscript. verbis.*

12. Ulpianus *in d. Iurisgent.* 7. *§. Quinimo* 5. Pacta in continenti adjecta bonæ fidei judiciis inesse etiam à parte actoris, ut actioni dent formam. Maximinus, *in l. in bona fidei* 13. *C. eod.* Adeoque in contractibus stricti juris diversum esse. Paulus verò, *in l. lecta* 40. *D. de rebus Cred.* Pacta in ingressu negotii addita contractui stricti juris, qualis est stipulatio, inesse à parte actoris. Idem, *in l. Item, quia* 4. *§. fin. D. de pact.*

13. Ulpianus videtur ex verborum consequentia, asserere, *in l. si unus* 27. *pr. D. de pact.* Unum ex duobus reis stipulandi non posse novare. Venulejus verò, *in l. si rem aliquam.* 31. *§. si duo rei D. de novation.* Novatione ab uno ex reis stipulandi facta, debitorem liberari quoque ab altero.

14. Ulpianus, *in d. l. si unus* §. *pactus* 2. *si* reus sit stipulatus, ne creditor peteret & postea convenerit rursus ut peteret, fidejussorem priori pacto liberatum, ex posteriori esse rursus obstrictum. Furius verò Anthianus, *in l. fin. D. eod.* ex posteriori pacto, non obligari fidejussorem.

15. Celsus *in l. avus* 33. *D. eod.* Pactum avi, *ne à se vel filio petatur*, filio prodesse. Iulianus verò, *in l. Eum, qui ita* 56. §. 1. *D. de verbor. obligat.* pactum, *ne ab aliquibus ex heredibus petatur*, non prodesse iis: verum eos æque teneri.

16. Papinianus, *in l. Tale pactum* 40. §. *Pater.* 3. *D. de pact.* Pactum, quo pater cavit, ut, filiâ sine liberis defunctâ, ad fratrem heredem suum portio dotis rediret, hunc habere effectum, ut, si paciscens liberos reliquerit, non ad fratrem, sed liberos, si filia sine prole obierit, rediret. Ulpianus vero, *in d. l. si unus* 2. §. *Pacta, quæ.* 4. *in fin. D. Eod.* seriò & ante omnia animadvertendum esse, ne pactum, cum una persona initum, locum habeat in alia, vel ad aliam extendatur. Papinianus verò, *in l. Inter socerum* 26. §. *cum inter* 2. *D. de pact. dotalib.* conditione de qua paciscentes egerant, *non existente, apud maritum remanere dotem.*

17. Neratius, *in l. Ab Emtione* 58. *D. de pact.* Posse etiam ab Emtione recedere, licet res tradita, & plenè coutractus sit comsummatus. Pomponius, *in* l. *Si quam rem.* 2. *D. de rescind. vendit.* non aliter permissum esse recedere à contractu, quam rebus omnibus integris. Itaque si res non sit integra, non tam recedi à priori, quam contractum novum fieri

18. Pomponius, *in l. nemo. pen. D. de pact.* Neminem paciscendo hoc efficere posse, ne, vicino invito, prædium alienet. Imp. verò Instinianus, *in l. fin. C. de pact. inter. emtor. & vendit. compos.* Tale pactum esse fovendnm & immutilatum permanere.

19. Scævola, *in l. Imperatores.* 3. §. *cum transactio. D. de transact.* Transactionem factam ob fideicommissum

missum, testamento relictum, non efficere, quo minus id, quod codicillis post relictis amplius datum est, possit peti. Impp. verò, sub prætextu instrumenti post reperti *vel specierum post repertarum*, transactionem bona fide finitam rescindi non posse. *l sub prætextu* 19. *l. sub. prætextu* 29. *C. eod.* Et Scævola, *in l. lucius* 78. *§. fin. D. ad Sc. Trebell.* non resolvi conventionem, licet ex post inventis instrumentis appareat ultra quadruplum quem esse læsum.

20. Scævola, *in d. l. Impp.* 3. *§. Debitor, cujus.* 2. Transactionem cum herede putativo factam, non nocere nec prodesse vero heredi. Nec posse verum heredem ea exigere, de quib. putativus transegerat. Paulus, *in l. si tibi* 17. *§. cum possessor. pen. D. de Pact.* Paulus verò, *in l. Si post constitutam* 22. *in fin. D. de constit. pecun.* heredi vero, ex pacto putativi decerni actionem, Et Ulpianus, petitionem hereditatis ad hoc competere, ut possessor ea, quæ exegit, restituat. *l. sedet si* 25. *§. petitio* 18. *D. de petit. hered.* Et Julianus, *in l. Evicta* 55. *D. eod.*

21. Ulpianus, *in l. Qui cum tutoribus* 9. *§.* 1. *D. de Transact.* Transactionem strictè accipi, & tantum pertinere ad ea, de quibus nominatim est actum. Scævola verò, in *l. Qui Romæ* 122. *§. fin. D. de verbor. obligat.* Eos, qui super divisione hereditatis transegerunt, etiam videri transegisse de fideicommisso, licet ejus non sit facta mentio.

22. Ulpianus, *in l.* 1. *§. De qua.* 10. *D. de postuland.* Eum, qui in integrum restituitur à principe vel Senatu, infamem esse desinere. Impp. verò, *in l. fin. C. de general. abolit.* Indulgentiam & generalem principis abolitionem non tollere criminis infamiam. Et Impp. *in l. Generalis* 6. *C. de sentent. pass. & restitut.*

23. Papinianus, *in l. Imperator.* 8. *D. de postuland.* Eum, cui advocationibus est interdictum, quique in exilium est missus, Reversum ab exilio postulare posse: nec esse distinguendum, quo crimine, silentium

tium vel exilium sit irrogatum. Imp. Antoninus, *in l. 1. C. de his, qui in exil. dat. vel ab ord. miss.* Papinianus verò, *in l. ad tempus 5. D. de decurion.* Distingui oportere inter maleficia leviora, & ea, quæ infamiam irrogant. Arrius Menander, *in l. Qui cum uno 4. §. Ad tempus 4. D. de re milit.* Et Papirius Iustus, *in l. Imp. pen. D. de Decurionib.*

24. Ulpianus, *in l. Quid ergo 13. §. Crimen 8. D. de his, qui notant infam.* Crimen stellionatus infamiam irrogare damnato, quamvis non sit publicum judicium, Idem vero, *in l. stellionat. 2. D. de stellion. d.* judicium non esse famosum, sed pænam habere extraordinariam.

25. Ulpianus, *in l. servum quoque 33. §. publice 2. D. de procurator.* publice interesse absentes à quibuscunque defendi: & in capitalibus defensionem dari. Alexander Imp. *in l. Reos 3. C. de accusa.* Papinianus, *in l. miles 11. §. Ea quæ 2. D. Ad l. Iul. de adult.* Papinianus vero, *in l. accusatore 13. §. ad crimen 1. D. de public. Iudic.* ad crimen judicii publici persequendum frustra procuratorem intervenire: multoque magis ad defendendum, nisi agatur de causa absentiæ alleganda.

26. Ulpianus, *in l. si quis, cum 31. §. unius 1. D. de procurat.* Unius litis plurium personarum plures dari procuratores, non esse prohibitum. Idem verò, *l. Iam tamen 5. §. si tamen pen. D. Iudicat. solvi.* Et fidejussores, & heredes plures, necesse habere, unum procuratorem dare, ne defensio per plures scissa incommodo aliquo afficiat Actorem.

27. Ulpianus, *in l. Pomponius 40. §. Ratihabitionis 3. D. de procurat.* satisdationem ratihabitionis ante litis contestationem exigi: semel lite contestata procuratorem non compelli ad cautionem. Impp. vero, *in l. Commune 2. C. de consortibus. lit.* post litem contestatam exigi jure, dictam cautionem.

28. Scævola, *in l. Pomponius 9. D. de negot. gest.* reprobari non posse, quod semel est probatum Modestinus verò, *in l. ut gradatim 11. §. pen. D. de muner. & honor.*

& honor. Reprobari posse Medicum à Republ. licet semel probatus sit. Idem *in. l. si duas* 6. §. *sed et reprobari* 6. *D. de Excusat. tutor.* Imp. Gordianus, Grammaticos & oratores probatos reprobari posse. *l. Grammaticos seu Oratores* 2. *C. de professoribus & medic.*

29. Paulus, *in l. atquin natura* 19. §. *si libero* 2. *D. de negot. gest.* Non esse ex mandato, dato homini libero, qui bona fide serviebat, mandati cum eo actionem. Pomponius verò, *in l. Is, qui commodatum.* 19. §. *si libero fin. vers. Nam & Celsus. D. Commod.* dari eo casu actionem mandati.

30. Ulpianus, *in l.* 1. *D. Quod met. caus.* Metum non tantum instantem, sed & futurum facere locum Edicto, quod metus causâ. Idem vero, *in l. Metum* 9. *D. eod.* Metum instantem requiri, non suspicionem, vel futurum.

31. Callistratus, Vim esse & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. *l. Extat* 13. *vers. vis est. D. Quod met. causa.* Ulpianus verò, cum creditor rem sibi pigneratam aufert, non videri contrectare, sed pignori incumbere *l. cum Creditor* 55. *D. de furt.*

32. Ulpianus, si permisisses saxum ex tuo fundo ejici, & non patiaris, cum sumtus fecerim, me tollere, nullam dari aliam actionem, quam de dolo. *l. si cum mihi permisisses.* 34. *D. de dolo malo.* Pomponius verò, *in l. Permisisti.* 16. *D. de praescript. verb.* Vindicatione & ad Exhibendum agi posse.

33. Ulpianus, *in l. Denique Divus* 3. §. *si quis cum* 1. *D. de minor.* Eum non restitui, qui, cum aliquid in negotio, quod ab eo, adhuc existente minore, erat gestum, inciderit in majorem ætatem, tacite id probasse videtur, nisi adversarius fraudem fecerit. Idem verò, in *d. l. Denique* 3. §. *scio etiam* 3. minorem hoc casu esse restituendum.

34. Callistratus, *in l. si de vi* 37. *D. de Iudic.* Si de vi & possessione quæratur, prius esse cognoscendum de vi,

de vi, quam de proprietate quæratur. Marcianus, in *l. Qui catu* 5. §. *si de vi* 1. D. *ad l. Iul. de vi public.* Imp. verò Constantinus, *in l. si quis ad se* 7. *C. eod.* Et Severus Imp. *in l.* 1. *C. de appellat.* prius de possessione pronunciandum, & ita crimen violentiæ excutiendum esse.

35. Javolenus, in *l. non quemadmodum* 35. D. *de Iudic.* Iudicium esse non posse de his rebus, quæ postea in obligationem adventuræ sunt. Paulus verò, in *l. si stipulatus* 76. §. 1. D. *de verbor. Obligat.* Etiam futura in judicium deduci.

36. Ulpianus, in *l. si. instituta* 27. D. *de Inoffic.* Si de lite super querela pacto transactum est, nec fides ab herede transactioni spectatur, inofficiosi causam esse integram. Et Imp. Si diversa pars contra placita agere nititur, æquitatis rationem suadere, si id velis, causam ex integro agi *l. si diversa.* 14. *C. de transaction.* Imp. verò Alexander, in *l. cum mota.* 6. *C. eod.* in id quod interest agi, si placitis non stetur.

37. Ulpianus, in *l. sed & si* 25. §. *si ante litem contestat.* 7. *D. de petit. heredit.* Post motam controversiam possessorem fieri prædonem, &, ut talem, teneri ad fructus restituendos. Et Paulus, in *l. Bonæ fidei* 48. §. *in contrarium.* 1. D. *de acquir. rer. dom.* Ex quo possessor cognovit rem esse alienam, eum statim in mala fide constitui. Julianus verò, in *l. Qui scit.* 25. §. *Bonæ fidei* 2. D. *de usur.* Non antè possessorem desinere fructus suos facere, quam res sit evicta.

38. Paulus, in *l. planè* 38. *D. de petit. heredit.* Impensarum nomine etiam in prædonis persona esse habendam rationem, ne dominus fiat locupletior, sed ut prædo deducat ex re extante, quæ per sumtus est melior facta. Gajus verò, in *l. adeò* 7. §. *Ex divers.* 12. D. *de acq. rer. domin.* Mala fide ædificantem in solo alieno, amittere omnem materiam: adeo quidem, ut nec diruto ædificio possit vindicari.

39. Ulpianus, in *l. Idem Pomponius* 5. §. *Idem scribit.* 1. *versic.*

sed si deduci. D. *de Rei vindicat*. Si aurum & æs sit mixtum, dissolvi non posse. Callistratus *in l. lacus* 12. §. 1. D. *de acquir. rer. domin*. separari posse. Alciat. 6. *parerg*. 11. Undè Avellanus ex Authoritate vetusti Codicis negativam *in d. versic. sed si deduci*. tollit.

40. Idem Ulpianus, *in d. l Idem Pomponius* §. *De arbore* 3. De arbore, in alienum agrum translatâ, si ea coaluerit & radices immiserit, utilem esse dandam in rem actionem: & sic vindicari posse. Paulus verò *in l. sed si meis* 26. §. *Arbor*. 2. D. *de acq. rer. domin*. Arborem radicitùs erutam & in alio positam, ubi coaluerit, agro cedere: Et, si rursus eruta sit, non ad priorem dominum reverti: nam credibile est, alio terræ alimento aliam factam. unde Ulpianus, *in l. Hoc amplius* 9. §. *Alfenus* 2. D. *de damn. infect*. Arborem, quæ coaluit, vindicari non posse.

41. Julianus, *in l. Minicius* 61. D. *de Rei vindic*. Minicium respondisse, si quis navem suam aliena materia refecisset, manere navem reficientis: Sed si in ædificandæ idem fecisset non posse esse eam navem ædificantis, quia proprietas totius navis carinæ causam sequitur. Paulus verò, *in l. sed si meis* 26. D. *de acquir. rer. domin*. Si ex meis tabulis navem fecisses, navem tuam esse, quia cupressus non maneret.

42. Ulpianus, *in l. sed & si res* 7. § *Eum* 2. D. *de public. in rem action*. Eum, qui à furioso ignorans eum furere, emerit, posse usucapere. Paulus verò, *in l. pro Emtore* 2. §. *si à furioso*. 16. D. *pro emtor*. posse procedere usucapionem, si quis à furioso emerit etiam ignorans eum talem esse.

43. Paulus, *in l. ususfructus*. 4. D. *de usuf*. Usumfructum esse partem Dominii multis casibus. Idem verò, *in l. Rectè dicimus* 25. D. *de verbor. signif*. Usumfructum non esse dominii, sed servitutis partem. Qunimò nec potest esse juris perfecta divisio: usus-fructus autem est jus.

44. Ulpianus, *in l. sed & si* 25. §. *Interdum* 1. *Quid-*

ergo

ergo D. *de usufruct.* Julianum respondisse, rem, quæ à servo fructuario est emta, cujusque ei possessio acquisita, esse usufructuarii, si ex re usufructuarii precium adnumeraverit venditori servus amisso usufructu. Julianus verò, *in l. si servus* 23. D. *de Actionib. Emt.* Non esse usufructuarii eam rem, siquidem usufructu finito sit precium persolutum venditori.

45. Ulpianus, *in d. l. sed & si* 25. §. *si duo* 6. Servum casu ibi proposito partem possessori, ex cujus re est stipulatus, partem vero Domino acquirere. Gajus, *in l. communis.* 45. *D. d. acq. rer.* Domin. Idem verò Ulpianus *in l. Qui bona.* 23. §. *fin. D. de acquir. rer. domin.* Acquirere in solidum possessori, ex cujus re erat stipulatus.

46. Ulpianus, *in l.* 1. §. *Denique.* 1. D. *de usufr. accresc.* Servo communi plurium usumfructum legatum, altero ex dominis partem suam remittente vel amittente, accrescere alteri. Celsus verò, *in l. Et Proculo.* 10. *D. de legat.* 2. Alteri nihil accrescere.

47. Javolenus, *in l. Cum usumf.* 24. D. *quib. mod. usuf. amittit.* Ex inundatione fundi formam aut dominium non mutari. Gajus, *in l. Adeo.* 7. §. *aliud sanè* . *D. de acquir. rer. domin.* Pomponius verò, dominium amitti *l. si ager.* 23. D. *quib. mod. usuf. amitt.*

48. Gajus, *in l. In hominis.* 3. *& seq.* D. *de oper. servor.* Operas esse in usufructu sive esse fructum hominis. Terentius verò Clemens, *in l. operis* 5. D. *eod.* Operas, usum esse. Paulus verò, *in l.* 1. §. *si usuf.* 9. *vers. sed operis* D. *ad leg. falcid.* Neque usum, neque usumf. in eo legato esse.

49. Ulpianus, *in l. per servum.* 14. §. *usuf.* 1. D. *de usu & habitat.* Fructum sine usu esse non posse, usum sine fructu. Idem verò, in eadem *l. per servum.* 14. §. *in.* fructum esse posse sine usu. Et *in l. Huic stipulationi* . §. *Ergò* 2. D. *usuf. quemadm. cav.*

50. Ulpianus, *in l. fin.* D. *Vsufructuar. quemadm. cav.* Neminem rem suam, nisi furi condicere posse. Idem

E vero,

verò, *in l. certi condictio. 9. D. de reb. credit.* Indiſtinctè ex omni cauſa, ex omni obligatione, ſive quid Dominus petat, ſive alius, competere condictionem certi ſi certum præſtandum ſit. Florentinus *in l. licet. 17. § 1. D. Depoſit.* Deponentem manere dominum: attamen is poteſt ſuam rem petere à depoſitario & condicere actione perſonali.

Præter poſita concedo, ut ex libris ſeptem prioribus Digeſtor. proponantur omnia Loca, quæ pugnare videntur.

EXERCITIUM QUINTUM.

Reſp. CHRISTOPHORO ERNESTO NASONE, Mulhemo-Montenſi.

De Antinomiis tertium.

THESIS PRIMA.

PErgemus ad alia dubia, ex *lib. 8. & ſeqq. Digeſt.* Paulus, *in l. Ad certam. 6. D. de ſervitut.* Ad certam partem fundi tàm remitti, quàm conſtitui poſſe. Idem verò, *in l. ut pomum 8. §. 1. D. Eod.* Et Modeſtinus, *in l. Pro parte 11. D. eod.* Per partes ſervitutem non poſſe acquiri. Idem *d. l. pro parte 11.* Non poſſe pro parte adimi: Et ſi hoc ſit factum, nihil valere, quod actum eſt.

2. Pomponius, *in l. Quotiens 15. D. Eod.* Quotiens nec hominum, nec prædiorum ſervitutes ſunt, quia nihil vicinorum intereſt, non valere. Labeo verò, *in l. Ei fundo. pen. eod.* Ei fundo, quem quis vendit, imponi ſervitutem, & ſi non utilis ſit.

3. Gajus, *in l. Vrbanorum 2. D. de Servitut. prædior. Vrbanor.* Urbanorum prædiorum jura talia ſunt: Altius tollendi, & officiendi luminibus, aut non extollendi. Item immittendi, protegendique. Neratius verò, *in l. Ruſticorum 2. D. de ſervit. prædior. ruſticor.*

ſticor. Ruſticorum prædiorum ſervitutes eſſe, licere altius tollere, & officere prætorio vicini, vel cloacam habere per vicini domum vel prætorium, vel protectum habere licere.

4. Marcellus, *in l. Is, cui via* 11. D. *quemadm. ſervit. amitt.* Eum, qui actum habet, vehiculo poſſe uti. Paulus, *in l. Qui ſella* 7. D. *de ſervitut. præd. ruſtic.* Eundem, plauſtrum poſſe ducere. Pomponius verò, *in l. ſi tam anguſti.* 13. *in fin.* D. *de ſervit.* Actum eſſe, ſi non vehiculum, ſed jumentum poſſit duci.

5. Ulpianus, *in l. Item ſi obſtetrix.* 9. D. *ad l. Aquil.* Non occidiſſe videri eum, qui cauſam mortis præbuit. Paulus verò, *in l. Qui occidit* 30. §. *In hac quoque* 30. *eod.* Eum, qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videri. Et Ulpianus, *in l. nihil.* 15. *pr.* D. *ad l. Cornel. de ſicar.* Nihil intereſſe occidat quis, an cauſam mortis præbeat.

6. Ulpianus, *in l. Item Mela* 11. §. *Celſus* 3. D. *ad l. Aquil.* Celſum ſcribere, quod, ſi alius mortifero vulnere percuſſerit, alius poſtea exanimaverit, prior non teneatur quaſi occiderit, ſed quaſi vulneraverit, quia ex alio periit vulnere: poſterior verò teneatur, quia occidit. Iulianus verò, *in l. Ita vulneratus.* 51. *pr. verſic. Igitur.* D. *eod.* Si quis ſervo mortiferum vulnus inflixerit, eundemque alius ex intervallo ita percuſſerit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat, ſtatuendum eſſe, utrumque de occiſo teneri.

7. Paulus, *in l. In delictis* 4. §. *ſi detracta.* 3. *verſ. donec.* D. *de noxal. action.* Eum, quem pœnitet modi, quem in actione propoſuit, poſſe mutare ſuum conſilium tamdiu, donec prius judicium agitatur, & ita poſt litem conteſtatam. Idem verò, *in l. Electio.* 26. §. *neque heredi* 5. *verſ. Et ideò.* D. *eod.* poſt litem conteſtatam, non eſſe audiendum, ſi quid mutare velit.

8. Paulus, *in l. In hoc Iudicium.* 14. §. *Impendia.* 1. *verſ. Diverſum* D. *Comm. divid.* Cum quid impendo in

rem meam, quæ sit aliena vel communis, tantum me habere retentionem. Idem, *in l. si quis. vers. diversa. D. eod.* Papinianus verò, *in l. Deducta* 58. §. *Qui post. vers. Quod si funus. D. Ad SC. Trebell.* Non esse retentionem, cum quis proprium negotium gessit. Et Marcianus, *in l. Creditor.* 12. §. *secundum.* 6. D. *qui potior. in pign. hab.* Imò verò Iulianus, *in l. si pupilli.* 6. §. *sed & si* 3. *in fin. D. de negot. gest.* hunc, qui impensas fecit in suo negotio, habere actionem negotiorum actionem.

9. Marcianus, *in l. In quibus.* 3. D. *de Aleatorib.* Non licere sponsionem facere, ubi pro virtute non sit certamen. Ulpianus verò, omnem sponsionem esse permissam, ut & ex ea actio dari possit, modò non sit causa inhonesta. *l. si gratuitam.* 17. §. *fin.* D. *de prscript. verb.*

10. Ulpianus, *in l. Rogasti.* 11. *D. de reb. credit.* si Rogatus, ut mutuum daret, cum non haberet, lancem dederit vel auri massam, ut eam venderet, & nummis ex ea redactis uteretur, eum nummos, ex ea vendita acceptos, mutuò dedisse. Africanus verò, *in l. Qui negotia.* 34. *D. Mandat. vers. His argumentum. D. Mandat.* Non esse hoc casu mutuum.

11. Ulpianus, *in l. Singularia.* 15. D. *de reb. Credit.* Si nummos ex causa mandati mihi debeas, & convenerit, ut crediti nomine eos retineas, mutuum esse: quia videtur data mihi pecunia & à me ad te esse profecta. Africanus verò, *in d. l. Qui negotia.* 34. creditam eo casu non esse pecuniam.

12. Ulpianus, *in l si ego.* 18. *pr.* D. *de reb. credit.* Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias, Iulianum scribere, nec donationem, nec mutuum esse, magisque nummos accipientis non fieri. Iulianus verò, *in l. Cum in corpus.* 36. *in fin.* D. *de acquir rer. domin,* Hoc ipso casu proprietatem transire; nec esse impedimento, quod circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus.

13. Ul-

13. Ulpianus, *in l. si filiusf.* 14. D. *de reb. credit.* Marcellum respondisse, patrem non posse condicere nummos consumtos, si contra SCtum accepti sint & soluti. Ulpianus verò, *in l. sed si paterfam.* 9. §. *hoc SCto* 2. D. *ad SC. Maced.* Non interesse, consumti sint nummi, an extent in peculio.

14. Ulpianus, *in l. si duo* 13. §. *fin.* D. *de Iurejur.* Perjurum fustibus esse castigandum, & ita ei superdici: temerè ne jurato. Paulus, *in l. nam sufficit.* 22. *D. de dolo malo.* esse pœnam perjurii. Et Modestinum; *in l. fin.* D. *de stellionat.* Alexander verò Imp. *in l. Iurisjuard.* 2. *C. d. reb. credit.* Contemtam jusjurandi religionem satis Deum ultorem habere, adeoque nullam esse pœnam à Iudice infligendam perjuro.

15. Gajus, *in l. Admonendi.* 31. *in fin.* D. *de Iurejur.* Non posse retractari Iusjurandum voluntarium vel judiciale. Ulpianus, *in l. Quod si deferente.* 21. D. *de dol. mal.* Antoninus, *in l.* 1. *C. de reb. credit.* Ulpianus verò, *in l. Itaque fullo.* 12. §. 1. *D. de furt.* Nemini dari actionem ex improbitate sua, nec jus Idemque. *in l.* 1. *pr. D. de dol. mal.* Nemini esse damnosam suam simplicitatem, aut malitiam lucrosam. Et Callistratus, *in l. Divus.* 33. D. *de re Iudic.* Ea, quæ malo exemplo per falsitates judicata sunt, restituenda esse. Et Impp. *In l. pen. C. de transact.* Etiam transactionem, cujus species est jusjurandum, factam ex falsis causis, esse retractandam.

16. Ulpianus, *in l. Iusjurandum.* 34. §. *Qui Iusjurandum* 4. D. *de Iurejurand.* Patri, non remitti jusjurandum de calumnia, si filio detulerit jusjurandum. Idem verò, *in l. si patronus* 16. D. *e. d.* Idemque *in l. Licet* 7. §. *nec deferentes.* 3. D. *de obseq. parent. ac patron præstand.* Eum deferentem Iusjurandum, de calumnia non jurare.

17. Pomponius, *in l. si pœna.* 19. §. 1. D. *de Condict. indebit.* Quamvis sibi debitum quis recipiat, tamen is, qui dat, non debitum dat, repetitionem competere.

petere. Paulus verò, *in l. Repetitio.* 44. *D. eod.* Repetitionem nullam esse ab eo, qui suum recepit, tametsi ab alio, quàm vero debitore solutum est.

18. Ulpianus, *in l. si non sortem.* 26. §. *pen. D. eod.* Si is, qui alternativè debet, utrumque solverit, electionem esse Creditoris, quod velit reddere. Iulianus verò, *in l. Cum is.* 32. §. *fin. D. eod.* dandam esse debitori electionem. Et Imp. eum habere electionem recipiendi, qui & dandi habuit. *l. pen. C. eod.*

19. Ulpianus, *in l. In hac actione.* 3. *D. de tritic. act.* In æstimatione rei spectandum esse tempus condemnationis. Iulianus verò, *in l. vinum.* 22. *D. de reb. credit.* Spectari oportere tempus, quo res petitur, si dies vel locus non adjiciatur.

20. Ulpianus ex Scævola, In æstimatione ejus quod interest, venire etiam lucrum, quod quis potuisset consequi ex negotiatione *l. Arbitraria.* 2. §. *final. in fin. D. de eo quod cert. loc.* Paulus verò, *in l. si sterilis* 21. §. *cum per venditorem*, 3. *D. de action. Emt.* Non esse æstimandum, si potuerit quis ex vino negotiari.

21. Africanus, *in l. Centum Capuæ.* 8. *versic. nec oportebit. D. de eo quod cert. loc.* Non oportere moram Rei nocere Fidejussori, Paulus verò, *in l. Mora.* 88. *D. de Verbor. Oblig.* Moram rei etiam fidejussori nocere.

22. Ulpianus, *in l. Quod si maritus* 3. §. 1. *D. de constit. pecun.* Debitam ex constituto non esse pecuniam, quæ jure civili debebatur, non prætorio. Imp. verò §. *Obligat.* 1. *Inst. de Obligat.* Obligationes civiles esse efficaces.

23. Ulpianus, *in l. Si ut certo.* 5. §. *nunc videndum.* 2 *D. Commodat.* In contractibus initis in utilitatem dantium præstandam esse culpam latam. Impp. vero *in l. à procuratore* 13. Et Imp. *in l. In re mandata.* 21. *C mandat.* In mandato, quod tantùm causa mandatum dantis contrahitur diligentiam exactissimam esse adhibendam.

24. Paulus, *in l. Rem. alienam* 41. *D. de pignerat act*

act. Si debitor rem alienam sine voluntate domini oppigneraverit, & Dominus rei sit factus debitoris heres, non esse creditori concedendam pignoris persecutionem. Modestinus verò, *in l. Si Titio 22. D. de pignorib.* utilem hoc casu dari pigneratitiam.

25. Africanus, *in l. Vir uxori. 17. D. ad SC. velleian.* & Scævola, *in l. Seia mancipia. 28. D. eod.* SCto esse locum, Si mulier in hoc acceperit mutuam pecuniam, ut marito solveret, etsi creditor hoc non ignoraverit. Impp. verò, *in l. Si fænebris 13. C. eod.* Non esse hoc casu locum SCto.

26. Ulpianus, *in l. etiam quod natura. 6. D. de Compensat.* Compensationem quoque fieri posse in debito naturali. Iavolenus verò, *in l. Quæcunque 14. D. eod.* Quæcunque per exceptionem perpetuam perimi possunt, in compensationem non venire.

27. Ulpianus, *in l Si hominem. 7. §. Quotiens. 2. D. deposit.* Depositariorum, foro cedentibus nummulariis, esse potiorem causam ante omnia privilegia. Idem verò, *in l. Si ventri. 24. §. In bonis. 2. D. de reb. author. Iudic. poss.* eorum post privilegia esse potiores partes.

28. Ulpianus, *in l. verum est. 63. pr. D. pro soc.* Socios etiam unius rei condemnari posse tantum in id quod facere possunt. Idem verò, *in l. Sunt qui 16. vers. Qui pro socio. D. de re Iudicat.* Socios non aliter in id quod facere possunt condemnari, quàm si sint universorum bonorum Socii.

29. Ulpianus, *in l. In vendition. 9. in fin. D. de contr. emt.* Errorem in materia facere, ut venditio sit nulla. Idem verò, *in l. Quid tamen. 14. D. eod.* & Paulus, *in l si sterilis. 21. §. Quamvis pr. D. de action. Emt.* Hoc casu venditionem esse & ex ea agi posse.

30. Ulpianus, *in d. l. Quid tamen. 14.* Inauratum si sit venditum, & Emtor putet aureum, valere venditionem. Iulianus verò. *in l. Cum ab eo 41. §. 1. D. eod* non valere & esse inefficacem.

31. Alfenus, *in l. Si vendita.* 11. *D. de peric. & comm. rei vend.* Culpam servorum patrifamilias nec imputari, etsi per eorum culpam incendium sit ortum. Ulpianus verò, *in l. fin. pr. D. Naut. caup. stabul.* oportere Dominos factum suorum servorum præstare.

32. Ulpianus, *in l. 1. in fin. D. de æstimator.* æstimationem periculum in contractu æstimatorio facere ejus, qui suscepir. Idem verò, *in l. si gratuitam.* 17. §. 1. *D. de præscript. verbis.* distinguendum esse, ut, si rogatus fuerit Dominus, præstanda sit culpa levissima si is rogaverit, lata, Si neuter, levis.

33. Modestinus, *in l. fidejussor.* 26. §. *peter.* 1. *D. de pignorib. & hypothec.* Eum, qui scripsit vel subsignavit instrumentum, quo domus ejus proptia est obligata, consensum ei obligationi dedisse. Idem verò, *in l. Gajus.* 39. *D. de pignor. act.* consensum ex subscriptione vel subsignatione non colligi posse.

34. Neratius, *in l. Eo jure.* 4. *D. In quib. caus. pign. tac. contrah.* Invecta & illata in prædium urbanum, esse tacito pignori; In rustico contra observari. Pomponius verò, *in l. In prædiis.* 7. *pr. junct.* §. 2. *ibid.* In invectis & illatis idem esse, quod in fructibus: Fructus autem sunt tacito pignori *d. l. in prædiis. pr.* Et Ulpianus, *in l. Et si.* 14. §. 1. *D. de religios.*

35. Scævola, *in l. fin. D. Qui potior. in pign. habeant* Si Titius Seiæ omnia sua bona generaliter obligaverit, & postea sit matuatus â Fisco pecuniam, hanc Seiam esse præferendam fisco, in bonis post quæsitis. Ulpianus verò, *in l. Si quis mihi.* 28. *D. de Iur. fisc.* Fisci hoc casu potiores esse partes.

36. Modestinus, *in l. Creditoris.* 8. *D. de distract. pign.* Creditoris arbitrio permitti ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis ad suum commodum pervenire. Impp. verò Iurisdictionem esse moderandam hoc modo, ut, si certum sit, posse eum ex speciali suo pignore universum redigere debitum, non possit veniri ad

ri ad alia pignora. *l. Quamvis 2. C. de pignoribus & hypothec.*

37. Ulpianus, *in l. 1. D. de Evictionib.* Sive tota res evincatur, sive pars ejus, semper dici rem evictam & nomine evictionis agi. Paulus verò, *in l. Si dictum. 56. §. In stipulatione 2. D. eod.* parte evicta non agi.

38. Marcianus, *in l. Mora. 32. §. 1. in fin. D. de usur.* Si omissa sit debiti repetendi instantia, non protenus per debitorem moram factam intelligi. Paulus verò, *in l. Titia. 87. §. usuras. 1. in fin. D. de legat. 2.* sufficere semel moram intervenisse, ut perpetuo debeatur. Pomponius, *in l. si legati. 22. D. de. verbor. obligat.*

39. Paulus, *in l. Si nepotem. 3. D. de rit. nupt* Nepotem ex filio & neptem ex altero filio, quos habet avus in potestate, solo avo authore posse nuptias contrahere. Idem verò, *in l. Oratione. 16. §. 1. D. eod.* Desiderari patris consensum, nec sufficere solius Avi voluntatem; cum de nepotis nuptiis agitur.

40. Ulpianus, *in l. si extraneus. 33. D. de Iure dot.* Extraneum, qui dotem donandi animo promisit condemnandum esse, non in solidum, sed quantum facere possit. Paulus verò, *in l. Nesennius 41. D. de re Iudic.* In solidum condemnationem fieri oportere.

41. Gajus, *in l. Res. 54. D. Iur. dot.* Res pecunia dotali comparatas, dotales esse videri. Impp. verò, *in l. Ex pecunia. C. eod.* Res non esse dotales, licet maritus eas ex pecunia dotali comparaverit.

42. Modestinus, *in l. Pater. 4. D. de testam tutel.* Matrem non nisi instituto tutorem dare, quasi in rem potius, quam in personam. Imp. verò Alexander, datum à matre filio non instituto confirmandum esse. *l. mater. 4. C. eod.*

43. Ulpianus, *in l. Tutor 7. §. competet 2. D. de administrat. tutor.* Latam culpam à tutore esse præstandam. Imp. Antoninus, *in l. nomina. 2. C. dibitr. tutel.* Impp. verò Dioclet. & Maxim. culpam levem in tutelæ judicium venire esse certi juris.

44. Gajus, *in l. Tutor.* 13. §. *in solvendis.* 2. D. *de administ. tutor.* Tutorem non posse munus nuptiale mittere matri vel sorori sui pupilli. Paulus verò, *in l. Cum plures* 12. §. *Cum tutor.* 3. *vers. solemnia.* D. *eod.* Tutori esse permissum solemnia munera parentibus & cognatis mittere.

45. Ulpianus, *in l.* 1 §. *Et si quidem* 11. *& seq.* D. *de tutel. Et rationibus distrah.* Actionem tutelæ inter tutores dividi pro portionibus virilibus, exemplo Fidejussorum. Papinianus verò, *in l. fin.* D. *Rem pupill. salv. for.* divisionem non admitti, cum pupillus ipse agit.

46. Ulpianns, *in l. Quid Ergo.* 3. D. *de contrar. judic. tutel.* Neminem dixisse, in hoc agere quem contrario tutelæ judicio posse, ut liberetur: sed tantum de his, quæ ipsi absunt propter tutelam. Paulus verò, Tutorem, qui se pro pupillo obligavit, habere contrariam actionem, & antequam solvat. *l. fin.* D. *eod.*

47. Paulus, *in l. fin.* §. *Paulus* 1. D. *de fidejussor. & nominat. & heredibus tutor.* Tale judicium in heredes Tutoris defuncti transferri, quale defunctus suscepit. Impp. verò, *in l.* 1. *C. de hered. tut.* Heredes non posse condemnari, nisi ob latam culpam tutorum, cum ipsi tutores teneantur de levi culpa, Impp. *in l. Quicquid.* 7. C. *arbitr. tut.*

48. Ulpianus, *in l.* I. §. *fin.* D. *de reb. eor. qui sub tutel. sunt.* Si minor viginti quinque annis emit prædia, ut quoad precium solveret, essent pignori obligata venditori, pignus non valere: nam, ubi dominium quæsitum est minori, cæpit non posse obligari. Imp. *in l. fin. C. de pact. int. Emt. & vend. composit.* Pacta, traditioni rei suę adjecta à venditore, firma ac immutilata esse servanda; cum ferendum non sit captionem aliquam fieri venditori, qui alia lege jus suum transferri non est passus.

49. Paulus, *in l. fin.* D. *de reb. eor. qui sub tut. sunt.* Etsi testamentum patris postea irritum esse apparuerit, non

non tamen peccasse tutores, si secundum voluntatem Defuncti, testamento scriptam, prædium rusticum pupillare vendiderunt. Impp. verò, *in l. prædium pen. C. quand. non est op. decret.* Non aliter posse prædium rusticum alienari absque decrèto, quam pater id mandasse probetur. Ex testamento autem irrito ac sic nullo nihil probari potest: Cessat enim omnis in eo voluntas.

50. Paulus, *in l. Pignus 11. D. de Curat. furios.* Pignus constitui posse à curatore, utilitate furiosi id exigente. Paulus verò, *in l. pen. D. de reb. eorum, qui sub. tut.* Ob utilitatem, rem pupilli vel minoris, &, sic quoque furiosi, secundum Ulpianum, in *l. Qui neque 8. D. eod.* non posse vendi, sed tantum ob æs alienum. Impp. *in l. Ob æs 12. C. de præd. & aliis reb. minor.* Et si vendi non possint, nec oppignerari. Ulpianus *in l. 1. §. Et sunt. 2. D. eod.* Et Imp. *in. l. fin. C. de reb. alien. non alienand.* Hisce addi possunt omnia dubia ex textibus libri octavi & seqq. usque ad vicesimum octavum.

EXERCITIUM SEXTUM.

Resp. NICOLAO HELOMA,
Frisio.

De Antinomiis quartum.

THESIS PRIMA.

HAc disputatione nonnulla loca ex libro vicesimo octavo & seqq. eruemus, ut eorum conciliatio investigetur & detur. Iavolenus, *in l. si is qui. 25. D. Qui testam. fac. poss.* Si voluntas testatoris non sit plenè pronunciata, nihil valere ex testamento. Et Ulpianus, *in l. Quotiens. 9. §. Tantundem 5. D. de heredib. Instituend.* Eum, qui destinans conditionem addere non addidit, inutiliter testari. Imper. verò, *in l. si testa-*

testamento 8. *C. de Institut. & substitut.* Eum, qui ita testatus est: Ille heres esto, secundum conditiones infra scriptas, siquidem nihil adjectum fuerit, neque aliqua conditio in testamento apposita, rectè esse testatum. Et Papinianus, *in l. cum pater.* 77. §. *fin. D. de legat.* 2.

2. Ulpianus, *in d.l. Quotiens.* 9. §. *si quis nomen* 8. non valere institutionem, quæ eo fit heredis nomine, quod contumeliæ causa solet addi. Marcianus verò, valere institutionem: *filius meus impiissimus, malè de me meritus. l. His verbis.* 48. §. *Illi.* 1. D. *eod.* Imp. verò Alexander, *in l. hereditas.* 4. *C. de his, quib. ut indign.* hereditatem fisco vindicari, cum testator ait, aliquem ex heredibus non mereri suam voluntatem.

3. Pomponius, *in l. si ita quis.* 66. D. *de heredib. instit.* Si ita quis instituerit heredes, *Titius heres esto: Gajus & Mævius heredes sunto ex æquis partibus,* testatorem non tam Gajum & Mævium conjunxisse, quam celerius dixisse videri. Paulus verò, *in l. Re conjuncti* 89. D. *de legat.* 3. Hisce verbis: *Titio & Scio fundum æquis partibus do, lego,* comprehendi conjunctionem.

4. Scævola, *in l. Lucius.* 85. D. *de heredib. Instituend.* Liberos in conditione positos, esse in dispositione. Ulpianus verò, *in l. si quis sub conditione.* 8. D. *si quis omiss. causa testam.* Eum, qui est in conditione non posse quicquam petere.

5. Paulus, *in l. fin.* D. *de heredib. instituend.* Eum qui falso rumore perlato intellexerat heredem, quem instituerat, esse defunctum ac propterea mutans testamentum prius, in alio alium scripserat, habiturum heredem, quem in priori instituerat, eumque heredem Legata & cætera in secundo adscripta aliis soluturum. Idem. *in l. cum Mater.* 28. D. *de inoffic. testam.* Imp. verò, *in §. Posteriore.* 2. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* & Pomponins *in l. Cum in secundo.* 16. D. *de injust. rupt. atque irrit. fact. testam.* Ipso jure prius testamentum per posterius tolli. Annon ergo rectius

rectius nec in posteriori testamento scriptum fieri heredem, quia non habet voluntatem, & in priori nominatum non posse admitti ad hereditatem, quia prius est ruptum. huc facit. *d. l. quotiens 9. pr. D. de hered. Instit.*

6. Ulpianus, *in l. Quæ sub conditione. 8. D. de condit. Institut.* Quæ sub conditione jurisjurandi relinquuntur, reprobantur. Papinianus verò, *in l. cum pater. 77. §. filius. 23. D. de legat. 2.* tantam esse prærogativam jurisjurandi in testamento, ut licet quoad cætera non valeat, ob jusjurandum tamen valeat.

7. Ulpianus, *in l. pro herede 20. §. pen. vers. Itaque D. de acquir. vel omitt. hered.* Dicendum esse, tunc *pro herede* geri, quoties accipitur, quod citra nomen & jus heredis accipi non poterat. Imp. vero Antoninus, *in l. 1. C. de repud. vel abstin. hered.* Desiderari, ut liquido probari possit nihil ab eo, qui accepit vel gessit, ut herede esse acceptum. vel gestum.

8. Pomponius, *in l. Id quod. 9. D. de legat. 1.* Id quod, apud hostes est, legari posse ac postliminii jure subsistere. Modestinus vero, fundum hostium neminem stipulari posse. *l. liber. 103. D. de verb. obligat.* Vlpianus verò, *in l. Ab. omnibus 104. §. Etiam rem. 2. D. de legat. 1.* Non aliter legari posse, quàm si emi possit: Ergo non potest simpliciter relinqui.

9. Vlpianus, *in l. Senatus. 43. §. Legatum. 2. D. de legat. 1.* Legatum in aliena voluntate poni posse, in heredis non posse. Idem, *in l. 1. D. de legat. 2.* Modestinus verò, *in l. Nonnunquam. 52. D. de condit. & demonstr.* In alienam voluntatem non posse conferi legatum. Et Gajus, *in l. Illa institutio. 32. pr. D. de heredib. Instit.* Testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.

10. Iulianus, *in l. si quis testamento. 79. D. de legat. 1.* Si quis testamento suo, Titio & Seio decem dari jusserit, nullam hæc verba accipere ambignitatem, ut dena dixisse videatur, qui decem dixit. Adeoque sin-

ſingulis videntur decem relicta. Ulpianus verò, *in l. ſtipulatio iſta.* 38. §. *Eum, qui dicat* 19. D. *de Verbor. Oblig.* Iulianus, *in l. Eum, qui.* 56. D. *eod.* & Pomponius, *in l. ſi mihi & Titio.* 110. D. *eod.* Hoc caſu, non ſingulis, ſed omnibus decem deberi.

11. Paulus, *in l. Quoiiens* 2. D. *de legat.* 2. Quotiens nominatim plures res in legato exprimuntur, plura legata ſunt. Celſus vero, *in l. ſi illud.* 27. D. *eod.* ſi illud aut illud, vel aliud & aliud, ſc. nominatim, unum eſſe legatum.

12. Modeſtinus, *in l. Titia.* 34. §. *Lucia Titia* 2. D. *de legat.* 2. Fideicommiſſarium non amittere jus fideicommiſſi ex eo, quod præſens vel teſtis fuerit in diviſione. Idem verò, *in l. fidejuſſor.* 26. §. 1. D. *de pignorib.* Ex præſentia & ſilentio ſequi vel probari tacitè conſenſum. Huc facit Reſponſum Ulpiani, *in l. ſi remunerandi.* 6. §. *ſi paſſus* 2. *& in l. Qui patitur.* 18. D. *Mandat.*

13. Scævola, *in l. Annua, his verbis.* 20. *pr.* D. *de annu. logat.* Si legatum ſit annuum relictum his verbis: ſi morarentur cum matre, id etiam deberi, licet mater ſit mortua. Imp. Antoninus Pius, *in l.* 1. *C. de legat.* Imp. verò Alexander, morte deficere conditionem, *l. legatum* 4. *C. de condit. inſcrt.*

14. Gajus, *in l. ſi uſusfr.* 8. D. *de uſu & uſuf. legat.* Uſumfructum municipibus relictum durare ad centum annos. Æmilius verò Macer, *in l. Hereditarium* 68. *pr. in fin.* D. *ad l. falcid.* Computari tantum in uſumfructum reip. relictum triginta annos.

15. Ulpianus, *in l. Quæſitum* 12. §. *Papinianus.* 45. D. *de fund. Inſtr. vel inſtrum. leg.* Vxori, cui vir omnia, quæ in domo erant, ab herede filia præſtari voluit, emtiones ſervorum non eſſe legatas. Paulus verò, nomine eorum, quæ in domo ſunt, etiam venire mancipia, & ſic eorum emtiones *l. Gajus* 86. D. *de legat.* 2.

16. Ulpianus, *in l. ſi quis reum.* 5. §. *Idem Iulianus.* 2. D. *de liberat. legat.* Nec patrem, qui ſolvit, quod filiusf.

liusf. debebat, nec maritum, qui ſolvit, cum patri & marito liberatio eſſet relicta, repetere poſſe, quod ſolutum eſt. Idem verò, *in l. ſi non ſortem.* 26. *§. adeò.* 7. *in fin.* D. *de cond. Indeb.* Debitorem, cui liberatio relicta eſt, quod ignorans ſolverit, poſſe repetere.

17. Paulus, *in l.* 1. *§. Item ſi ita legatum* 8. D. *ad l. falcid.* Si ita ſit legatum: *Heres meus Seio penum dato: ſi non dederit, decem dato.* Et in continenti heres non ſolverit penum, legatum transfundi, & decem deberi. Idem, *in l. ſi penum* 24. D. *Quand. dies legator. vel fideicomm. ced.* Idem verò, *in l. Duo ſocietatem.* 71. D. *pro ſocio.* pænali ſtipulatione non fieri novationem.

18. Iulianus, *in l. Titia.* 86. *D. ad l. falcid.* Heredem, rogatum reſtituere univerſam hereditatem, retinere integra legata ſibi relicta. Ulpianus verò, *in l. in fideicommiſſaria* 18. *§. fin.* D. *ad S C. Trebell.* Heredem teneri, ut non quidem id, quod à coherede accepit, verum quod à ſemetipſo ei relictum eſt, in fideicommiſſum cadit. Et idem *in l. Marcellus.* 3. *§. Quidam liberis.* 4. D. *eod.* Integras præceptiones eſſe reſtituendas.

19. Paulus, *in l. ubi purè* 19. *§. fin. D. Ad. SC. Trebell.* Sumptum in diſtrahendis ac conſervandis rebus hereditariis factum, imputari oportere heredi. Gajus vero, *in l. Quantitas.* 72. *D. ad l. falcid.* Heredi non imputari eum ſumtum, ſed legatariis: cum heres eum deducat.

20. Ulpianus, *in l.* 1. *pr.* D. *de oper. nov. nunciat.* Per nunciationem impediri opus, ſive jure ſive injuria fiat. Impp. vero, *in l. ſi major.* 13. *C. de reſcind. vendit.* Propter hoc ſolum, quod quis denunciaverit ne aliquid fieret, bonam fidem non pati, ut, quod legitimè eſt actum, reſcindatur. Et Imp. Gordianus, *in l. fin.* C. *Debitor. vend. pign. imp. non poſſ.*

21. Julianus, in *l. Qui viam.* 14. D. *de oper. nov. nunciat. eum*, Qui viam habet, ſi opus novum nunciaverit, eum, qui in via ædificat, nihil agere. Ulpianus verò, in *l. un. §. Ius habet.* 3. D. *de Remiſſionib.* Ius nunciandi opus novum habere eum, qui aut dominium aut ſer-

servitutem habet. Idem, in *l. Et si fortè. 6. §. fin. D. si servit. vindic.*

22. Paulus, in *l. prætoris officium. 5. pr. D. de damn. infect.* Missum, sc. ex secundo decreto, in possessionem, non fieri dominum, sed per longi temporis spacium in suum dominium capere posse. Ulpianus verò, in *l. si finita 15. §. Iulianus scribit. 16. D. eod.* Missum constitui dominum ex secundo decreto. Et *§. posteaquam. 33. Ibid.* Ex secundo decreto juberi possidere jure dominii. Et Paulus, in *l. 1. D. de fund. dotal.* missum fieri dominum.

23. Julianus, in *l. si alienam. 13. D. de mort. caus. donat.* Mortis causa sic donationem fieri posse, ut nulla causa revocari possit. Marcianus verò, in *l. ubi ita. 27. D. eod.* ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revertatur ad donatorem, causam magis donandi esse quam mortis causa donationem: ac ideo perindè haberi debet, atque alia quædam inter vivos donatio.

24. Papinianus, Iudicium donationis esse bonæ fidei judicium, *l. Seja cum bonis. 42. D. eod.* Modestinus vero, *in l. Eum qui donationis. 22. D. de donat.* Donationem non deputari in bonæ fidei contractibus. Imp. *in §. actionum. 28. Inst. de action.*

25. Gajus, *in l. Etiam. 32. D. de acquir. rer. domin.* Etiam invitis nobis acquiri. Ulpianus verò, *in l. Hoc Iure. 19. §. Non potest. 2. D. de donat.* Non posse liberalitatem nolenti acquiri. Et communis est regula: Invito non datur beneficium.

26. Ulpianus, *in l. Quemadmodum 8. D. de acquir. vel amitt. poss.* Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest, Ita nullam amitti, nisi utrumque in contrarium sit actum. Paulus verò, *in l. possideri. 3. §. In amittenda. 5. in fin D. eod.* Possessionem solo animo amitti posse, quamvis acquiri non possit. Papinianus, in *l peregrè. 44. in fin. D. eod.*

27. Papinianus, *id l. possessio quoque. 49. pr. D. eod.* possessionem plurimum ex jure mutari. Ulpianus vero *in. l.*

in l. possessionem. 29. *D. eod.* Facti esse. Et Papinianus, *in l. Denique* 19. *D. Ex quib. caus. major. in integ. restit.* plurimum facti habere.

28. Ulpianus: In Usucapionibus non de momento in momentum, sed totum postremum diem computaris. *l. In usucapionibus.* 6. *D. de usurp. & usucap.* Venulejus, *in l. pen. D. de divors. & tempor. præscript.* Sufficere minimo momento extremi diei rem esse possessam. Paulus vero, *in l. In omnibus* 6. *D. de oblig. & action.* In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non finiri obligationem. Idem maximè valere debebat in usucapione, quippe, quæ dominum suo jure fraudat.

29. Iulianus, *in l. Non solum.* 33. *D. de usurp. & usucap.* Neminem sibi mutare posse causam possessionis. Paulus vero, *in l. pro emtore* 2. §. *fin.* D. *pro Emtor.* posse quem sibi possessionis causam mutare,

30. Paulus, *in d. l. pro emtore* 2. §. *Cum Stichum.* 6. *in fin.* fines ampliores posse usucapi longo tempore. Imp. verò, *in l fin.* C. *finium regund.* fines præscribi 30. annis.

31. Modestinus, *in l. Duo.* 28. *D. de re Iudic.* Si duo Iudices sententias dixerint diversas, utramque fore in pendenti, donec competens Iudex unam earum confirmaverit. Paulus verò, *in l. Inter pares.* 38. *D. eod.* hoc casu non fore in pendenti sententias, sed in liberalibus causis, aliisque favorabilibus recipiendam esse eam, quæ est pro libertate, in aliis eam, quæ favet reo.

32. Hermogenianus, *in l. Contumacia.* 53. *princ. D. de re judicat.* Contumaciam eorum, qui jus dicenti non obtemperant, litis damno coerceri. Ulpianus vero, *in l. Et post edictum.* 73. *D. de Iudic.* Non esse semper condemnandum, qui contumax est, sed eundem posse ac debere absolvi, quoties justa est ejus causa.

33. Ulpianus, *in l. Iudex.* 55. *D. de re judicat.* Iudicem

dicem non posse, posteaquam dixerit sententiam, corrigere quicquam. Hermogenianus verò, in *l. actorum 46. D. eod.* Judicio non esse prohibitum actorum verba emendare. Idem, in *l. præses 42. D. de minorib.* posse fieri restitutionem contra propriam sententiam ab eo, qui sententiam dixit. Ille autem, qui restituit corrigit, quod aute erat actum.

34. Paulus confessum pro judicato esse *l. 1. D. de Confess.* Ulpianus, id *l. proinde 25. §. 1. in fin. D. Ad. l. aquil.* nullas esse partes judicandi in confitentem. Ulpianus verò, in *l. Inde neratius, 23. §. fin. & ll. seqq. D. eod* Confessum non condemnandum esse, sed liberari, si docere possit falsam esse à se confessionem factam.

35. Paulus, in *l. In possessionem. 6. D. ex quib. caus. in possess. eat.* Creditorem conditionalem posse in possessionem mitti, & solere. Idem verò, in *l. si quis Creditorem 14. §. final. D. eod.* Creditorem conditionalem non mitti: quia is mittitur, qui potest bona ex edicto vendere.

36. Papinianus, in *l. Debitor. 3. §. fin. D. de separat.* In quolibet Creditore, qui separationem impetravit, probandum esse, ut si solidum ex hereditate servare non possit, ita aliquid ex bonis heredis ferat, si proprii creditores heredis fuerint dimissi: quod sine dubio admittendum est circa creditores heredis dimissis hereditariis. Paulus verò, in *l. si creditores. 5. D. eod.* si hereditas non inveniatur idonea, heres autem idoneus, non posse creditores hereditarios separatione ab iis postulata, reverti ad bona heredis sed oportere eos, quod semel postulaverunt, eo stare,

37. Ulpianus, in *l. Ait prætor. 10. §. si cui solutum. 13. D. Quæ in fraud. credit.* Si cui solutum quidem non fuerit, sed in vetus creditum pignus acceperit, hac actione teneri. Paulus verò, in *l. illud. 13. D. eod.* Eum, qui pignus tenet, hac actione non teneri: suo enim jure, & ut pignus, non rei servandæ causa, possidet.

38. Ul-

38. Ulpianus, in *l.* 1. §. *Denique.* 10. D. *de vi & de armat.* Colono dejecto non competere interdictum, Unde vi. Marcellus, in *l. colonus.* 12. & Papinianus, in *l. cum fundum.* 18. D. *eod.* Colono legitimè competere.

39. Ulpianus, in *l.* 1. §. *interdictum.* 6. D. *uti possidet.* actionem nunquam possessori dari. Julianus verò, in *l. Qui pendentem.* 25. D. *de action. Emt.* possessori dandam esse injuriarum actionem & ad exhibendum. Ulpianus, in *l. Papinianus* 8. §. *si filius Exheredatus.* 13. D. *de Inoffic. testam.* filio exheredato dari querelam inofficiosi, licet possideat.

40. Julianus, in *l.* 1. §. 1. D. *de salvian. interdict.* adversus extraneum rectè interdicto Salviano agi posse. Imp. verò Gordianus, in *l.* 1. C. *de precar. & interd. salv.* contra tertium possessorem, i, extraneum, interdictum Salvianum non competere.

41. Paulus, *in l. naturales* 10. D. *de obligat. & action.* Obligationes naturales parere actionem efficacem. Julianus, *in l. fidejussor.* 16. §. *Naturales.* 4. D. *de fidejuss.* Ulpianus verò, *in l. Iurisgentium.* 7. §. 4. D. *de pactis.* tantum ad exceptionem prodesse naturales obligationes.

42. Ulpianus, *in l. Is, cui.* 6. *in fin.* D. *de verbor. obligat.* Nec pro prodigo, nec pro furioso posse intervenire fidejussorem. Idem verò, *in l. Marcellus.* 25. D. *de Fidejussorib.* rectè fidejussores obligari, licet fidejussoribus denegetur Mandati actio.

43. Modestinus, *in l. Puberes.* 101. D. *de Verbor. Oblig.* Puberes, sine suis curatoribus posse obligari. Ulpianus verò, *in l.* 1. §. *fin.* D. *de min.* Puberibus non esse committendam rerum suarum administrationem. Et *in pr. l.* 1. Eam ætatem multis captionibus esse expositam. Et Imp. Constantinus, *l. fin.* §. 2. C. *de Sent. pass.* Minores ætate jurequicquam agere prohiberi.

44. Modestinus, Servum hereditarium & heredi futuro & hereditati rectè stipulari. *l Servus.* 35. D. *de stipulat. servor.* Paulus vero, *in l. Servus hereditarius.* 16.

D. eod. Eundem, ſtipulando heredi futuro, nihil agere.

45. Ulpianus, *in l. Generaliter.* 5. *D. de fidejuſſor.* Generaliter Julianum reſpondere, eum qui heres extitit ei, pro quo intervenerat, liberari ex cauſa acceſſionis, & ſolummodò quaſi heredem Rei teneri. Papinianus verò, *in l. Debitor.* 3. *D. de ſeparation.* Rationem juris non permittere, ut ex perſona fidejuſſoris damno afficiantur creditores, qui diligenter ſibi proſpexerunt. Et Paulus, *in l. ſtipulationum.* 2. *§. ex his.* 2. *p. de verbor. oblig.* Ex perſona heredis conditionem obligationis immutari non poſſe.

46. Ulpianus, *in l. ſi debitor.* 30. *D. de ſolution.* Si debitor offerret pecuniam, quæ peteretur, creditor autem nollet accipere, prætorem ei denegare actiones. Imp. verò, *in l. obſignatione.* 9. *C. eod.* Debitorem non aliter liberari, quam obſignatione & depoſitione, non ſola oblatione.

47. Modeſtinus, *in l. id, quod pœnæ* 74. *D. de ſolutionib.* Id, quod pænæ nomine exactum eſt à debitore, lucro cederi creditoris. Ulpianus verò, *in l. Quod ſi ex ſtipulatu.* 42. *D. pro ſoc.* Pænam in ſortem imputari.

48. Ulpianus, *in l. Item apud labeonem.* 15. *§. ſi curaverit.* 10. *D. de injur.* Si curaverit, ut alicui fieret injuria, non tamen ſit facta, eum non teneri. Idem verò, *in l. Et generaliter.* 3. *§.* 1. *D. de calumniator.* Sufficere quod quis ſuſceperit pecuniam ut calumniaretur, ſive fecerit ſive non æque eundem teneri.

49. Paulus, *in l. cum ratio.* 7. *§. fin. D. de bones damnator.* Bona, quæ deportatus poſt deportationem acquiſivit, fiſco cedere. Idem verò, *in l. ſi mandavero.* 22. *§. Is, cujus.* 5. *D. mandat.* non pertinere ad fiſcum.

50. Macer, *in l. Ab executore.* 4. *pr. D. de apellat.* ab Executore ſententiæ non poſſe appellari. Imp. verò Conſtantinus, *in l. & in majoribus.* 20. *C. eod.* Et in majoribus & in minoribus nemini eſſe denegandam appellationem.

EXER-

EXERCITIUM SEPTIMUM.

Resp. HENRICO THILE, Buxtehudensi.

De Antinomiis quintum.

THESIS PRIMA.

HAc disputatione de nonnullis legibus ex Codice desumptis, an sibi juvicem aliisque juribus satis conveniant, videndum. Imp. Marciann s, *in l. nemo clericus.* 4. *C. de summ. trinitit. & fid. catholic.* Nemini, sive Clericus, sive militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de fide Christiana, publicè turbis coadunatis ac audientibus, permissum esse tractare. Imp. verò, Leo & Anthemius, *in l. nulli licere.* 28. §. *fin.* C. *de Episcop. & cleric.* Fidem ac industriam eorum, qui veritatem in aures publicas lucemq; deduxerunt, tam laude, quam honestate & pariter pietate non carere. Veritas autem optime ex collationibus ac disputationibus haberi potest.

2. Imp. Constantinopolitanam ecclesiam omnium aliarum esse caput. *l. Constantinopolitana.* 24. C. *de sacros. Eccles.* Idem verò, *in l. Reddentes C de summ. Trinitat.* Romanæ primas esse adscribendas.

3. Imp. *in l. sacris canonibus.* 45. *de Episcop. & cleric.* Sacros canones non minus quam leges valere præcipi. *c.* 1. *& seqq. distinct.* 10. Et Imp. Valentin. & Marcian. *in l. privilegia.* 12. §. 1. C. *de SS. Eccles.* Imp. verò, *in l. omnes.* 10. C. *de legibus*: Tam clericos, quam alios, legibus ac principum constitutionibus regi, quamvis in in canonibus id non admittatur. *c. nullus.* 2. *x. de for. compet.*

4. Imp. *In l. Rescripta.* 7. C. *de precib. Imp. offerendis.* Rescripta contra jus elicita ab omnibus Iudicibus refutanda esse. Verùm, *in l. leges.* 3. C. *de*

 legib.

legib. & constitution. princip. Iudicum esse, suis programmatibus constitutiones & Placita Principum divulgare: Et in similibus negotiis ea sequi. Imò de judicio principali non oportet disputare: Sacrilegii id instar est. *l. Disputare. 3. C. de Crimin. sacrileg.*

5. Impp. *in l. post venditionem. 2. C. de pactis.* Si post venditionem hereditatis à te factam creditores adversus emtores actiones suas moverint, easque spontanea voluntate susceperint, exceptione taciti, (sc. de non petendo à venditore) pacti non inutiliter te defendi. Imp. verò, *in l. fin. C. de novationib.* Ut novatio fiat, probandum esse, quòd expresse sit de ea actum inter partes. Ita, neminem eligere viam, per quam sibi nocere possit, præsumi respondet Ulpianus, *in l. si miles. 3. D. de testam. milit.*

6. Impp. Pactum, dotali instrumento comprehensum, ut, si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat, cum fratre heres patris sui esset, nullam obligationem contrahere, *l. pactum, quod dotali. 15. C. de pact.* Imp. verò, pacta circa hereditatem cum eo, de cujus hereditate agitur, inita, esse valida, modo is, de cujus bonis tractatum fuit, in eadem sententia perseveraverit. *l. fin. C. eod.*

7. Imp. Rationes sæpè computatas denuò tractari posse, si res non sint judicatæ. *l. un. C. de error. calcul.* Macer verò, *in l. un. §. 1. D. Quæ sentent. sin. appell. rescind.* Si error sit in sententia circa computationem, eum corrigi posse citra provocationem.

8. Impp. *in l. Quisquis. 6. §. præterea 2. C. de postuland.* Advocatum cum litigatore, quem in suam fidem recepit, nullum posse inire contractum. Imp. verò Constantinus, *in l. Si qui 5. C. eod.* Prohiberi non omnem contractum, sed eum, ex quo grave damnum ac deprædatio sequatur. Ulpianus, *in l. Sumtus quidem. 53. D. de pact.* Non licere pacisci, ut dimidia pars litis cedat Advocato: Cæteras conventiones admitti.

8. Imp.

9. Impp. *In l. un. C. ut quæ des. advoc. jud. supp.* Iudicem posse supplere quæ juris sunt, non facti. Imp. Alexander, *In l. Age cum Geminiano.* 3. *C. de Transact.* Etiam facta posse suppleri. ICtus *in l. Vbicunque.* 21. *D. de interrogat. in jur. faciend.* idem confirmat.

10. Imp. Gordianus, Si fiat restitutio ob metum vel violentiam etiam restituendum esse precium illi, qui vim intulit, si quod exsolverit. *l. Si vi vel metu.* 3. *& seq. C. De his, quæ vi metusve causa.* Imp. verò Constantinus, *in l. si per Impressionem* 11. *C. eod.* Pecuniam, quam accepit is, qui vim passus est, ab eo non esse restituendam. Et Imp. *in l. si mancipium.* 23. *C. de Rei vindicat.* Si mancipium per vim vel furtum ablatum sit vindicanti, per id nullam necessitatem precii solvendi irrogari.

11. Imp. Antoninus, De dolo actionem cum nulla alia actione concurrere. *l. De dolo.* 2. *C. de dol. malo.* Impp. verò, *in l.* 1. *C. eod.* dari actionem de dolo eo casu, quo Paulus, *in l. si mandatu.* 59. §. 1. D. *Mandat.* actionem Mandati.

12. Imp. *In l. fin. C. Qui & advers. quos. in integr. restit. non poss.* Adversus parentes non dari restitutionem. Imp. verò Gordianus, *in l. si cum pater.* 2. *C. si advers. rem judic.* Dari contra patrem in causa indicati, quæ maximas habet vires.

13. Imp. *In l.* 1. *C. de Iudic.* Iudicio cæpto usurarum stipulationem non esse peremtam. adeoque, si in priori ac principali causa non sint petitæ, post peti possunt. Imp. verò Gordianus, *In l si deposita.* 4. *C. Depos.* Si tantummodò sortis sit facta condemnatio, super usuris nullam esse posteà posse controversiam.

14. Imp. *In l. un. C. de litis contest.* Lis tunc contestata videtur, cum Iudex per narrationem negotii causam audire cæpit. Imp. verò, *in l. Rem non novam.* 14. §. *patroni.* 1. *C. de Iudic.* Non tantum ad litis contestationem requiri narrationem, sed & contradictionem. Idem, *in l. cum & Iudices.* 2. *C. de jerejur. propt. calum. dand.*

16. Imp. *in l.* 1. *in l. si pater.* 2. *C. de Inoff. donat.* Donationem inofficiosam usque ad legitimam tantum rescindi. Imp. verò, *in l. si unquam.* 8. *C. de revocand. donat* omne id, quod donatum est revocari.

17. Imp. Antoninus, *in l. si inferiorem.* 2. *C. de Rei vindicat.* Materiam, ex qua ædificium exstructum est, redire diruto ædificio, ad priorem materiæ dominum, licet mala fide is ædificaverit: modò non donandi animo ædificium extruxerit. Gajus vero, *in l. Adeo.* 7. §. *Ex diverso.* 12. *D. de acq. rer. dom.* Mala fide ædificanti non dari vindicationem diruto ædificio.

18. Imp. Datum ob causam impossibilem non posse repeti, causa non sit secuta. *l. Dictam legem.* 8. *C. de condict. ob caus. dator.* Imp. vero, *In l. si militem.* 5. *C. eod.* Datum ob causam, quæ legibus interdicta & sic impossibilis est, posse condici.

19. Imp. *In l. Rem majoris.* 2. *C. de resc. vend.* Dari actionem, vel ut venditio rescindatur, vel ut Emtor suppleat id quod justo precio deest, si venditor ultrà dimidium sit deceptus. Imp. vero, *In l. Non est.* 6. *C. eod.* Non rescindi contractum, licet quis duplum offerat.

20. Imp. Alexander, *In l. si fundum.* 2. *C. de pact. int. emtor. & vendit. compos.* Dari ex venditione, cui pactum de retrovendendo est additum, actionem, vel ex vendito, vel præscriptis verbis. ICti vero, *in l.* 1. *& seqq. D. de præscript. verb.* Actionem præscriptis verbis non habere locum, nisi cum omnis alia ordinaria actio cesset: undè cum actione ex vendito non potest concurrere.

21. Imp. Quod à sponso ante nuptias donatum est, sponsum non repetere posse, si nupriæ non fuerint secutæ: imò si sponsus, quod donavit, abstulerit, datur repetitio tanquam illicitè rapuerit. *l. si filiæ tuæ.* 10. *C. de donat. ante nupt.* Imp. vero Constantinus, *in l. Cum veterum. C. eod.* Distinguendum esse circa donationes inter sponsum & sponsam factas, ut matrimonio non secuto, donatum reddi debeat,

beat, si per donantem steterit, quod matrimonium non secutum fuerit; Et non sit necesse reddi ab eo, per quem non stetit.

22. Imp. Gordianus, *in l. in copulandis* 8. *C. de nupt.* In copulandis nuptiis, nec Curatoris, nec Cognatorum vel Affinium, ullam authoritatem esse necessariam. Imp. vero, *in l.* 1. *Et in l. in conjunctione.* 20. *C eod.* Etiam matris, propinquorum & Curatorum arbitrium requiri.

23. Imp. Alexander. *In l. Frustra* 1. *C. de dot. promiss.* Non peti posse quicquam, si neque species ulla neque quantitas sit promissa nomine dotis. Imp. vero Gordianus, *in l. si quum ea.* 3. *C. eod.* Hoc casu, confugiendum esse ad arbitrium viri boni. Et Papinianus, *In l. Cum post divortium.* 69. §. *Gener.* 4. D. *de Iur. dot.*

24. Imp. *In l. Evicta.* 1. *C. de Iur. dot.* Si dos sit evicta, distinguendum esse in quæstione, utrum Socer, qui promisit, de evictione teneatur: Vt, si pollicitatio vel promissio præcesserit, condictione vel ex stipulatione agi possit: sin autem nulla intervenerit promissio, & bona fide omnia sint acta, nulla marito detur actio. Imp. vero, *in l. un.* 1. *C. de rei uxor. action.* non distingui oportere, sed licet nulla sit stipulatio facta legem sic omnia accipere, ut videatur stipulatio interposita. Quinimo causa dotis est onerosa, adeo ut maritus sit reputandus pro emtore, secundum Iulianum, *in l. Ex promissione.* 19. *D. de Oblig. & action.* Quoties vero est Emtio, vel alia causa onerosa, ob evictionem agitur, secundum Imp. Gordianum, *in l. si prædium* 4. Alexandr. *in l. non dubitatur.* 6. Dioclet. & Maxim. *in l. si permutationis.* 29. *C. de Evictionib.*

25. Imp. *In l.* 1. *C. de fund. dot.* Alienationem esse omnem actum, quo dominium transfertur Imp. vero Iustinianus, *in l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Non tantum eam esse actum quo dominium transfertur, sed & eum modum, quo ususfructus, hypotheca, servitus realis, vel Emphyteusis constituitur.

26. Impp. Rationes curæ administratæ ante vicesimum quintum annum completum, durante officio peti non posse, manifesti esse Juris. *l. Rationes.* 14. *C. de administrat. tut.* Ulpianus verò, *in l. si cum adhuc.* 16. *D. de tutel. & rationib. distrah.* Cum curatore Pupilli sive Adolescentis agi posse, & si usque adhuc cura perseveret. Et Paulus, *in l. nisi finita.* 4. *in fin.* D. *eod.* Ubi de Furiosi Curatore.

27. Imp. Gordianus, *in l. voluntariæ.* 12. *C. de Excusat. tutor.* Voluntariæ tutelæ munera privilegiis, i, causis, excusandi nihil derogare: Adeoque sequi, affectatas tutelas ad excusandum proficere. Imp. verò, *in §. Item tria onera.* 5. *Inst. Eod.* Affectatas, sive voluntarias Tutelas, non prodesse ad excusandum, & magis obesse, quam proficere.

28. Impp. *in l.* 1. *C. Qui num. liber.* Numerum liberorum prodesse ad excusandum. Imp. verò Alexander, *in l.* 1. *C. de his, qui num. liber.* Numerum liberorum ab oneribus non excusare.

29. Impp. *in l. neque professio.* 5. *C. de Testament.* Quæ ut filiis relinquuntur, non deberi certum est. Paulus verò, *in l. nemo dubitat.* 58. §. 1. D. *de heredib. Instit.* Etiam eum, qui non est frater, nomine fratris institui posse, ac eandem Institutionem valere.

30. Impp. *in l. Ex legato.* 18. *C. de legat.* si nomen sit legatum, non transire actiones directas, sed utiles. JCtus verò, *in l. legatum* 80. D. *de legat.* Rectâ viâ & jure directo transire dominium sine facto heredis.

31. Antoninus, *in l.* 1. *C. de fideicommiss.* Qui annua legata præstitit per integrum triennium ex testamento non perfecto, eum in perpetuum obligari. Idem verò, *in l. Et si inutiliter.* 2. *C. eod.* Una præstatione quem se obligare in futurum, ut perpetuò videatur obligatus. Imò & Impp. *in. l. sicut in rem speciales.* 3. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Actiones personales, quarum in numero est actio ex testa-

ſtamento, demum finiri ordinariò lapſu 30. annorum.

32. Impp. *in l. ſi veritas. 23. C. de fideicommiſſ.* ſi ſolemnitas deſit, & filius non ſit amplexus voluntatem, vel tranſactionis causâ ſtipulantibus promiſit, ad ſolutionem urgeri non poſſe. Imp. verò Conſtantinus, *in l. Inter omnes. 26. final. C. famil. Erciſc.* Voluntatem patris ſubſiſtere, licet illa ſit deſtituta omni ſolemnitate.

33. Imp. Gordianus, *in l. 1. C. ſi adverſ. Creditor.* Creditorem, agentem hypothecariâ, Decem annis inter præſentes, viginti annis inter abſentes, excludi à ſua actione. Imp. verò Iuſtinus, *in l. Cum notiſſimi. 7. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Triginta annos ad hanc rem deſiderari.

34. Imp. Antoninus, *in l. Quamvis. 2. C. de privileg. Fiſc.* Mulierem in cauſa dotis reſpectu aliorum creditorum pari paſſu ambulare, ut nec fiſco uxor, nec uxori fiſcus præferatur. Imp. verò, *in l. aſſiduis. 12. C. Qui potior. in pign.* Mulierem præferri omnibus creditoribus, licet habeant expreſſam anteriorem hypothecam: Undè & fiſcum ſuperabit uxor.

35. Imp. *In l. Incerti. 3. C. de Interdict.* Non eſſe incerti juris, ortâ proprietatis ac poſſeſſionis lite, prius poſſeſſionis quæſtionem decidi oportere, ut ex hoc, ordine facto, de dominii diſceptatione probationes ab eo, qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur. Ulpianus vero, *in l. Naturaliter. 12. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Nihil commune habere proprietatem cum poſſeſſione; & ideo non denegari ei interdictum uti poſſidetis, qui cæpit rem vindicare: Non enim videtur poſſeſſioni renunciaſſe, qui rem vindicavit. Et Papinianus, *in l. Cum fundum. 18. §. 1. D. de vi & vi armat.*

36. Imp. Gordianus. *In l. Vſucapio. 7. C. de pignorib. & hypothec.* Uſucapionem, pignoris conventionem non exſtinguere. Idem vero, Diuturnum ſilentium

longi

longi temporis præscriptione corroboratum, creditoribus pignus persequentibus inefficacem constituere actionem. *l.* Diuturnum 1. *&* *seq. C. si advers. credit. præscript. pign. opponatur.*

37. Imp. Alexander, *in l. spem.* 5. *C. quæ res pign.* Spem præmionum eorum, quæ pro coronis pensitantur piguerari non posse. Et Severus, Imp. *in l. stipendia.* 4. *C. de Execuit. rei judic.* Stipendia, licet condemnantus sis, retineri non posse & pignori capi. Papinianus verò, *in l. Commodis.* 40. D. *de re Iudicat.* Commodis præmionum, quæ propter coronas sacras præstantur, interdici condemnato, & jure pignoris ea teneri rectè.

38. Imp. Gordianus, *in l. Debitum.* 5. *C. de Remiss. pign.* Debitum, quod per pacti conventionem inutiliter factam remissum est, potest peti, & ejus nomine pignus obligatum vindicari. Papinianus verò, non posse pignus peti, licet inutilis sit conventio, per quam remissum erat debitum. *l.* 1. §. 1. *D. quib. mod. pign. solv.*

39. Imp. Constantinus, *in l. fin. C. de Pact. pignor.* damnari in pignoribus commissoriam legem. Scævola verò, *in l. fin.* D. *de contrah. emtion.* Valere conventionem, ut pignus sit emtum pecuniâ, quæ debetur. Id vero est pactum commissorium.

40. Imp. *in l. fin. pr, C. de litigios.* Fisco cedere rei Emtæ æstimationem in pœnam illius, qui sciens rem litigiosam emit. Gajus vero, *in l. fin.* D. *eod.* cedere omnem pœnam adversario.

41. Imp. *In l. Fidejussoris.* 24. *C. de fidejussorib.* Fidejussotis heredem, succedentem debitori, tantum conveniri ut principalem heredem, fidejussoriam obligationem esse extinctam. Ulpianus vero, *In l. potest.* 4. §. 1. D. *de fidejussorib.* Fidejussorem relinquere & heredem suum obligatum. Et Papinianus, *in l. Debitor.* 3. D. *de Separationibus.* Separationem posse peti, inter debitoris & fidejussoris hereditatem, ac sic

sic heredem fidejussoris quoque ut heredem fidejussoris teneri. Interest & manere accessoriam obligationem, eo casu, quo fidejussor accessit ad obligationem naturalem. Si quidem enim confunderetur jus obligationis fidejussoriæ cum principali, amitteret actionem creditor; quod absurdum est, cum conditio obligationis ex successione mutari non debeat. Paulus, *in l. stipulationum 2. §. Ex his. 2. D. de Verbor. Obligati.*

42. Imp. *In l. si obligata. 19. C. de Evictionib.* Si obligata prædia venundedisti, & longi temporis præscriptione solita emtores se tueri possunt: evictionis periculum te timere non posse. Idem vero, *In l. Emti actio. 21. C. eod.* Emti actionem longi temporis præscriptione non submoveri.

43. Imp. *In l. si fundum. 27. C. eod.* Qui sciens fundum esse alienum vel obligatum emit, neque quicquam de evictione convenit, poscere eum contra juris rationem, quod datum est. Imp. vero *in l. fin. §. 4. C. comm. de legat. & fideicommiss.* Eum, qui sciens rem alienam emit, precium posse repetere.

44. Imp. *in l. fin. C. de Evictionibus.* Heredem fidejussoris posse vindicare ex sua persona dominium rei, pro qua defunctus evictionis nomine intercesserat. Ulpianus verò, *In l. vendicantem. 17. D. eod.* Improbè eum evincere, qui ipse de evictione tenetur. Fidejussor verò & consequenter heres præstare evictio- est obligatus.

45. Imp. *in l. si unquam 8. C. de revoc. donat.* Concedi tantum patrono revocare donationem libertis factam, supervenientibus patrono liberis. Et Imp. *in l. fin. C. eod.* Ob nullam aliam causam posse fieri donationis inter vivos factæ revocationem, quam propter causas certas ingratitudinis. Papinianus verò, *in l. Cum avus. 102. D. de condit. & domonstrat.* Et Imp. *in l. cum acutissimi. 30. C. de fideicomm.* Posse revocari & videri factam revocationem non tantum si libertus dona-

donationem meruerit, sed quivis alius, sine ulla distinctione.

46. Impp. *In l. Quisquis.* 5. §. *filii.* 1. *C. ad l. Iuliam majestat.* Filios reorum criminis læsæ majestatis, à materna & avita, omnium etiam proximorum hereditate ac successione haberi alienos, ex testamentis extraneorum nihil capere, perpetua egestate & infamia mulctari, ad nullos honores, nulla sacramenta pervenire posse: Ita coercendos, ut vita supplicium, mors sit solatium. Impp. verò, *in l. sancimus.* 22. *C. de pœn.* Pœnas suos tenere authores: non ulterius progredi metum, quam reperitur delictum. Ibi esse pænam, ubi noxia est: Propinquos, notos, familiares procul à calumnia submovendos, quos societas criminis non facit sceleris Reos.

47. Impp. Gordianus, *in l. si quondam.* 15. *C. ad* 1. *Iul. de adult.* Si quondam uxor tua, antequam accusaretur, provinciam excessit: neque eam absentem accusari posse, neque in eam provinciam, in qua stipendiam faces, transmitti debere. Impp. verò, *in l. Quæstiones.* 1. *C. ubi de criminib. agi oport.* Quæstiones eorum criminum, quæ legibus aut extra ordinem coercentur, ubi commissa, vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui Rei perhibentur, criminis perfici debere. Et ICtus Macer, *in l. solent.* 7. *D. de custod. reor.* Delinquentes remitti oportere. Et Celsus, *in l. non est dubium.* 11. *D. eod.* cognoscere super crimine debere eum, qui ei provinciæ præest, in qua agitur.

48. Impp. *in l. Eum.* 5. *C. Ad l. Cornel. de sicar.* Eum, qui occasionem præbuit, non teneri de homicidio. Ulpianus verò, *in l. Nihil interest.* 15. *pr. D. eod.* Non interesse, occidat quis, an causam mortis præbeat.

49. Impp *in l. Ipse significas.* 7. *C. ad l. Cornel. de falsis.* Transactionem de falso fieri posse. Et *in l. Polla.* 2. *C. de h. q. ut indign.* Imp. verò *in l. Transigere.* 18. *C.* *de*

de Transaction. Transactionem de crimine non capitali non esse permissam.

50. Imp. *in l. milites.* 8. §. 1. *C. de quæstionibus.* Tormenta permitti. Ulpianus, *in l.* 1. *pr. D. eod.* In criminibus eruendis quæstiones adhiberi solere. Imp. verò, *in l. fin. C. de probat.* Accusatores eam rem in publicam notionem deferre debere, quæ munita sit idoneis testibus vel instructa apertissimis documentis, vel judiciis indubitatis & luce ipsa clarioribus. Et Ulpianus, *in d. l.* 1. §. *Quæstioni.* 13. Rem esse fragilem & periculosam & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum, ita contemnunt tormenta, ut exprimi veritas nullo modo possit: alii verò tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint: ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se sed & alios perdant & injustè accusent. Vide *Valer. Max.* 8. *c.* 4.

Addi hisce paucis dubia, quæ ex Codice quilibet propria industria collegerit, possunt.

EXERCITIUM OCTAVUM.

Resp. PAULO WEITENS, Lugdunensi, Batavo.

De Statutis.

THESIS PRIMA.

ALiud est statutum, aliud consuetudo. Statutum propriè, est jus, quod quisque populus vel civitas jus populi habens, sibi constituit. *arg. l. omnes populi* 9. *vers. nam quod quisque. D. de Iust. & jur.* Alberic. *in tract. de Statut.* 1. *quæst.* 1. *n.* 2. Consuetudo verò jus, quod sine expressa sanctione populus, rebus & factis probavit. *l. De quibus.* 23. §. 1. *D. de legib.* Opp. statuta

Statuta etiam moribus & factis introducuntur: nec semper expressum habent populi suffragium, sed & nonnunquam ex tacito valent. Usu quoque invaluit, ut statuta appellentur scriptæ consuetudines: quæ vero sunt in usu quotidiano, ea pro veritate valent *arg. l. generaliter. 28. circa fin. verbis: Et in usu quotidiano &c. C. de fidejussorib.*

2. Statuta solent distingui, quod alia sint secundum, alia præter, alia contra jus commune. Oria. in *tractat. de interpret. statut. n. 1. & 2.* Illa non tantum valent quæ secundum & præter jus commune sunt, sed & quæ contra: Etiam in singulari civitate, cui condendi statuta jus est. *d. l. omnes populi. 9.* & *arg. l. si non speciali. 9. C. de Testament.* Ratio dub. I. Atqui ut specialis consuetudo non tollit communem & generalem. Ita nec statutum loci specialis, legem generalem. II. Sequeretur ex eo absurdum, judex in caussa appellationis, qui in legem communem juravit, cogeretur vel legem communem & consequenter jusjnrandum negligere, vel alias destrueret, si publicum jus sequeretur, jus municipale. III. Cum jus publicum ratione optima sit fundatum, colligeretur necessario, quod statuta destituerentur ratione. Ratio enim justa in duobus contrariis esse nequit.

3. Statutum nulla singularis civitas sibi potest condere nisi habeat consensum vel confirmationem à superiore. Statutum enim est lex ac jus. Jus tantum est populi. *d. l. omnes populi. 9. §. 1. & 2. Instit. de jur. gent. & civil.* Ratio dubitandi. I. Potest quælibet civitas & quodvis municipium sibi condere decreta. *l. fin. & tot. tit. D. de decret. ab ordin. faciend.* II. Antiochensium Cœlæ Syriæ civitas leges sibi conditas habet. *l. Antiochensium. 37. D. de reb. author. judic. possid.* III. Quorsum hoc, quod quæque civitas sibi jus possit constituere. *d. l. omnes populi. 9. vers. nam.* ? IV. Si privati ex suis pactionibus & sponsionibus quibusque cumque teneantur, etiam ad pœnam *l. sicut*

5. C. de

3. *C. de Obligat. & action. junct. §. fin. Instit. de Verbor. Oblig.* Nulla ratio impediet, cur Civium multitudo certis legibus tanquam pactis sese non possint obligare, easque sancire sub pœna sive mulcta.

4. Statutum generaliter latum, generaliter explicari uti leges omnes à Iudice oportet, sive corrigat commune jus, sive non sic tamen, ne absurditas, iniquitas, aut læsio tertii inde sequatur, *c. cum dilectus.* 8. *x. De consuetud. ibid.* Gloss. *in Verb. nec Iur. arg. l. Rescripta.* 7. *C. de prec. Imp. Offer.* Gloss. *in c. Statutum. verb. numerandum. De Præbend. in 6.* Gayl. 2. *Observat.* 33. *n.* 4. Ratio dubit. Imò præstat consulere statuentes & ab iis petere justam interpretationem, quàm eam contra Statutorum verba, vel mentem aut rationem dare. *l.* 1. *l. leges.* 9. *C. de legib.*

5. Si Ratio statuti generalis verbis expressis non it adjecta, magis ratio spectanda est, quam verba: Ratio enim est legis anima, ejusque vis ac potestas. *c. consuetudinis.* 2. *C. quæ sit long. consu. l. Quod non.* 39. *D. de legib.* Scire leges est, non verba, sed vim ac potestatem tenere. *l. scire.* 17. *D. de legib.* Nec leges verbis, sed rebus ex justa ratione sunt impositæ. *l. Omne.* 1. *C. comm. de Legat. & Fideic.* Non ex figura literarum, sed sensu obligamur. *l. Non ex figura.* 38. *D. de Obligat. & Act.* Nec unquam Iudaice, uti omnes de hac re scribunt, statuta sunt intelligenda. Christinæus. *Prælud. ad ll. Mechlin. n.* 25. post varios. Ratio dubitand. I. Verba sunt expressa & nota. Magis id sequi oportet, quod expressum & notum est. Ratio verò incognita, quia non addita. II. Non à verbis recedendum, nisi cum apertissimè de mente contraria constare possit. *l. non aliter.* 69. *D. de legat.* 3. III. Uti nulli præsumendi sunt quid dixisse, quod non mente agitaverint. *l. labeo.* 7. *§. Servius.* 2. *versic. Cæterùm. D. de supell. legat.* Ita nullo modo Statuentes: Cum sint prudentes viri, rerum intelligentes. *l.* 1. *&* 2. *D. de legib.* IV, Idem postulat textus, *in l. prospexit*

12. §. 1. D. *qui & à quib. manumiss. lib. non fiant.* V. Opinio statuentium pro ratione habenda: Tantum statutum disponit quantum loquitur. Licet nobis videatur iniquum, non ergò est in se absurdum vel iniquum. Gail. 2. *Observat.* 33. *n.* 2. post varios.

6. Statutum specialiter quid corrigens, specialiter explicandum, ut non de casu in casum, de persona in personam, de re ad rem extendatur, sed omissus casus eo non comprehensus esse dicendus sit. Limitata enim causa, limitatum parit effectum. *arg. l. In agris.* 16. D. *de acquir. rer. domin.* Correctoria semper strictè sunt accipienda. *arg. d. c. Cum dilectus* 8. *x. de consuetud.* Quod eousque procedit, ut licet ratio sit eadem, non tamen extensio admittatur. Gail. *d. lib.* 2. *Observ.* 33. *n.* 4. per *l. Quod verò.* 14. *D. de legib. c. quæ à Iure. De Regul. Iur. in* 6. Rat. dub. I. Statuta sunt leges. Leges sunt interpretandæ, ut, cum in uno casu manifesta est earum sententia, is, qui Iurisdictioni præest, ad similia procedere, & sic jus dicere debeat. *l. Non possunt.* 12. *D. de legib.* Et quæ initiò constituuntur, justa interpretatione sunt supplenda in aliis, quæ tendunt ad eandem utilitatem; *l. Et ideo.* 11. *l. Nam, ut ait Pedius.* 13. D. *eod.* II. Cur non idem jus, ubi eadem ratio. *l. Illud quæsitum.* 32. D. *ad l. Aquil.*? III. Cur non pro adjecto habebitur, quod verbis non continetur, cum in explicatione Edicti, contractuum vel quasi, id recipiatur *l. Ait prætor.* 3. §. *Hæc verba.* 6. D. *de negot. gest.*? Vid. Burgund. *in Consuet. Fland. in prolegem. n* 6. *& seq.* Duaren. *in l. possideri.* 3. *pr. vers. Hinc tractata est quæstio.* D. *de acquir. vel amitt. possess.*

7. Statutum, quod legitimè est factum, tenet omnes, qui subditi sunt statuentium Territorio. *l. Omnes populi.* 9. *D. De Iust. & Iur. l.* 1. 2. D. *de legib.* Imò & statuentes ipsos: quia & ipsi Statuentes sunt de populo vel iis, quibus statutum fit. Sunt quidem eo tempore autoritate superiori armati, quâ ad hoc allecti

allecti sunt, ut statuant; Verùm ex propria eorum persona, non aliter sunt reputandi, quàm reliqui Cives. Quod enim quisque juris in alium statuit, ut is eodem jure utatur, æquissimum est. *l.* 1. *&* *t. t.* D. *Quod quisque jur.* Zasius *in l. hoc edicto.* 2. D. *eod.* Ratio dubit. Princeps, quia condit leges, est solutus legibus. *l. Princeps.* 31. D. *de legib.* Ergò & statuentes, quia statutum condiderunt. Tantum potest inferior in suo territorio, quantum Imperator in Imperio. Vid. DD. à Zas. *d. l.* allegatos.

8. Etiam illi, qui sunt de divina domo, obligantur ex statutis: siquidem sint generalia. *l. Omnes* 10. *C. de legib.* Magistratui ejusque præceptis tanquam ordinationi Dei obtemperandum est. *Ad Roman.* 13. *v.* 1. *&* *seqq.* 1. *Pet.* 1. 2. 13. 14. Inquit Christus; date Cæsari, quod Cæsaris est, Deo quod Dei est. *Matth.* 22. *v.* 21. Ratio dubitandi. I. Ex *Authent. Cassa & irrita. C. de SS. Eccles.* II. Pugnat hoc cum Christiana libertate, quæ sub lege non est.

9. Advenæ duo, qui sunt ejusdem Territorii, alio in loco, quam suo, simpliciter contrahentes fortuitò, Ignari juris, quod aliter observatur in loco contractus, quam suo, non videntur secundum aliud jus, quàm id, quod in sua patria obtinet, contraxisse. Adventitius hic casus, quod simul in eum locum venerint, non hîc computandus. *l. Iulianus.* 6. D. *Qui & à quib. manumiss. lib. non fiant.* Uti nec res eo sunt loco, quæ non sunt ibi, ut ibi habeantur, sed ut in pristinum locum revocari possint. *l. Ex facto.* 35. §. *Rerum.* 3. D. *de hered. Institut. l. si fundus.* 44. *l. si ita legatum.* 86. D. *de leg.* 1. Ita nec contrahentes eo loco, a quo domum mox redituri sunt, esse contrahendi causa dici poterunt. Ratio dub. I. Si non appareat quid actum sit, inspici oportet morem regionis, in qua est gestum negotium. *l. In stipulationibus,* 34. D. *de Reg. Iur.* ubi Decius. *l.* 1. *pr.* D. *usur.* II. Ibi quisque forum sortitur, ubi contractus est celebratus.

l. heres. 19. pr. & §§. seqq. l. Omnem. 20. D. Iudic. Si ibi forum, ergò & Ius. Conveniens enim eſt, ut Iudex non ſecundum alienas, ſed ſuas leges ex contractu, ſub ſuo territorio inito, judicet. Vid. Buſ. Coſtal. *in D. l. ſi fundus. 6. D. de eviction.*

10. Idem arbitror procedere, cum convenit inter eos, ut ſtatim vel poſt ibi, ubi contraxerunt, fiat ſolutio. Intentio enim alia eorum non fuit, quam ut ſecundum ſuæ patriæ leges agerent. Actus enim, ut dici aſſolet, agentium nunquam quid operantur ultra eorum intentionem. *l. Non omnis. 19. D. de Reb. credit.* Intentio verò talis eſſe præſumitur præcipuè ex perſonæ qualitate, conditione, ac domicilio, ſi non fortior conjectura. *Rat. dubit.* I. Ex eo, quod ibi, ubi contractum eſt, ſolutio debeat fieri, probatur Liquidò, quod iſti territoris ſe ſubmiſerint contrahentes. Judicem & leges ejus loci agnoverint. *d. heres. 19. & ſeq. Junct. l. Contraxiſſe. 21. D. de obligat. & Action.* II. Si alleget, qui ita ſe exiſtimat eſſe captum, ſuam ignorantiam, habebit quod ſibi imputet. *l. Qui cum alio. 19. D. de Reg. Iur.* Et ſuæ facilitati expenſum ferat. *l. ſi is, à quo. 3. §. fin. D. ut in poſſeſſ.* III. Non adferre, ſed invenire & pati leges, ubi agitur, quiſque debet. IV. Sequimur tempus & locum, quo quid petitur. *l. vinum. 22. D. de reb. credit. l. ſi merx. 4. D. de condict. Triticar. vid.* Nicolaum Burgund. *ad Conſvet. Flandr. tract. 4. n. 6.* Bartol. *in l. cunctos populos. l. n. 14. & ſeqq. C. de ſumni. trinit.*

11. Sin autem iſtuc non caſu venerint, ſed eo animo, ut iſto loco contraherent, uti ſolet fieri in nundinis, ac merces ibi ſuas vel unus vel ambo contrahentes habuerint, ut ibi eæ poſſent deſtrahi, non dubito, quin ſecundum leges ejus loci, & non patriæ, in lite eorum ſuper controverſiis ex negotiatione, ibi contracta, ſit judicandum: Si vel nihil ſit dictum de ſolutione, vel maximè ſi convenerit, ut ibi fieret ſolutio. Huc faciunt textus, *in d. l. in ſtipulationib.*

34. *in*

34. *in d. l. 1. pr. in. d. l. heres.* 19. *& seq. in l. si fundus.* 6. *D. de Eviction. in l. Quod si nolit.* 31. *§. Quia assidua.* 20. *D. de ædil. Edict. Rat. dubit.* Atqui præcipuè personarum ratio habenda. *arg. l. Ejus.* 16. *§.* 1. *D. de oper. libert.* Cum autem quis cum suo Concive contrahit ipsius personæ ut sui concivis, qui sc. eodem jure secum utitur, jus spectare videtur, *l. Qui cum alio.* 19. *D. de Regul. Iur.* Cum verò id fit, secundum leges patriæ contractum esse initum præsumi oportet.

12. Extraneus habens res immobiles alibi sitas, si circa eas de dominio vel simili causa, quæ rem afficit, oriatur quæstio, sequi debet statuta loci, ubi res sunt. Sunt enim immobilia quasi loco affecta. *fac. l. Actor.* 3. *junct. l. si quis alterius.* 2. *C. ubi in rem act. exerc. deb.* Bartol. *in l. Cunctos populos. n.* 27. *C. de summ. Trin. per l. An in totum. C. de ædific. privat. Rat. Dub.* Personam sequi debent bona, tanquam accessoria Principalem, ignobiliora nobilius: Et persona ac domino nihil dignius. *arg. §. fin. in f. Institut. de jur. nat. gent. & civil.*

13. Si Titius forensis contraxerit cum Cajo, Cive ejus loci, ubi contrahitur, sequi oportet Titium Jus Civitatis, in qua contraxit. Contractus enim ibi absolutè accepit originem & essentiam suam. Huc faciunt textus allegati pro Thesi 11. *Rat. dubit.* I. Atqui fraudes à Cive possent committi, siquidem pateretur errare Forensem: Malitiis autem non est indulgendum. *l. in fundo.* 38. *D. de Rei vindicat.* II. Forensis est extra territorium Statuentium; quo circa non tenetur eorum statutis parere. *l fin. D. de Iurisd. vid Bartol. d. loc.*

14. Nec puto aliter jus esse dicendum, si Forensis ignorantiam statuti alleget. Debet enim scire, cum contrahit. *d. l. Qui cum alio contrah.* 19. Interim, ignorantia aliquandò excusabit, cum ratione personarum. quales commemorantur *in. l. cum de indebito.* 25. *§.* 1. *D. de Cond. Indeb.* tum & ratione Juris non ita obvii

omnibus. Nemini enim facilè sua simplicitas debet esse fraudi, cum difficulter quid sciri potest. *l.* 1. *D. de dol. malo.* Præterea, cum Civis nondum interesse cepit, in damno jurisdictio temperanda est. In damnis enim & Juris ignorantia præbet excusationem. *l. Iuris ignorantia.* 7. *& l. seq. D. de Iur. & facti ignorant.* Rat. dub. Semper debet excusare ignorantia alieni juris. *l. fin. D. de decret. ab ord. faciend. l.* 1. *D. ut in possess. legator. vel fideicomm. l. fidejussor.* 29. *vers. ubi verò ignoravit. D. mandat.* Nec sanè est conveniens, ut legibus homines ignari illaqueentur; & ab ipso jure injuriarum sit occasio. *l. Meminerint.* 8. *in pr. vers. ne inde. C. Vnde vi.*

15. In delictis non tantum forum datur, secundum *l.* 1. *C. ubi. de. Criminib. Authent. Qua in provincia ibid.* sed & pæna secundum statutum loci, quo commissa sunt, infligitur. Omnem enim præscriptionem fori reatus criminis excludit. *d. l.* 1. *Et auth. Qua in provincia. l.* 1. *C. ubi senator. & clariss.* Nec, si sit delictum jure communi prohibitum vel alias grave, distinguendum, utrum delinquentes sciverint vel ignoraverint pœnam ejus loci, *arg. l.* 1. *& seq. D. de legib.* Sin verò, quod tantum prohibetur statuto non jure communi nec naturâ sit delictum, vel veretur ac pœna ob id non infligatur, poterit quis ob ignorantiam excusari. *l fin. D. de decret. ab ord. faciend.* nisi ea supina sit. *Vid. Iul. Clar.* 5. *§ f. quæst.* 85. *n.* 3. Rat. dub. I. Pœnæ sequuntur suos authores *l. Sancimus.* 22. *C. de pœn.* & consequenter loca originis vel domicilii eorum. II. Frustra distinguitur inter delicta, quæ solo statuto, & ea, quæ jure Communi vel naturâ puniuntur, cum talis casus dari non possit: Quod enim naturæ jurique communi gentium ac totius populi est conveniens, non potest inhiberi & pænæ subjici. Manent enim ea jura immutabilia ceu à Deo constituta, *arg. §. pen. Inst. de Iur. natur. gent. & civil. vid. Bartol. in D. l. Cunctos populos. n.* 20. *& seqq.*

16. Si

16. Si delinquens extra territorium sit puniendus in loco sui domicilii, & statuto patriæ non sit specialiter cautum, quod delinquens puniri debeat Pœna quæ est in statuto, sive in territorio sive extra id deliquerit, debet Judex pœnam statuto loci, ubi delictum perpetratum est, comprehensam sequi. Delicto enim suo sese ad istam pœnam obligavit. *Iul. Clar.* D. *quæst. n.* 4. *Rat. dubit.* Judex in puniendis suis subditis leges, quæ iis dictæ sunt in personas, sequi debet. Dictumque est receptum: ubi te invenero, ibi te Iudicabo, non secundum aliorum sed propria Jura.

17. Cum testamentum est conditum à forensi eo loco, quo non tot solemnitates desiderantur, quot, ubi domicilium habet & sua bona, Distinguere soleo, ut, si ordinandæ ultimæ voluntatis, causa ad eum locum, quo pauciora solemnia solent adhiberi, concesserit, non valeat testamentum, ne sit in potestate calumniosa subditorum Iuri publico derogare & suo magisttatui alienas leges obtrudere. Nec enim privatorum cautiones legum authoritati nocent eamque tollunt *l. fin. in fin* D. *de suis & legit. hered. l. Neratius* 20. *vers. quia.* D. *de religios.* Nec etiam Ius, lex sive statutum extra territorium valere potest. *l. fin.* D. *de Iurisd. l. Duumvirum.* 53. C. *de Decurion.* Huc & facit textus, *in l. si non speciali.* 9. C. *de Testam.* Ubi testamentorum solemnitates non ad locum quo sunt facta, sed ad jura & privilegia patriæ cujusque rediguntur. Cujac. 14. *Observat.* 12. *& consultat.* 25. *versic. Decima.* Ratio dubit. I. Annon rectiùs, quòd solemnitas actus sit spectanda ex usu illius loci ubi fit, secundum *l. Testamenti.* 2. C. *Quemadm. testam. aper.?* Quod enim semel rectè est factum, durare debet, licet inciderit in eum casum, à quo non potuerit habere initium. *l. In ambiguis.* 85. §. 1. D. *de Regul Iur.* Vid. Bartol. Baid. Alciat. *in l. Cunctos populos. C. de summ. Trinit.* Costal. *in d. l. si fundus.* D. *de Evict.* II. Annon rectiùs, quòd voluntas in immobilibus alibi

ſitis non valeat, in mobilibus utique: Cum mobilia ſequantur perſonam, immobilia ſint aſtricta loco. arg. *l. ſi quis alterius.* 2. *& ſeq. C. ubi in jure act.* & adeo ſequantur ſtatuta loci, quo ſunt. Vide D. Buſ. *in d. l. ſi fundus. num.* 16. Vide Burg. *ad Conſu. Flandr. tractat.* 6 Vivium, *in lit. T. n.* 29. *ampl.* 1. Soar. *in lit. T. n.* 75. Gribald. *in verb. Teſtamentum. regul.* 10. Vaſq. 4. *contr.* 3. *n.* 18. 19.

18. Si Forenſis ex causâ morbi vel alterius ſupervenientis periculi vitæ, loco, quo pauciores ſolent uſurpari ſolemnitates, ultima ſua elogia ordinaverit, ea ſunt ſervanda etiamſi domi, in patria, ad eam formam facta teſtamenta nullas habeant vires. Ex æquitate enim ſubveniendum eſt & omittenda ſolemnia. *l. Divus.* 7. *D. de reſtitut. in integr.* Ne fraudentur ultima voluntates, ſubtilitates rejiciendæ. *l. ſi quis heredem.* 7. *C. de Inſtitut. & ſubſtit.* Et neceſſitas facit licitum, quod aliàs eſt illicitum *c. quod non eſt licitum.* 4. *de Reg. Iur.* Huc facit *arg. ex pr. Inſt. de Codicill. ex l. fin. D. eod.* Ratio dubitandi. Imputent ſibi, quod in tempore, cum domi vel extra periculum eſſet conſtitutus ſibi non proſpexerit, & teſtamentum condiderit. *arg. l. ſi is, à quo.* 3. §. *fin. D. ut in poſſ. legator.* Nec id iniquum eſt, cum ex ſua culpa ſuoque vitio afficiatur incommodo. *l, nec id iniquum.* 15. *D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* II. Imò nec domi ob morbum vel alias cauſas potuiſſet ſine omni ſolennitate debita condere ſuas voluntates; Cur ergò apud exteros id fieri ab eo permittetur?

19. Si, qui condidit ſolenniter teſtamentum, in patria non habuerit factionem ejus, alio autem territorio, in quo non habet bona, habuerit, nihil proderit alio loco eum feciſſe Teſtamentum: quia ſtatuta non poſſunt legitimare, hoc eſt, aptam & habilem facere perſonam ſibi non ſubditam. Quiſque enim in ſuos tantum habet jus *l.* 1. §. *fin. D. de Tutor. & Curat. dat.* Bartol. *in d. l. Cunctos populos. num.* 26.

Ratio

Ratio dubit. I. Ex *l.1.C. de Emancip. liberor.* II. Ex eo, quod, ubi quis testamentum ordinat, se istius loci subjiciat legibus, ejusque loci jure frui debeat.

20. Si eo in loco, ubi conditum est testamentum, habuerit bona, & testamenti factionem jure, puto quoad illa bona valere, licet domi in suo territorio non potuisset ab eo condi testamentum: cum enim ibi habet bona, de iis voluntas ibi jure condita sustinebitur. Rat. dubit. Absurdum est eandem rem diverso jure censeri. *l. Eum qui 23. §. fin. D. de usurp. & usucap.* & eandem personam pro parte testatam decedere. *l. Ius nostrum non patitur. 7. D. de Reg. Iur.*

21. Si quis in testamento, quod extra suum locum condidit, quidem satisfecerit Patriæ suæ legibus, non verò ejus loci, ubi fecit, nullius momenti non erit, quod fecit. Solemnitates enim actus pertinent non tam ad eum locum, ubi quid agitur, quam ad domicilii locum *d. l. se non speciali. 9. C. de testam. Cujac. d. 14. observ.* 12. Nec etiam ex scriptura ac conceptione Instrumenti quis se legibus loci, in quo quid scribitur, subjicit. *l Exigere 65. D. de Iudic.* Nec causa est, cur valere non debeat in patria, cum nihil adversus patriæ leges est actum. Rat. dub. In solemnitatibus cujusvis actus spectandam esse consuetudinem ejus loci, ubi is celebratur, communi calculo *D D.* est receptum: quocirca cum ibi non valeat, nec potest alibi habere vires. Et quod ab initio, i. cum fit, non valet, id aliundè & ex postfacto non potest confirmari. *arg. l. Quod ab initio. 29. D. de Regul. Iur.*

22. Si quis in suo loco, ubi domicilium habet, condiderit testamentum iis solemnitatibus quæ ibi sufficiunt, plures verò & majores requirantur alibi, ubi bona sunt sita, valebit hoc testamentum ubique, ubi confectio testamentorum admittitur. Plenissimè enim legi sui domicilii satisfecit: adeoque cum actus ibi validus est, debet ubique admitti. Adeò, ut

heres ſuccedere poſſit in omnibus bonis, ubicunque ſitis, & in univerſum Teſtatoris jus. Huc faciunt textus *in l. ſi fundus.* 6. *D. de Evict. l. In ſtipulationibus.* 34. *D. de Regul. Iur. l. ſi non ſpeciali.* 9. *C. de Teſtam. l.* 1. *C. de Emancip. liberor. l. In ambiguis.* 85. §. 1. *D. de Reg. Iur. l.* 2. *C. quemadm. teſtam. aper. DD. in l.* 1. *C. de ſumma Trinitat.* Gail. 1. *obſervat.* 123. Non diſtinguo inter mobilia & immobilia. Rat. dubit. Non eſt in poteſtate ſtatuentium dare legem alii perſonis vel rebus, quam iis, quæ ſunt ſub Iuriſdictione eorum. *l. Duumvirum.* 53. *C. de Decurion.*

23. In ſucceſſione ab inteſtato bona deferuntur ex conſuetudine ac ſtatutis locorum. ubi ſitæ ſunt. Bartol. & Bald. Iaſ. *in D. l. Cunctos populos.* Nec diſtinguendum eſt inter bona mobilia & immobilia. Defunctus enim illa reliquit & tacita ſua voluntate ſubjecit ſtatuto ejus loci, ubi reperiuntur. Undè & ubique cum de bonis hereditariis agitur petendis, mentio fit loci, ubi ſunt. *l. quod legatur.* 38. *l. ſi fideicommiſſum.* 50. *D. de Iudic. l. un. C. ubi de heredit.* Ratio dubit. Mobilia ſequuntur perſonam & ſic ejus domicilium, ubi obiit. Gloſſ. & DD. *in l. fin. C. ubi in rem act. exerc. deb.* Gail. 2. *obſerv.* 124. *in fin.*

24. Debitorum Nomina, aliæque actiones & jura cum de iis ob varium ſtatutorum in diverſis locis jus, lis oritur, quandoque mobilibus, quandoque immobilibus, quandoque nec huic nec illi ſpeciei annumerari poſſunt, ſed pro qualitate circumſtantiarum accipientur. Rat. dub. I. Imò & diſtinguendæ ſunt ſemper actiones ab immobilibus vel mobilibus. *l. A divo.* 15. §. *In venditione* 2. *D. de re Iudicat.* II. Imò ſemper referendæ actiones ad perſonam. Sunt enim univerſarum facultatum. *d. l. ſi fideicommiſſum* 50. §. *Tractatum.* 1. *D. de Iudic.* & quaſi oſſibus defuncti ex natura obligationum inhærent.

25. Collegia & corpora approbata de iis, quæ ſunt ſuæ profeſſonis & artis, decreta conſtituere poſſunt. *arg.*

arg. l. 1. l. pen. D. de Decret. ab ord. faciend. arg, l. Receptitia. 2. §. fin. uti ex ea lege colligit Bald. *C. de constit. pecun.* ubi gloss. Modò nihil fiat contra legem publicam & extra ea quæ sunt ejus artis & negotiationis. *arg. l. prætor ait. 3. §. D. Hadrianus. 5. D. de sepulchr. violat. l. 1. D. de usur. arg. l. si unus. 27. §. 4. in fin. D. de pact.* Rat. dub. I. Collegia sunt loco privatorum. *l. Eum, qui 16. inf. D. de verbor. signific.* Privati verò nihil, quod legem sapit, possunt constituere. Sed legem, jus, decretum facere, est Majestatis *l. D. de constitut. Princip.* II. Nusquam id expressè est datum Collegiis; illi verò, quæ lege deferri debent, probari oportet speciali lege, non ex argumentis. *l. 1. D. de offic. ejus, cui jurisd. est mandat, l. placet. 2. vers. Quod non ita. C. de pedan. judicib.*

EXERCITIUM NONUM.

Resp. FRIDERICO IUGERT.
Slesuicensi.

De Constitut. Principum.

THESIS PRIMA.

QUicquid principi placuit, legis habet vigorem: modò id sit æquum justæ rationi consentaneum, *l. 1. pr. & §. 1. D. h.* Rat. dub. I. Nihil de æquitate vel justa ratione additur in definitione Constitutionum Imperialium quæ est *in d. l. 1. & §. sed & quod. 6. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Magisque præsumenda quam quærenda æquitas in Principum placitis *l. præt. 2. §. merito. 10. D. ni qvid in loc. public.* Principi est imperium, subditis obsequii gloria relicta. II. Me, cum Populus condet legem, de ratione disseritur, sed tantùm de suffragio & placito populi: Non magis in

Iure

Iure à Principe lato, cum is in populi locum & jus ſucceſſerit. *d. l.* 1. *& d.* §. 6. quærendum, an juſta ratione jus conſtitutum ſit. Voluntas enim ſtat pro ratione. III. Noxium eſt in republica, de æquitate & ratione legum liberè diſputare: dat ea res turbas, & multa, quæ benè conſtituuntur, ita ſubverterentur. *l. Et ideo.* 21. *D. de legib.* Solent enim multa ſecundùm *l. Ita vulneratus.* 51. *in fin.* D. *ad l. Aquil.* contra ſubtilem diſputandi rationem recipi pro utilitate communi, quam multi non capiunt, & revelari non eſt ſemper tutum.

2. Conſtitutiones Principum ligant poſt promulgationem; *l. leges.* 9. *C. de legib.* nec quidem à promulgationis die, ſed dandum eſt tantum temporis intervallum, ut potuerint pervenire in notitiam Populi. Moderatum autem, Iure civili. viſum eſt duorum menſium. *Nov.* 66. *c.* 1. ſed id procedit, niſi vel longius vel brevius ſit præſcriptum. Uti trium, *in Nov.* 85. *in præf.* triginta dierum. *Nov.* 116. *c.* 1. Rat. dub. I. Videtur tempus duorum menſium *in d. Nov.* 66. *c.* 1. non dari generaliter, ſed tantum in illa cauſa, de qua ibi agitur. II. Præſtaret hoc tempus, cum non ſit expreſſe definitum, relinquere arbitrio Judicis ſimpliciter. *arg. l.* 1. §. *fin. D. de Iur. delib.* Et hodiè ſervatur, ut, ſi dies non ſit additus, detur juſtum ſpacium, intra quod populus ſcire potuit.

3. Conſtitutiones ſunt vel generales, vel ſpeciales. *d.* §. *ſed & quod Principi.* 6. *d. l.* 1. *in fin.* Generales, quæ omnes tenent, & ab omnibus obſervandæ. *l. leges, ut.* 3. *C. de legib.* Speciales, quæ ſunt perſonales. *dd. ll.* Rat. dub. I. Imò omnes ſunt generales, quia & ſpeciales ab omnibus ſunt obſervandæ. Si enim alicui beneficium ſit indultum, ab omnibus obſervandum hoc erit, ut is beneficio eo poſſit frui. II. Speciales non poſſunt dici jura, quia jura in ſingulas perſonas non poſſunt conſtitui. *l. Iura.* 8. *D. de legib.* ſed generaliter.

4. Quic-

4. Quicquid Princeps per Epistolam statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, legem esse constat *d.* 1. §. 1. D. *h.* Idem *in l. fin. pr. C. de legib.* Ex qua *l. fin.* colligo, semper esse legem, quoties voluerit Imp. legem esse. Imò licet id non expresserit, modo non constet de contraria voluntate. Rat. dubit. I. Atqui singulares Constitutiones, non excedũt personam vel rem ac causam, ad quam referuntur. *d. l.* 1. §. *fin.* Et quæ in singulari lite vel negotio proferuntur, sunt speciales sententiæ. II. Expressè, inquit textus *in l. leges.* 3. *C. eod.* Non aliter esse legem, quam si Princeps censuerit ea in aliis negotiis esse observanda: adeo ut sententiæ ejus tantum præjudicium in speciali causa non in aliis sint facturæ.

5. Principis est difficulter delicti dare veniam &, cum delictum est commissum contra morale jus, delinquenti impunitatem: imò non aliter, quam ex justa causa, eaque publica: Quo facit *l. Ad bestias.* 31. D. *de pœn.* Moralia enim principia non à Principe turbanda, cum à Deo constituta & cordibus hominum insculpta, sed dirigenda ad juvanda. Rat. dubit. Imò licebit Principi remittere sine ulla causa. Quicquid enim ei placuit, lex est. *d. l.* 1. *pr.* II. Non sunt refutanda rescripta, quibus Princeps alicui sine exemplo subvenit. *d. l.* 1. §. 1. quibusque crimen supplicantibus remisit. *l. Rescripta.* 7. *C. de precib. Imp. offer.* III. Non est dubium, quin cum Princeps remittit, habeat causam justam.

6. Principem solutum esse legibus omnibus ex nonnullis locis colligi posse sine difficultate videtur. Verùm ut omnis hæc controversia optimè tollatur, videtur variè distinguendum esse, I. Inter honestatem & potestatem. Princeps, Si potentiam ac Imperium summum quis expendat, non videtur esse alligatus legibus. *l. Princeps.* 31. *D. de legib.* Si verò honestatem & quid deceat, aut quod verecundum, vel mores Principis ipsius quis spectare

velit,

velit, nullo modo est solutus. *l. Digna vox.* 4. *C. de legib.* §. *fin. Inst. quib. mod. infirm. testam. C. Ex imperfecto.* 23. D. *de legat.* 3. Ita Fachin. 1. *Controv.* 2. Qui distinguit inter vim coadivam & directivam. Cogi non potest Princeps, cum sit suprema ipsi potestas, at suas actiones ad bonum publicum & æquitatis regulas, quæ inter privatos observantur sequi debet. II. Inter personam Principis, quæ est in ipso secundum Majestatem, & privatas ejus actiones. Quâ publica ejus persona, quæ Majestatem repræsentat, attenditur, est supra leges: Quia condere eas pro arbitrio potest: Quâ privata ejus negotia patrimoniumq; quis intuetur, est infra leges. *d. l. Ex imperfecta.* 23. *D. de legat.* 3. III. Inter principem bonum, qui utitur sua potestate, & malum, qui abutitur, sive Tyrannum. Bonus sibi nihil lubere putat, quod per leges non liceat. Vid. D. Tim. Fabr. disp. anniversf. *ad* §. *sed & quod Principi.* 6. Rat. dubit. I. Simpliciter & indistinctè solutus legibus esse pronunciatur Princeps *l. Princeps.* 31. D. *de legib.* Præest legibus. *l. Deprecatio* 9. D. *de l. Rhod. de jact.* Itaque nec distinctio hic ponenda *arg. l. de precio* 8. *D. de public. in rem act.* II. Benevolentiæ ac voluntatis est, quod Princeps legibus vivat, non Iuris. *d.* §. *fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Imo & posset videri, quod nullis sit solutus. I. Cum quisque eam legem ferre debeat quam ipse tulit: Ita Prætor suo edicto obligatus fuit. *l.* 1. *& t. D. Quod quisque jur.* Ita populus ex jure, quod constituit, obligatus fuit; unde Princeps obligabitur, qui populi locum tenet. II. Non est solutus lege falcidiâ. *l. Et in legatis.* 4. *c. Ad l. falcid.* III. Periculosum est tantam potentiam uni tribuere, ut nutu suo & arbitrio manuque regia omnia gerat & regat. Præstat legem, quæ cæca est, dominatur & ex æquo jus tribuit, quam hominem, qui cæco affectu in personam abripitur. IV. Cum solemnibus imperii tantùm sit solutus, *l. Ex imperfecto.* 3. *C. de Testament.* Vel tantùm, *l. Iulia, Papia* ut

ut Cujac. lib. 5. *Obs.* 30. arbitratur *ex d. l. Princeps* 31. ejusq; inscriptione concludit. argumento id est, quòd cæteris non sit solutus. Exceptio enim, uti dici solet, regulam confirmat in casibus non exceptis. V. Si omnia legum genera expendantur, nullum potest inveniri, juxta quod absolute solutus legibus dici potest. Iura naturæ & gentium ipsum observare oportet, quia principia eorum sunt immutabilia. *§. pen. Inst. de Iur. nat. gent. & civil.* Item & positiva seu civilia, quia ipsus ea approbavit. Quod enim semel probatum est, post improbare nemo potest. *l. Pomponius.* 9. *vers. sed eo dictum. D. de negot. gest.* Vide variè hanc controversiam Explicantes Covarr. *in relect. c. Alma Mater. part.* 4. *§.* 1. *n.* 4. Coras. 2. *Miscell. ult.* Sot. *lib.* 1. *de Iust. & Iur. quæst.* 6. *art.* 7.

7. Solemnibus Iuris solutus est princeps. Ita Quicquid coram ipso fit, nullam desiderat solemnitatem *l. Omnium.* 19. *C. eod.* Ita & si ipse quid donet vel quid ei donetur, id non est insinuandum actis. *l. Sancimus.* 34. *§. Except. & Auth. Ita à privatis.* C. *de donat.* Ratio dubit. I. Cum Princeps institutus est heres non solemniter, non valet institutio. *§. fin. Inst. Quib. mod. testam. infirm.* II. Solemnitate institutionis liberorum vel parentum omissâ, potest Testamentum, in quo & Princeps institutus est heres, jure declarari inofficiosum. *l. Papinianus.* 8. *§. si Imperator.* 2. *D. de Inoffic. testam.*

De Mandatis Principum.

8. Ut omnis fraudis suspicio, impressionesque potentiorum tollantur, est constitutum, ut non debeat fides haberi ei, qui allegat mandatum principis, nisi id scripto probet. *l.* 1. *C. h.* nisi de Iudicis, vel Adsessoris datione sit quæstio, aut de rectè ferenda sententia. *l. fin. C. h.* Ratio dubit. I. Imò non videtur præcisè opus esse instrumento scripto, cum & sufficiat

ciat numerus Testium ad plenam probationem. *l. in exercendis.* 15. *C. de fide Instrum.* II. Absurdum est, Principem pluribus alligatum esse probationum solemnibus, quam privatos: cum & privati sua per duos testes probare possint mandata. *arg. l. ubi numerus.* 12. D. *de Testib.*

De precibus Imperatori offerendis.

9. Non licet supplicare de iis, quæ jus tertii lædunt. *l. Rescripta.* 7. *C. h.* Rat. dubit. I. Permissum est privilegia petere *l.* 1. §. *fin.* D. *de const. Princip.* Et sacrilegium est divinis obviare beneficiis à Principe datis *l. sacrilegii.* 5. *C. de Devers. rescript.* Beneficia verò faciunt privatum quod ante publicum erat & omnibus competebat: undè, ut quis beneficia consequatur, adimitur jus aliis. II. Petere quis potest, ut cum incommodo alterius ædificet. *l. Prætor ait.* 2. §. *si quis à Principe.* 16. *in fin.* D. *ne quid in loco public.*

10. Semel adversus præfectorum prætorio sententias licet supplicare. *l. si quis adversus.* 5. *C. h.* Ratio dubit. I. Licet bis absque omni scrupulo appellare *l. un. C. ne liceat in un. ead. caus. tert. provoc.* II. Imò non licet omninò adversus sententias præfector. Prætorio supplicare, cum, uti & supremæ curiæ, vice principis judicant. *d. l. un.* C. *Ne liceat, in una eademque causa, &c.*

11. Non est necesse, ut ipsum authenticum instrumentum, vel ejus exemplum precibus adjungatur, verùm sufficit ejus vim exprimi in precibus. *l. fin. C. h.* Rat. dubit. I. Multum eo modo posset Principi, quod admittendum non est, obrepi vel per malitiam, vel per ignorantiam. II. Non potest jus dici, nisi ipsum authenticum fuerit exhibitum. Nec Iudices, nec exempla sufficiunt *l. Quicunque* 2. D. *de probat.*

Ex

Ex tit. Cod. Vt lite pendente, &c.

12. Est quidem permissum ante litem institutam sed non post appellationem aut definitivam sententiam principi supplicare. *l.* 1. *&* 2. *fin. C. h.* nec lite pendente, nisi agatur de actis exhibendis & similibus, quorum mentio *in l. supplicare.* 2. *C. h.* Rat. dubit. I. Prohibitum non est post appellationes supplicare adversus sententias præfecti prætorio. *l. si quis adversus* 5. *C. de pracib. Imp. offer.* Imò & adversus alias *l.* 1. *versic. Iudicatum. C. de his, qui in prior. creditor. loc. succed.* II. Imò, licet etiam per supplicationem petere à Principe indistinctè, quovis sc. tempore, legis interpretationem. *l.* 1. *C. de legib.* III. Potest adiri Princeps, quoties, quod justum est, non potuit impetrari à Iudice, ad quem cognitio causæ pertinebat. *Nov.* 17. *c. sit tibi quoque* 3.

Ex tit. si contractus vel util. &c.

13. Nullum rescriptum, nulla pragmatica sanctio, nulla sacra adnotatio, vel quicquid generali juri adversari videtur, in disceptatione alicujus litigii poterit proferri ad juris probationem. *l. fin. C. h. t.* Rat. dubit. Utique rescripto suo jus constituit Princeps. *l.* 1. §. 1. *D. de Constitut. Princip.* Et priores leges tollit; sunt enim posteriores leges fortiores prioribus. *l. fin. D. eod.* Nec potest esse jus certius, quam id, quod speciale est: Id enim omni modo corrigit generale: & maximè attendendum quod ad speciem directum est. *l. In toto jure.* 80. *D. de Regul. Iur.*

14. Rescriptum quod pugnat cum utilitate publica, nullas habet vires. *d. l. fin. C. h.* Iuris, sc. quod observari debet, intuitu. Hac in re non simpliciter rejicere rescriptum, ne hoc ignominiosum Principi sit, verùm instruere Principem, Et interim differre ex-

ecutionem, *Nov.* 17. *c. Deinde.* 4. ac, si instructus plenè noluerit mutare id, quod præcepit, obtemperare præstat, quam Rempubl. turbare. *l. Servo.*65. §. 2. *D. ad SC. Trebell.* Rat. dubit. Satius est publicam utilitatem, quam Principis personam respicere. Fiat Iustitia, suumque cuique tribuatur, & pereat mundus.

15. In iis, quæ pugnant cum verbo Dei, lege naturæ ac morali, non est mos Principi gerendus. Magis Deo, quam hominibus obediendum. *Actor.*4. *v.* 19. & 5. *v.* 15. Sunt impossibilia, quæ contra honestatem, pietatem & bonos mores. *l. filius.* 15. *in fin. D. de Condit. Institut.* Rat. dubit. Obedies Magistratus præcepto, tanquam ordinationi Divinæ. *Ad Rom.* 13. *pr. & verss. seqq.* ubi non distinguitur inter præcepta. Imò oportet obedire etiam malo ac improbo Principi. *Ad Rom.* 13. 1. *Pet.* 2. 18. Nec, quod alicui ex populo videtur malum, omnino est malum. *l. non omnium.* 20. *D. de legib.* Nec privatorum est de lege ejusque ratione judicare. *l. Et ideo.* 21. *D. eod.*

De diversis rescriptis.

16. Rescripta sunt non tantum Iustitiæ, verùm & Gratiæ. Gratiæ sunt beneficia, quæ rigorem & duritiam juris mitigant & emolliunt: ut si notati infamia famæ restituantur. Ratio dubit. Non est gratificationi locus, *Thes.* 7. *disp.* 1. Ius certum & finitum est, eodem modo sibi constans. *l.* 2. *D. de Iur. & fact. ignor. junct. l. Iustitia.* 10. *D. de Iust. & Iur.* Non potest flecti. Et quod fit contra rigorem Iuris est nullius momenti. *l. si expressim.* 19. *D. de appellat.*

17. Rescripta Iustitiæ sunt perpetua, adeoque falsò adseveratur, authoritatem rescriptorum devoluto spacio anni obtinere firmitatem suam non posse. *l. Falsò.* 2. *C. h.* Nisi tempus certum adscriptum fuerit. *d. l. Falsò.* Sic quoque executio rescriptorum non interit

terit anno. Ratio dubit. Ex *c. plerumque x. de Rescript.* Vid. Tulden. *ad h. tit. n.* 2.

18. Si libellum de communi causa Tu, Fraterve tuus dedisti, quamvis rescriptum ad unius personam directum sit, utrique tamen prospectum est. *l.* 1. *C. h.* Huc facit *l.* 1. *C. si unus ex plurib. appellav.* Videtur enim Princeps velle, ut rescriptum conformis sit petitioni, *arg. l. fin, C. de fideicomm. libertatib, l. Titia.* 134. §. 1. *D. de Verbor. Obligat.* Rat, dubit. I. Personales Constitutiones, vel rescripta personalia non egrediuntur personas. *l.* 1. §. *fin. D. de Const. Princ. c. Significante. x. de rescript.* II. *l. un. C. si in comm. ead. caus. restitut. in integ. postul.*

19. Princeps ex certa scientia per plenitudinem potestatis non potest auferre alicui jus quæsitum. *l. Quoties.* 2. *l. Rescripta.* 7. *C. de precib. Imp. offerend.* Rat. dub. Nihil est quod impedit: Non factum, nec jus: quia potestas ipsi summa, per quam potest compellere alios: quia quod agit, legis habet vigorem. *l.* 1. *D. de constitut. Princ.* quia Dominus est omnium & imperat liberrimè. *l. Deprecatio.* 9. *D. Ad l. Rhod. de jact.* Vid. Angel. *in l. Item verberatum.* 15. §. 1. *D. de Rei vindicat.*

29. Ea, quæ sunt modici præjudicii, scil. in tempore, ex benignitate & sine detrimento aliorum potest admittere. Ita exceptiones sive præscriptiones moratorias rectè concedit. *d. Quoties.* 2. *l. de precib. Imper. offerand.* Sic tamen, ut cautio fieri debeat à debitore, *l, Vniversa.* 4. *C. eod.* Rat. dubit. Si Princeps non possit dare in re ipsa, ergò nec in tempore, quia & tempore non minus quam re, plus petitur vel minus solvitur. §. 33. *Inst. de Actionib.* Nec curat justitia quantitatem sed qualitatem. Observatur quoque, per dilationes & inducias ejusmodi, ipsas res perire Creditoribus: dum enim solutio differtur, res aufertur. Deindè, si fidejussor sit necessario dandus à debitore, quid ipsi proderunt induciæ, *arg. l. fin. C. de usur. rei Iudic?*

21. Tempus, quod ad redimendum id, quod venditum erat, datur ex conventione, non poteſt Princeps protogare. Per eam enim prorogationem emtor rem amitteret. *arg. l. 2. C. de pact. int. emtor. & venditor. compoſ.* Rat. dubit. I. Atqui temporales præſcriptiones & inducias poteſt permittere Princeps *d. l. Quoties. 2. C. de Precib. Imp. offer.* & hæc cauſa, de qua quæritur, tantum conſiſtit in tempore indulgendo. II. Non afficitur damno grandi, imò nullo, Emtor, ſi recuperet precium. Qui enim precio fruitur, ipſa re frui cenſetur. *l. Quia qui precio. 39. D. de uſufruct. l. 1. §. Sed ſi rem quidem 14. D. ſi quid in fraud. Patron. fact. Iur.*

Ex tit. De his, qui ad ſtatuas confug.

22. Homicidis voluntariis, raptoribus ac ſimiliter delinquentibus non patent aſyla, nec jure debet dari ſalvus couductus: tam de jure divino quam humano. Ita Ioabum ab altari abſtraxit Salomon. 1. *Reg.* 2. Ita *Nov.* 17. *c.* 6. conceſſum eſt, ut extrahantur Aſylis Homicidæ & ſimiles. Ratio dubit. I. Conſuetudo videtur approbare jus aſylorum. II. Nec alienum videtur ab uſu eorundem Verbum Dei, juxta quod oportuit ſeparare nonnullas civitates, ut in eas confugerent delinquentes. *Numer.* 35. *Deuter.* 19. *Ioſuæ.* 20. Quinimo & Ius civile admittit. *l. un. C. de his, qui ad ſtatuas confug. §. fin. Inſtit. De his, qui ſunt ſui vel alien. jur.* Vide Tholoſan. *Syntagm. Iur. libr.* 33. *cap.* 21. *& ſeq.*

De edictis Prætorum.

23. Ius Prætorium eſt, quod juvandi, ſupplendi & corrigendi Iuris Civilis gratiâ conſtitutum eſt. *l. Ius autem Civile. 7. §. 1. D. de Iuſt. & Iur. pr. Inſt. de bonor. poſſeſſ.* Itaque Prætor ipſe tanquam viva vox legis eſt habitus. *l. Nam & ipſum* 8. *D. eod.* Rat. dub.

I. Quid opus fuit, ut adjuvaretur Ius civile, cum per se satis esset efficax? II. Nec potuit unquam mutare Prætor & corrigere, cum non habuerit potestatem condendi legem. Edicta quidem in annum sui Imperii proposuit, sed non aliter quàm Iurisdictionis suæ tuendæ causâ. Vide Buſ. 1. *ſubtil.* 2. 3.

De Reſponſis Prudentum,

24. Tanta fuit olim Reſponſorum, quæ Iuris-Conſulti dabant, authoritas, ut Iudici non eſſet permiſſum à ſententiis ejuſmodi recedere. *§. Reſponſa. 8. Inſt. de Iur. natur. gent. & civil. l. neceſſarium. 2. §. fin. verſ. Et ut obiter. D. de Origin. Iur.* DD. *ad d. §. Reſponſa.* Quæ verò hodiè dantur, non habent eandem efficaciam. Rat. dubit. Promoventur Iuris Doctores hodiè ex authoritate eorum, qui majeſtatem habent, iiſque datut jus reſpondendi de Iure *arg. l. Magiſtros 7. C. de Profeſſor. & Medic.* Nec debet dari minus Iuris iis, quam veteribus Iurisconſultis: aliàs enim is, qui fiduciam ſtudiorum habet, tantum poſſet efficere ſuis conſiliis, quantum illi, qui prævio examine ad gradum ſunt admiſſi. Id verò non permittendum eſt. *arg. l. Nemini,* 11. *§.* 1. C. *de Advocat. diverſor. judicior.*

25. Authoritas gloſſæ & opinionum communium non planè rejicienda: verùm pro jure recipi non poteſt. Itaque non aliter ad probandum quicquam eſt hiſce tribuendum, quàm cum dictum probari poteſt lege vel ratione. Non enim exemplis, non ex multitudine Doctorum, quod melius & rectius eſt, judicari oportet. *l. nemo Iudex.* 13. *verſ. cum non exemplis. C. de ſentent. & interlocut. Conſt. Deo Auctore. §. ſed neq;* 6. *de concept. Digeſtor.* Rat. dub. I. Gloſſa recepta eſt communiter & per conſuetudinem publicam. Conſuetudo autem pro lege valet. *l. De quibus* 32. *§.* 1. *D. de legib.* II. Communes opiniones ſunt pro jure

omninò habendæ. Nam quod ſemper certam habuit interpretationem, non eſt mutandum. *l. Minimè.* 23. *D. de legib.* Uti plus vident oculi quem oculus, ſic conſentiens plurium opinio eſt firmior, & per plures veritas poteſt melius haberi. *l. fin C. de fideicommiſſ.* Debent ſemper eſſe Iurisperiti. qui ſuis opinionibus ac ſententiis jus in melius reducant. *l. neceſſarium* 2. §. 13. D. *de orig. Iur.* Ipſo quoque jure id, quod omnes opinantur, ſequimur. *l. Athletas.* 4. D. *de h. qui not. infam.* Sententia increſcens atque quæ quotidiè invaleſcit ſervanda. *l. Quæſitum.* 12. §. *ſed ſi fundus.* 27. *D. de Inſtruct. & Inſtrum. legat.* Vid. de gloſſ. Bartol. *in l. ut vim.* 3. D. *de Iuſtit. & Iur.* Bald. *in l.* 1. D. *de vulgar. & pupill. ſubſtitut. & in l. hereditas. C. Depoſit.* Fulgoſ. *in l. Solutum* C. *de Obligat. & action.* De communibus ſententiis, Vid. D. Tim. Fabr. *diſputat. anniv.* 3. *Theſ.* 7.

26. Qui pro ſe habet reſponſum duorum, qui approbati ſunt, Iurisperitorum, videtur habere juſtam cauſam litigandi Bald. & Salic. *in l. Iuris. C. qui admitt. ad bon. poſſeſ.* Quocirca non debet in expenſas condemnari. *arg. l. Eum, quem temerè.* 79. *pr. D. de de Iudic.* Rat. dubitand. Si verum & Iuri conſentaneum dederint duo conſilium non condemnabitur, pro quo reſponderunt. Si erraverint, eorum ignorantia vel error non poteſt Adverſario nocere. *arg. l. Factum cuique.* 155. *D. de regul. Iuris.* Nec à Conſiliis ſed ex jure veritas eſt deſumenda.

EXER-

EXERCITIUM DECIMUM.

Resp. HENRICO BROUWER, Amſtelodamenſi.

Ex tit. Cod. Quæ ſit longa conſuetudo.

THESIS PRIMA.

NOn certus actuum numerus introducit conſuetudinem, ſed is, ex quo conſtare poteſt conſuetudinem eſſe receptam. Cum enim quæſtio de introductione conſuetudinis ſit facti, non poteſt certâ juris regulâ circumſcribi, verum debet arbitrio Iudicis committi. *arg. l mora* 32. *pr.* D. *de uſur.* Ratio dub. I. Conſuetudo non poteſt dici facti, cum pro jure obſervetur & ſit ipſum jus, quod moribus approbatur. §. *ſine ſcripto.* 9. *Inſt. de Iur. natural. gent. & civ.* Si verò juris ſit, per ſe eſt vel eſſe debet finitum & certum. *l. In omni.* 2. D. *de Iur. & fact. ignor.* II. Videntur duo ſufficere ad hanc rem actus: Ita, quod Auguſtus & filia Lentuli egerunt, pro conſuetudine valuit. *pr. Inſt. de Codicill.* Ita, quod frequenter fit in eodem controverſiarum genere fuit ſervatum, cuſtodiri oportet. *l.* 1. C. *Quæ ſit longa conſuet.* Frequentia autem eſt & ex ea conſuetudo, cum bis idem commiſſum eſt. *l. nemo deinceps.* 3. *in fin. C. de Epiſcop. audient.* III. Rebus & factis conſuetudo recipitur. *l. de quibus.* 32. §. 1. *D. de legib.* Nec factorum aut rerum numerus definitur; unde nec requirentur plura facta, quam duo. *l. ubi numerus.* 12. D. *de Teſtib. arg. l. Inter illum.* 217. §. 1. D. *verbor. ſignific.* Vid. Bartol. Iaſon. *in d. l.* 32. Gail. 2. *Obſervat.* 31. *n.* 7. 8. Donell. 1. *comm.* 10.

2. Tempus ad introducendam consuetudinem non potest certum statui, sed id arbitrio Iudicis relinquendum est. Cum enim non sit in jure definitum, & res de qua agitur, in facto consistat, solet ejus determinatio Iudici committi. *l. 1. §. fin,* D. *de* Iur. *deliber. d. l. Mora.* 32. *pr. D. de usur.* Tantùm facit ad essentiam consuetudinis tacitus populi consensus, de quo si constet, etiamsi breve sit tempus, consuetudo ritè introducta est. *d. l. De quibus.* 32. §. 1. Secus verò obtinebit, si de eo non constet, etsi plures quam triginta anni sint elapsi. Menoch. 2. *arbit. Iud. cas.* 83. *n.* 6. *& seq.* Connan. 1. *Comment.* 10. *n.* 6. Rat. dubit. I. Longum tempus est in jure 10. annorum inter præsentes, 20. inter absentes. *princ. Inst. de usucap. l, fin. & t. t. C. de long. tempor. præscript.* longo autem tempore introducitur & invalescit consuetudo. Dicitur enim Consuetudo longa, *Epigraph. tit. & l. Sed & ea.* 35. *D. de legib. S C. & longa consuetud. t. t. C. h.* Longi temporis. *l. Si quas actiones* 1. *verb. longi temporis consuetudinem.* C. *de servitut. & aqua.* Diuturna. *l. Diuturna.* 33. *D. de lesib.* Ex diuturno usu & moribus. *§. sine scripto.* 9. *Inst. de Iur. natur. gent. & civil.* Vid. Costal. *in d. l.* De *quibus.* 32. Mynsing. 6. *Observat.* 41. II. Imò longissimo tantùm tempore introducitur & recipitur consuetudo: cùm sit jus. Iura verò & actiones præscribitur 30. vel 40. annis. *l. sicut.* 3. *l. Cum notissimi.* 7. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Cum & speciatim Constitutum. *l. omnes nocendi.* 4. C. *eod.* Omnium, quæ breviori temporis spacio non circumscribuntur, præscriptionem fieri lapsu quadraginta annorum: sive quid sit publicum, sive privatum. III. Immemoriale tempus requiritur: quia consuetudo inveterata dicitur. *d. l.* D. *quibus* 32. Vetustum autem & inveteratum est, cujus non extat memoria. *l.* In *summa.* 2. *pr, junct.* §. 1. *de aqua & aqua pluv. arcend. l. hoc Iure.* 4. §, *Ductus. aquæ.* D. *de aqua. quot. & æstiv.*

IV. Tem-

IV. Tempus ad hanc rem nihil facit, cum publica non possint præscriptioni subjici. *l. Vsucapionem.* 9. *D. de usurpat. & usucap. l. præscriptio.* 45. *D. eod.*

3. Actus non tantum Iudiciales, sed & extrajudiciales introducunt consuetudinem. Ita *d. §. fine scrito.* 9. *Inst. de Iur. nat. gent. & civil.* traditum est, ex usu, diuturnis moribus consuetudinem probare. Ita *d. l. De quibus.* 32. §. 1. in qua præcipuè proponuntur essentialia consuetudinis, tantum ex factis & rebus, tacito populi suffragio, consuetudinem valere responsum est. Quæ tacito populi consensu fiunt, Iudicis præsentiam non desiderant. Vid. Domin. Arum. *Exercitat.* 1. *Thes.* 20. *lit. b.* D. Timæum Fabr. *d. disp. ann. Thes.* 8. Ratio dubit. I. Requiritur ut contradictio sit facta judicialiter. *l. Cum de consuetudine.* 34. D. *de legib.* II. Desideratur, ut res perpetuo eodem modo sint Iudicatæ. *l. Nam Imperator.* 38. *D. eod.* Ubi Consuetudo & res Iudicatæ pro eodem accipiuntur. III. Non aliter licet de jure per consuetudinem introducto statuere, quam probatis his, quæ in eodem controversiarum genere frequenter sunt servata. *l.* 1. *C. h.*

4. Etiam potest valere consuetudo, licet Princeps, qui solus condit legem publicam, ignoret. Dum enim Constitutionem non promulgat, tacite videtur Princeps populum suis moribus relinquere. Huc *fac. arg.* D. *l. De quibus.* 32. *pr. &* §. 1. *D. de legib. l.* 1. *l.* 2. 3. *C. h. l.* 1. 2. D. *de Solut.* Hinc est quod Iudicibus, ut non tantùm ex legibus, sed & moribus judicent, mandetur. *ar. Instit. de offic. Iudic.* Nusquem sive Digestorum, sive Codicis leges evolvamus, Principis consensus vel scientia exigitur. Ratio dnbitand. Si Princeps possit solus legem dicere, ergo sine illo non habet vires consuetudo. Populus enim, cum legem non possit ferre, nec poterit facere consuetudinem, quia ea lex est non scripta. *d. l. De quibus.* 32. *pr.* Vid. Gayl. 2. *Observ.* 21.

n. 4. Iaſon. *in l. Cunctos populos. C. de Summ. Trinit. n.* 52. Nec princeps videtur unquam velle populo deferre authoritatem Leges & Iura condendi, à qua omnis eſt authoritas, & quæ non confertur. niſi ſpeciali lege. *arg. l.* 1. *D. de offic. ejus, cui mand. eſt Iuriſd.* Magis eſt ut dicatur conſuetudo de reſervatis Principis. Nec videtur conſentire, cum neſcit: is enim tacite conſentit, qui cognito eo, quod agitur, non contradixit. *arg. l. ſi ut proponis.* 5. *C. de nupt. junct. l.* 29. *pr.* D. *Mandat.*

5. Conſuetudo nulla eſt, ſed morum corruptela, ſi ratio æquitatis non poſſit reddi. Ita Imper. Alexander: Conſuetudo præcedens & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, cuſtodienda eſt. *l.* 1. *C. h.* Hinc Tertullianus, Conſuetudinem rationis interpretem eſſe dixit. Et Celſus, quod non ratione, ſed errore primum & deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinere. *l. Quod non ratione* 39. *D. de legib.* Et Conſtantinus, conſuetudinem non poſſe vincere rationem. Rat. dubit. I. Inquit Pontifex: non referre, an conſuetudo ratione conſiſtat. *c.* 5. *diſtinct.* II. Error facit Ius. *l. Supellectile.* 3. §. *fin. in fin. D. de ſupell. legat. l. Barbarius.* 3. *D. de offic. Prætor.* §. *ſed cum.* 7. *Inſt. de Teſtam. ordin. l.* 3. D. *ad SC. Macedon.* III. Tacitùs populi conſenſus Ius facit, nec poſtulatur ratio. *d. l.* De *quibus.* 32. §. 1. Imò nec in lege expreſſa de ratione diſputandum *l. Et ideo* 21. *D. de legib.* IV. Valet & id, quod nullo jure ſive ſine ratione juſti eſt uſurpatum. *l. Injuriarum.* 13. §. *fin. verſic. uſurpatum. circa fin.* D. *de injur.* Et oportet tolerari, quod vetus conſuetudo comprobat. *l. Imp.* 13. *D. de pollicit.* V. Licet in ſimilibus non valeat conſuetudo, quæ ratione deſtituitur, i. non poſſit ad alia extendi, tamen valet in iis, in quibus uſurpatur ſive uſurpata eſt. *d. l. Quod non ratione.* 39. D. *de legib.* Vid. Gail. 2. *obſerv.* 31. *n.* 11. Mynſ. 6. *obſerv.* 41. *n.* 5. 6.

6. Con-

6. Consuetudo, nisi sit generalis, non est pro lege generaliter observanda: Populi enim universi tacitum suffragium requiritur *d. l. De quib.* 32. §. 1. Et uti expressa lex à singulis Civitatibus & locorum moderatoribus non potest condi, ita nec consuetudo induci, ut pro jure valeat. Cæterùm in dubio, cum non apparet quid actum sit, oportet, ad interpretationem mentis contrahentium, sequi id quod ea in regione solet in talibus negotiis frequentari. *l. In stipulationibus.* 34. *D. de Reg. Iur.* Modò nihil fiat contra legem publicam expressim quid prohibentem. *l.* 1. *princ. D. de usur.* Rat. dub. Sæpe contingit, ut certis Civitatibus sit concessum statuta condere, cur ergo iis denegabitur consuetudinem intra suum territorium introducere? Valet enim argumentum à potestate legem expressim sanciendi, ad potestatem consuetudinem tacitam introducendi. *d. l. De quibus.* 32. §. 1.

7. Is, qui in jus morale peccat, ob pravam consuetudinem malo more receptam, non liberatur à pœna legis, si qua sit, vel alia, quam Iudex infligit pro delicti qualitate. *c. flagitia. caus.* 32. *q.* 7. Nec enim est consuetudo, sed improbitas & morum corruptela. Anton. Gabr. *Comm. conclus. tit. de consuet. conclus.* 4. *n.* 27. Præstaret supplicia exacerbari crescentibus delictis. *l. aut facta.* 16. §. *fin. D. de pœn.* Rat. dub. I, Licitum fit per consuetudinem, quod alias esset illicitum. *c. objiciuntur. d. caus.* 32. *q.* 4. II. Error communis jus facit. *Thes.* 5. *supra ratione dubit.* 2. III. Iudicibus mandatur, ut non tantum secundum leges, sed & consuetudinem & mores sententiam dicant. *pr. Inst. de Offic. Iudic.* Vid. Connan. 1. *Comm.* 10. *n.* 10. Moller. 3. *semest.* 2.

8. Licet nulla lex sit, non tamen Iudicis est præsumere consuetudinem, sed expectabit probationem ab illo, qui eam allegat & in ea se fundat, *arg. l. cum de consuetudine.* 34. *D. de legib.* Cæterùm quamvis etiam nihil dictum sit de consuetudine vel probatum, id

suppleri

ſuppleri oportet à Iudice) qui ſcit vel ex inquiſitione ſua diligenti eam ſcire poteſt. Ea enim, quæ juris ſunt ſupplere debet. *l. un. C. ut quæ advocat. deſint jud. ſuppl.* Conſuetudo autem jus eſt. Rat. dubit. I. Ea quæ dicta ſunt, ſcilicet, quod qui allegat conſuetudinem, probare eam debeat, & Judex eam ſupplere poſſit ac debeat, licet non allegetur, vel allegata non probetur, contradictionem in ſe habent Quod enim probari eſt neceſſe, non poteſt vel non neceſſario debet ſuppleri. II. Conſuetudinem eſſe & obſervari, eſt facti: quæ facti ſunt non ſupplentur. *d. l. un.*

9. Doctori unico, licet excellat in arte, de conſuetudine teſtanti, non eſt credendum. quia uni non creditur ulla in re, licet præclaro Curiæ honore præfulgeat. *l. Iurisjurandi.* 9. §, 1. *C. de teſtib. l. Maritus.* 20. *in f. D. de Quæſtion.* adde *l.* 2. *D. de Iur. & ignor.* Rat. dubit. Creditur unicuique in ſua arte. Ita ſoli Hippocrati, *in l. ſeptimo.* 12. *D. de ſtat. homin. l. Inteſtato.* 3. *§. fin. D. de ſuis & legit. hered. l.* 1. *D. de contrah. emt.* Ita, argentarius unus probat per ſuum Codicem & ad ejus fidem frequentiſſimè decurritur. *l. Quædam.* 9. *§. Nummularios.* 2. *in fin. D. de Edend.* Ita & fides habetur nuncio publico ac jurato de negotio, quod geſſit, referenti. *vid. Bartol. in d. l. De quibus.* 32. *quæſt.* 4. Maſcard. *de Probat. concluſ.* 426. *n.* 11.

10. Conſuetudo etiam tollit legem ſcriptam. §. *pen. Inſt. de Iur. natur. gent. & civil. d. l. De quibus.* 32. §. 1. *in fin.* Rat. dubit. I. Ex *l. conſuetudinis.* 2. *C. h.* II. Quia tunc demum valet Conſuetudo, cum ſcripta lege non utimur. *d. l. De quib.* 32. *in pr.* Vid. hæc Explicantes Cujac. *in l.* 1. *D. de uſur.* Aurum. *Exerit.* 1. *Th.* 21. *D. Tim. Fabr. diſp. anniv.* 2. *Theſ.* 10. Anton. Fab. *in rationalib. ad. d. l. De quib.* §. 1. Nec tacitum tollere debet ex preſſum, ſed confirmare & explicare.

11. Conſuetudo in ſcripturam redacta, manet conſuetudo. Aſt diſtingui oportet, Utrum à Principe, an à

an à privato sit consuetudo scripta. Si à Principe, utrum memoriæ tantum causa, an ut pro lege servetur. Si memoriæ causa sit scripta, manebit Consuetudo. Si eo animo, ut pro certo jure servetur, erit lex. Quicquid enim Princeps vult esse legem, est lex sive constitutio. *l. 1. pr. D. de Const. Princip.* Si à privato, manebit Consuetudo: quandoquidem non scriptura, sed Authoritas & sanctio expressa facit legem. *d. l. De quibus. 32. §. 1. Vid.* D. *Tim. Fabr. d. disput. anniv. 3. Thes.* 10. Rat. dubit. I. In eo est discrimen fere essentiale inter consuetudinem & legem, quod lex scribatur, Consuetudo sine scripto veniat. *§. Constat. 3. junct. §. sine scripto. 9. Inst. de Iur. natur. gent. & civ.* Cum ergo scribitur, amittit nomem Consuetudinis. II. Si princeps etiam memoriæ causâ velit scribi, confirmat Consuetudinem: Hæc verò confirmatio pro sanctione expressa cedit. III. Edicta Prætorum ex Authoritate Imperatoris Hadriani per Salvium Julianum sunt in unum Codicem redacta, ea intentione, ut Prætores ex hoc codice, tanquam perpetuo Jure ac Edicto, jus dicerent. *l. si quis servum. 10. C. de Condict. indebit.* Non tamen posteà eadem Edista sunt appellata leges, sed nomen antiquum ex ipsa re retinuerunt. *l. Cum igitur. 2. D. de statu homin.*

Ex titulo Digest. de statu hominum.

12. Omne jus versatur vel circa personas, vel circa res, vel circa actiones. *l. 1. D. h. §. fin. Inst. de Iur. natur. gent. & civivil.* Ratio dubit. I. Omne jus agit de rebus, vel acquirendis, vel retinendis, vel amittendis. *l. fin.* D. *de legib.* Propter res est omnis controversia. II. Omne jus ad personas est referendum. quia nullum est, quod non tractet de personarum condi-

conditione, dominiis, earundem & obligationibus, vel actionibus, quæ ſunt à perſonis & contra perſonas movendæ. *d. l. cum igitur. 2. D. h.* III. Omne jus actionibus eſt applicandum: cum actiones ſint de omni conditione perſonarum, de dominiis: ac propterea ſint dominia, propterea perſonæ contrahant ac negotia gerant, ut actiones dentur: Undè & libri Pandectarum, quibus omne jus collectum eſt, abſolvuntur actionibus ſive tractatione, jure ac methodo actionum.

13. Homines ſunt vel maſculi, vel fœminæ. Hermophroditos, ſive androgynos, annumerandos illi ſexui, qui in ipſis prævalet, reſpondit ICtus, *in l. Quæritur.* 10. D. *h.* Itaque ſi in hermaphroditis magis incaleſcat virilis ſexus, ſunt etiam feudi capaces uti alii maſculi. Bald. *in l. Quotiens. C. de ſuis & legit. hered.* Coſtal. *in d. l. Quæritur.* Ad teſtamenta adhiberi poſſunt. *l. repetundarum.* 15. §. 1. D. *de Teſtib.* Ratio dubit. Cum contra formam humani generis procreentur, ſunt potius dicendi monſtra, ita ut inter veros homines non ſint numerandi. *l. non ſunt liberi.* 14. D. *h.*

14. Hominis appellatione tam fœminam, quam maſculum contineri, eſt Iuris indubitati. *l. Hominis.* 152. D. *de verbor. ſignif. l.* 1. §. 1. *junct. l. Quod &* 3. §. 1. *D. de homin. lib. exhib. l.* 1. §. 1. D. *ad l. Cornel. de Sicar. Geneſ.* 1. *v.* 27. *Geneſ.* 5. *v.* 1. 2. Vid. Gœdd. latè *in l.* 1. *D. de Verbor. ſignif.* Ratio dubitandi, quæ à nonnullis, qui arbitrantur ineptiſſimè mulierem ICtis non eſſe hominem, movetur, præcipua eſt *in l. Si quis.* 38. §. *Qui abortionis.* 5. *D. de pœn.* Vid. Cujac. 6. *obſervat.* 21. Ioan. Fab. *in tit. Inſt. de nupt.*

15. In multis juris noſtri articulis deterior eſt conditio fœminarum, quam maſculorum. *l. In multis.* 9. *D. h.* Rat. dubit. I. Naturæ ſunt accuſatores, qui aliud jus fœminis, aliud maribus tribuunt. *l. Maximum virium.* 4. *C. de lib. præter.* & maximè ſi fœminam ponant

ponant in conditione deteriori. II. Imò plerumque est melior. Non potest fœmina fidejubere ob SCtum Vellejano *l.*1.*& seqq.*D.*& C. ad SC.Vellejan.* Ad dotem dandam pater est obstrictus, non mater. *l.* 19. D. *de rit. nupt. l.* 3. *C. de promiss. dot.* Mulier non tenetur probare pecuniam fuisse indebitam, quæ soluta dicitur indebitè, vir utique *l. Cum de indebito.* 25. §. I. D. *de probat.*

16. Nomine masculi venit & fœmina. *l.* 1. D. *de verbor. signific.* ubi latè & erudite. Gœdd. *num.* 53. *& seq.* Idem in pœnalibus procedit. *d. l.* 1. *l. si quis.* 7. §. 1. D. *de Iurisdict. l. Qui duos mulos.* 62. *in fin.* D. *de legat.* 3. Vid. Bartol. *in l.* 1. D. *de pecul.* Rat. dubit. I. Aliter puniuntur Masculi, aliter Fœminæ, In Majestatis Crimine. *l. Quisquis.* 5. §. *filii* 1. *junct.* §. *ad filias.* 3. *C. ad l.* Iul. *Majest.* In Adulterio. *l. Si adulterium.* 38. §. *Quare mulier.* 2. D. *ad l. Iul. de adult.* In Sacrilegio. *l. Sacrilegii.* 6. D. *ad l. Iul. peculat.* Solet & generaliter succurri in pœnalibus imprudentiæ. *l. Ferè in omnibus.* 108. D. *de Regul. Iur.* Imprudentia autem & sexus fragilitas maximè in fœminis. *l.* 1. D. *ad SC. Vellejan.* Hinc fœminæ remissa est pœna SCti Turpilliani si ab accusatione desistat, secundum *l.* 1. §. *Accusationem.* 10. *vers. Atquin Papinianus.* D. *ad SC. Turpill.* Ex quibus omnibus ac similibus colligitur, in pœnalibus nomine masculi non venire fœmiuam absolutè. II. Imò magis puniendæ sunt fœminæ in atrocioribus, cum plus pecent; naturâ enim cum sint mitiores, magis naturæ leges violant, quam viri. Et quo quis magis naturæ jura excedit, eo atrocius est delictum ac consequenter major esse debet pœna. *arg. l. Auxilium.* 37. §. 1. *versic. In delictis.* D. *de minor. l. si adulterium.* 38. §. 2. D. *ad l. Iul. de adulter.*

17. Nomine fœminæ vel pronunciatione fœminini sexus non veniunt mares. *l. si ita scriptum.* 45. D. *de legat.* 2. *l. Servis.* 81. D. *de legat.* 3. Rat. dub. I. Non est distinguendum quoad jus inter mares & fœminas: Sunt correlata, & correlatorum est idem jus. *l. fin.* C.

de

de indict. viduit.toll. II. Illa, quæ fœminis statuta sunt, etiam ad masculos extenduntur. *d. l. fin.* ubi inquit Imp. In principio quod sublatum est in fœminis, id quoad sensum legis, etiam in masculis esse mutatum, non est incerti juris. Huc quoque facit Textus, *in l. Generaliter.* 5 *: C. de secund. nupt Iunct. l.* 3. *C. eod.*

18. Hodie nobis servi non sunt. Nemo verò inde collegerit, quod non liceat hodiè operas suas in perpetuum certo loco, ac sic ut non possit per substitutum quid agi locare: cum nusquam id prohibitum. Conditio facit servum, non operæ locatio enim. Vide Gloss: *In l. antiquitas. verb. nunquam. C. de usufruct. & in l.* 3. *§.* 2. *verb. reverti. D. eod.* Experientia edocet sæpè id fieri. Ratio dubit. Nulla conventio, nullum pactum tenet, ut quis se servum faciat. *l. conventio.* 37. *D. de liberal. caus. l nec si volens.* 6. *l. liberos.* 10. *l. Interrogatam* 24. *C. eod.* Verum is, qui ad perpetuas operas sese obligat, ad servitutem se obligat. *l. nihil.* 2. *D. de hom. lib. exhib.* II. Conditio hæc, ne discedat á monumento, vel ut certo loco habitet, tanquam impossibilis, & quæ sapiat servitutem, rejicitur, cum Ius libertatis infringat. *l. Titio centum.* 71. *§. Titio centum.* 2. *D. de condit. & demonstrat.* Vide Sichard. *in Rubr. ad tit. Cod. de locat. cond.* post Cyn. Dyn. &c.

19. Si operæ in perpetuum fuerint locatæ, non poterunt eæ fieri per substitutum, si quid ex artificio sit faciendum. *l. Inter.* 31. *D. de solut.* Aliæ verò operæ, in quibus nihil artificii est, Etiam per alium possunt præstari. *arg. d. l. Inter.* Rat. dub. I. Nunquam quid potest per substitutum agi, quandoquidem in operis eligitur certa persona: Quod verò est personale, non potest ad aliam personam transire. *l. fideicommissa.* 11. *§. fin. D. de legat.* 3. II. Imò, semper per substitutum potest operari promissor operarum. *l. Quisquis censibus.* 16. *C. de Episc. & Cleric.* Nec ad factum homo liber potest compelli: sed liber homo potest

pôteſt æquivalens præſtare & ſic liberari, ſive per alium hoc faciat (Id enim habetur, acſi ipſe hoc feciſſet) ſive præſtet ipſe id quod intereſt, *l. ſi quis ab alio.* 13. §. 1. D. *de re Iudicat. l. ſtipulationes.* 72. §. *fin.* D. *de verbor. Obligat.*

Ex tit. Inſt. de Ingenuis,

20. Impuberes ſunt vel infantes, vel infantiæ, aut pubertati proximi. Infantes, qui nondum compleverunt ſeptimum ætatis annum. *l.* 1. §. 2. D. *de adminiſt. tut. l.* 14. D. *de ſponſalib. l.* 18. C. *de Iur. delib.* De infantiæ vel pubertati proximis agitur §. 9. *& ſeq. Inſt. de Inutil. ſtipulat. l.* 111. D. *de Regul. Iur.* Quis ſit infantiæ proximus vel pubertati, non ſatis generaliter eſt in legibus expreſſum. Mihi videtur pro re nata, quoties lex in eo caſu ætatem non determinavit, id arbitrio Judicis eſſe committendum. *arg. l.* 1. §. *f. D. de Iure det.* Non enim eodem tempore omnes æque ſapiunt: ſed alteri præ altero maturius eſt Judicium. Non omnes æquè boni æquè mali naturâ. Rerum ſuarum hic magis eſt ſatagens, quam alius. Itaque id facti cum ſit, deciſio ad arbitrium judicis referenda eſt. *arg. l. Mora.* 32. *pr. D. de uſur.* Rat. dubit. I. Præſtat mediam ætatem eligere, ut infantiæ proximus ſit ab anno ſeptimo ad decimum & ſextum menſem, proxima ab anno ſeptimo ad nonum & ſextum menſem: Proximus verò pubertati ſit maſculus, qui major eſt decem annis & ſex menſibus, fœmina, major novem annis & dimidio. Ita & alias media ſolet eligi ratio ſive via. §. *fin. Inſtit. quib. ex cauſ. manum. non lic. l. ſi paterfamilias.* 40. *D. de hered. Inſt. vid. Accurſ. in d.* §. 9. Bartol. *in l.* 1. *D. de novat.* II. Præſtat ſequi regulam, quæ eſt *in l. non tantum*, 17. D. *de Excuſat. tut.* ubi proximus pubertati eſt, qui ſemeſtri tempore tantum abeſt à pubertate, ſecundum *l.* 10. *& ſeq.* D. *de legib.* quam incerto jure vagari, & ad arbitrium Judi-

cis confugere. III. Proximus infantiæ is eſt, qui eſt egreſſus tantùm infantiam *l. Deindè*. 3. §. *fin.* D. *de liber. exhib.*

21. Prodigus eſt effectu, ſcilicet, ut non poſſit teſtamentum condere, contractum celebrare, cum eſt interdictio ei facta à magiſtratu. Ita *l. Is, cui lege.* 18. D. *Qui teſtam. fac. non poſſ. l. Is, cui bonis interdictum eſt.* 6. D. *de verbor. Oblig.* Ut enim ſit quis moribus talis, non ex lege, ſed ex inquiſitione magiſtratus conſtare de eo debet: quia id eſt facti. *l. Mora.* 32. D. *de uſur. l. De acceſſionibus.* 14. D. *de diverſ. & tempor. præſcript.* Rat. dubit. I. Lege interdicitur bonis. *d.l. Is cui.* 18. *& d. l. Is, cui.* 6. *l.* 1. D. *de Curator. furiſ.* II. Etiam id quod perdituro creditur non poteſt repeti. *l. Quod ſi minor.* 24. §. *reſtitutio. verſ. niſi tunc.* D. *de minor.* III. Interdictio deſcendit ex lege 12. *tabb. d. l.* 1. D. *de Curat. furioſ.* Non ergò ad magiſtratus officium, ſed legis ordinem ea referenda eſt. *Vid. Fachin.* 2. *Controb.* 63. Donell. *ad d. l.* 6.

22. Mulieri luxurioſæ, quæ rem facit quæſtu turpi, non eſt interdicendum bonis. Prodigo enim tantum adimitur adminiſtratio, cum nec finem nec modum expenſarum ſcit. *d. l.* 1. *pr. verſ. ſed ſolent.* D. *de curat. furioſ. vid. Forn lib.* 2. *ſelect. C.* 5. Rat. dubit. Ex *l. mulieri.* 15. D. *de Curat. furioſ. vide accurſ. in l. Is, cui.* 6. D. *de verbor. Obligat.* DD. *in C. paſtoralis. ex. de Iudic.* Ubi Felinus ait: Mulier eo ipſo, quod ſit meretrix, præſumitur prodiga. *Cujac. in d. l. Is, cui.* 6.

23. Quoties nihil definitum eſt lege, dicemus eum pauperem, quem Judex pro ſubjecta materia æſtimaverit talem. In facto enim id conſiſtit. Vide Menoch. *de arbit.* Iud. *lib.* 2. *caſ.* 65. Harmenop. *lib.* 1. *Epit.* 6. Rat. dubit. Dicitur Pauper qui quinquaginta non habet in bonis. *l. Nonnulli.* 10. D. *de accuſat. & inſcript.* vel centum. §. *ſed noſtra.* 3. *Inſt. de ſucceſſ. libertor.*

24. Egregios Juris publici & privati Doctores & Advocatos, dici poſſe & eſſe nobiles, non ſine ratione defen-

defenditur, Ex *l. providendum 7. Cod. de postuland.* Hinc Ulpianus, *in l. Excusantur. 2. §. fin. D. de Excusat. tutor.* Nobilis ob scientiam Juris pronunciatur, ut & nobilissimus, *l. diximus. 4. §. fin. D. eod.* Ratio dubit. I. Apud nullos hoc est receptum: Consuetudo contrariatur. II. Dici quidem possunt & sunt secundum juris rationem eruditione Nobiles, sed non revera, cum non ipsis deferatur specialiter Nobilitas.

25. Homines, Infames sunt vel jure, vel facto. Infamiam facti probant textus, *in l. Honori. 2. vers. Licet enim verbis. D. de obsq. Parent. & patron. præstand. in l. ob hæc verba. 20. D. de h. qui notant. infam. in l. Ictus fustium. 22. junct. l. Cognitionum. 5. §. minuitur. 2. D. de var. & extraord. cognit. in l. Ea, quæ. 13. l. Verbum. 17. l. Interlocutio. 19. C. Ex. quib. caus. infam. irrog. in l. verum est. 39. in fin. verb. facti ignominiam. D. de furtis. in l. fratres. 27. C. de Inoff. testam. vid.* Duaren. *ad tit. D. de his, qui not. infam.* C. 2. *Et* 1. *disput.* 2. Heig. *part.* 1. *quæst.* 21. *n.* 4. Rat. dubit. I. Multis legibus ii, quorum pudor apud graves viros oneratur, negantur infames. *d. l. Ea, quæ. 13. l. nullam. 14. d. l. Interlocutio. C. Ex quib. caus. infam. irrog. l. Eos. 12. D. de decurion.* II. Existimatio est status dignitatis illæsæ, legibus & moribus comprobatus. *d. l. Consumitur 5. D. de §. 1. var. & extraord. cognit.* Ergò infamia nulla, quæ non sit jure vel moribus illata. Vide Donell. 18. *commentar.* 6.

EXERCITIUM XI.

Resp. ADAMO THEODORO PORTMAN, Embricâ-Clivensi.

Ex tit. de his, qui sunt sui vel alieni Iuris.

THESIS PRIMA.

QUædam personæ sunt sui juris, quædam alieni. Quæ sunt alieni, subsunt potestati. Hæc est vel patria in filiosfam. vel dominica in servos. *l.* 1. D. *h.* Rat. dubit. I. Sunt plures species potestatis: Quam habent 1. Magistratus. *l. potestatis.* 215. *D. de Verbor. signifi.* 2. Tutores. *l.* 1. *pr. &* §. 1. D. *de Tutel.* 3. Mariti: Uxores enim se suaque committunt Maritis. *l. Hac lege.* 8. *C. de pact. convent. tam sup. dot. quam sup. don. l. Generali.* 2. *C. Ne fidejuss. dot. dent.* Et in eorum sunt officio. *l. sicut Patronus.* 48. D. *de oper. libert.* II. In servos non est tam potestas, quam dominium. *d. l. potestatis* 215.

Ex tit. De Patria potestate.

2. Modi, quibus constituitur patria potestas, sunt tres. I. Nuptiæ. *l. Filium.* 6. D. *de h. qui sui vel alieni. Iur.* II. Legitimatio. §. *fin. Inst. de Nupt.* III. Adoptio. *l.* 1. D. *de Adopt.* Rat. dubit. I. Non Nuptiæ propriè constituunt potestatem, sed rectius nativitas ex justis nuptiis. *d. l. filium.* 6. §. *fin. Inst. h.* II. Actis intervenientibus, sive instrumento publico, vel privato coram tribus testibus, filius fit, ergò & iis constituitur patria potestas. *Nov.* 117. *C. Ad hoc.* 2. III. Conventio liberorum inter sese, vel cum parentibus facit filios. Vid. Menoch. *cas.* 89. *n.* 29. *de arbit. jud.*

3. Qui septimo, post contractas nuptias, mense nascitur

ſcitur, naſcitur legitimus & in poteſtate ejus, qui cum matre contraxit matrimonium, *l. Septimo.* 12. *D. de ſtat. homin.* Septimo verò menſe natus dicitur die centeſimo octuageſimo ſecundo. *l. Inteſtato.* 3. §. *fin. D. de ſuis & legit. hæred.* Atque ita Hippocrates, cui credendum eſt, cenſuit. *dd. ll. Beuſt. de matrim. part.* 2. *c.* 36. Cauſam non referemus ad numerum Pythagoræum, ſive ſeptenarium ejuſque efficaciam, cum Cenſorin. *l. de die natal.* Paul. 4. *ſentent.* 9. §. *ſeptimo.* & ſecundum ea, quæ *Gell.* 3. *noct. atticar.* 10. refert. Non ad Planetas & aſtra, cum Schoner. 1. *de Iudic.* Rat. dubit. Plenus ut ſit ſeptimus menſis, deſiderat Paulus. *d.* §. *Septimo.* qui *d. l. Septimo.* 12. eſt author: Ergò neceſſe eſt, ut elapſi ſint ducenti & decem dies: Attribuit enim Hippocrates ſingulis menſibus triginta dies. Hippocrat. 2. *Epidem.* 3. *ſect.* II. Non eſt juſta deductio: Septimo menſe poteſt naſci quis, ergò partus is ſemper legitimus. A poſſe enim, ut Philoſophi loquuntur, non valet conſequentia. III. Quia non ita frequens eſt partus, qui ſeptimo, ut qui nono naſcitur, ſequi non oportet id in præjudicium alterius & contra Jus: cum jura deſumantur ex iis quæ raro accidunt. *l.* 3. 4. 5. 6. D. *de legib.* vide. Alber. *Gentil. de Iur. Part.*

4. Partum octimeſtrem eſſe legitimum non eſt dubitandum: Si enim ſeptem menſium ſit juſtus, multo magis octo. Arum. *Exercit.* 1. *Theſ.* 29. Rat. dubit. Partus non eſt vitalis ex ſententia Medicorum, ergò nec legitimus, ſi quis octavo menſe natus dicatur. Vide apud Menoch. *de arbit. Iud. Caſ.* 89. *n.* 38. citatos. *Gell.* 3. *noct. att.* 16. Plutarch. 5. *de Placit. Philoſop. C.* 18.

5. Decimo menſe natus poſt obitum patris Jure civili quidem juſtus eſt filius, non undecimo. *d. l. Inteſtato.* 3. §. *pen.* D. *de ſuis & legit. l. Gallus.* 29. D. *de liber. & poſthum. Nov.* 39. *C.* 2. Verum non præciſe decimo menſi tanquam extremo termino jus alligandum eſſe docent mores & certa ex ipſa re exempla.

Gell. d. C. 6. Cenſorin. *lib. de die natal. Menoch. d. caſ.* 89. *n.* 40. *& ſeqq.* Ratio dubit. Præſtat certam habere regulam, & ſequi Hippocratem, cui credendum eſſe leges volunt. *d. l. ſeptimo.* quam incertas medicorum non authoritatis tantæ conjecturas, & feneſtram malitiis hominum indulgere.

6. Matri etiam in ultimo articulo vitæ adſerenti filium certum ex ſuis non eſſe natum ex marito, non eſt credendum. *l. ſi. quis in gravi.* 3. §. 1. D. *ad SC. Syllan.* Nec enim audiendi parentes contra liberos teſtimonium dicere volentes. *l. Parentes.* 6. *C. de Teſtib.* Nec unius teſtimonium quicquam probat. *l. Iurisjurandi.* 9. §. 1. *C. eod.* Vid. caſus nonnullos apud Menoch. *d. caſ.* 89. Rat. dubit. I. Etiam matris profeſſio de liberis recipitur. *l. Etiam.* 16. *D. de probat. arg. l. Excuſantur.* 2. §. 1. *D. de Excuſat. tutor.* II. Nec præſumitur contra filium falſum dictura teſtimonium mater cum propter ſummum illum affectum naturalem, quo parentes ſuos liberos amplectuntur. *l. fin. C. de Curat. furioſ.* Tum propter ſuum honorem. Non etenim adeò impudens inveniri poſſet fæmina, quæ & ſuum honorem & filii amorem ita negligeret. III. Non eſt credendum, quod immemor ſuæ ſalutis & cum peccato velit mori *l. fin. C. ad l. Iul. repetundar.*

7. Si fæmina ſtatim à morte mariti ad ſecundas feſtinaverit nuptias, filius ex ea poſt obitum primi mariti natus ſeptimo, octavo, nono, ac decimo menſe, erit reputandus pro filio ſecundi mariti, adeoque in illius erit poteſtate & ei ſuccedet. Filius enim eſt, quem nuptiæ demonſtrant. *l. Quia.* 5. *D. de in jus vocand. l. filium.* 6. *D. de his, qui ſunt ſui vel alien.* Nec præſumi debet, quod, quæ ſcit ſe gravidam, de aliis nuptiis ſit eo tempore cogitatura ob peccatum ex turbatione ſanguinis. Debet quoque ſibi imputare ſecundus, quod jam vix defuncto priore marito, eam duxerit, & ſuo jumento hoc ſibi malum advexerit. Vid. Graſſ. §. *ſucceſſio ab inteſtato. quæſt.* 2. *n.* 5.

n. 5. Rat. dubit. I. Annon præstat hanc rem committi arbitrio Judicis, cum facti sit. *arg. l. Mora.* 32. *pr. D. de usur.*? Vid. Gilken. *in l. Gallus.* 29. *n.* 60. *& seq. D. de lib. & posthum.* II. Annon utriusque patris filius & successor pronunciabitur? In dubio enim partui quam maxime favendum. III. Annon neutrius potius filius? Cum enim dubitatur de persona & certa non potest demonstrari, ad nullam personam hoc referendum est *l. Duo sunt Titii.* 30. D. *de testam. tutel.* Incertitudo facit ut evitetur condemnatio. *l. si quis de pluribus.* 27. *D. de reb. dub.* IV. Cur non ex priori matrimonio natus esse dicetur? Id enim suadet ratio benigna juris, ut sit natus ex eo, quod sine peccato & legitime est contractum. Primum enim justum fuit; Ex altero, ob annum luctus neglectum, parentos fiunt infames. *l.* 1. *pr. vers. Qui eam, quæ.* D. *de h. qui not. infam.*

8. Præsumit Menoch. *lib.* 6. *præsumt.* 53. Filium natum ex fæmina, quæ cum esset uxor, consuetudinem habuit cum adultero, habendum esse in omnibus eo loco, ac si maritus matris, pater ejus esset. Contrarium præsumerem: quia magis adulterum mater amat, quam suum virum, & magis ei illa irregularitas furtivusque amplexus, quam honestus & castus Amor placet. Immaculatum oportet esse thorum *arg. l.* 1. §. *Pœna.* 4. D. *de agnoscend. & alend. lib.* ubi inquit JCtus. Quod si maritus responderit ex se uxorem non esse prægantem, non aliàs necesse habere agnoscere filium, nisi verè filius fuerit. *jung. l. Quia.* 5. D. *de in jus. vocand.* Rat. dubit. Humanitatis & ejus qui natus est, cui nihil imputari potest, ratio suadet, ut præsumtio sit pro nato, ut ex justis nuptiis procreatus dicatur. Filium eum dicit lex, quem demonstrat matrimonium. *d. l. filium.* 6. D. *de his, qui sui vel alien. Iur* In dubio, ut inquit Baldus, magis possibile honestum, quam possibile inhonestum assumi debet. II. Quid si filii habitus corporis sit idem cum mariti

hoc utique casu magis mariti esse filius dicetur. Vid. Coras. 2. *Miscell.* 22. *Levin. Lemn. de occult. natur. miracul.*

9. Non sunt liberi, qui contra formam humani generis, converso more procreantur: veluti, si mulier monstrosum aliquod vel prodigiosum sit enixa. *l. non sunt liberi.* 14. D. *de stat. homin. l. ostentum.* 38. D. *de verbor. signific.* ubi late Gædd. Monstrosum autem vel prodigiosum non accipiendum est id, cujus membra ampliata vel mutilata, sed quod ratione naturali caret. Ratio enim naturalis hominem facit. Rat. dubit. I. Etiam in monstris, quæ hominis non habent formã. sed in quibus caput est equinum, vel simile, potest esse ratio: sæpè & in rectè formato corpore ratio deficit: Non ergò à ratione petenda est hominis definitio vel demonstratio, sed à qualitate membrorum, ut & *d. l. Non sunt liberi.* 14. ostenditur. II. Qui tribus manibus ac pedibus nascitur, habet tantum membrorum ampliationem: attamen dicitur id contra naturam & formam hominum fieri. *d. l. ostentum.* 38. III. Etiam reputantur pro liberis monstra & prodigia naturæ. *l. Quæret aliquis*, 135. *D. de verbor. signific.*

10. Qui filium procreavit ex alterius uxore, cujus maritus justa de causa credebatur obiisse, habebit hunc filium ut legitimum, & in sua potestate constitutum: Eritque filius & patri & matri heres. Error enim justus facit, ut sit justum, quod aliàs injustum. *arg. l. supellectile.* 3. §. *fin in fin. D. de supell. legat. l. si quis patremfam.* 3. *D. ad SC. macedon.* Rat. dubit. Plus est in veritate quam in opinione: Nec veritas ex erroribus potest pati præjudicium. *l.* 1. *& t. t. C. plus val. quod agit, quam quod simul. Concip.* Error falsæ causæ non parit usucapionem §. *Error. Inst. de usucap. l.* 1. *D. pro donat. Ex tit. Cod de natural. liber.* Multo minus filiationem.

11. Adulterini, ac similes liberi, ex damnato coitu nati, non possunt legitimari: requiritur enim, ut sit talis fæmina cum qua matrimonium esse possit §. *fin. Inst. de nupt.* Rat, dubit. I. Datur patri potestas legi-

legitimandi per rescriptum Principis cum habet legitimam uxorem: Modò ei nulli sint legitimi liberi. *Nov.* 89. *c.* 9. II. Potest pater legitimare liberos natos ex fœmina, quæ sine peccato non potest nubere patri. *d. c.* 9. III. Adulterini utique sunt naturales: Naturales verò possunt legitimari indistinctè. *d. c.* 9. *versic. Non enim fuit.*

12. Liberi non legitimantur, nisi ipsi consentiant, sive fiat legitimatio per subsequens matrimonium, sive ex rescipto Principali. *l. fin. D. de h. qui sunt s. vel alieni Iur. Nov.* 89. *c.* 11. Quilibet enim potest suo juri renunciare. *l. pen. C. de pact.* Vid. Boër. *decis.* 160. *n.* 1. & 2. Fachin. 3. *Controv.* 54. Rat. dub. I. Quod ex lege est, id nessitatis est; quia nemo juri publico potest derogare *l. Ius publicum.* 38. *D. de pact.* ne quidem Prætor ex suo facto. *l.* 1. *§.* 1. *D. de feriis.* II. Reip. interest spuriis non repleri civitates. Publicis hisce commodis privati nequeunt renunciare. *arg. C. Inter cætera. Caus.* 22. *q.* 4. Absurdum est, ut, cum liberis non noceat legitimatio, utilis verò sit Reip. ea non procedat. *l.* 1. *§. Denique.* 12 *D. de aqua & aq. pluv. arcend. l. In summa.* 2. *§. Idem. labeo.* 9. *D. eod.* III. In genere receptum est, etiam ignorantis & inviti conditionem fieri posse meliorem. *l. solvendo.* 39. *D. de negot. gest.* cur non in hac re, quæ est maximè favorabilis, & ad memoriam publici scandali vitandam facit, vitiumque malæ rei tollit aut purgat.

13. Si per rescriptum principis sit facienda legitimatio, non desideratur consensus omnium agnatorum. Nusquam enim is requiritur. *Nov.* 89. *c.* 9. *D. §. fin. Inst. de Nupt.* Solemnia autem non sunt multiplicanda. *l. Curent.* 22. *D. de Testib.* Uti enim pater testamento potest instituere liberos, & agnatos omnes excludere, ita quoque hoc actu summè favorabili. Et, cùm in adoptione, in qua lex sola dominatur, eorum consensus sit minime necessarius *l.* 7. *D. de Adopt.* minus erit necessarius in hac causa, in qua non tantum legis

ſed & naturæ ratio concurrit. Rat. dubit. I. Agnati ab inteſtato ſuccedunt excluſis naturalibus tantum: Hoc autem Jus ſuccedendi ipſis ſine eorum conſenſu adimi nequit. *arg. l. Id quod noſtrum* 11. *D. de Regul. Iur.* Hinc eſt, quod, ſi liberi ſint patri legitimi, non poſſit fieri legitimatio per reſcriptum. *d. Nov.* 89. C.9. Hinc eſt, quod Qui adoptare vult nepotem ex certo filio, neceſſariò teneatur adhibere conſenſum filii. §.7. *Inſt. de adopt.* II. Intereſt agnatorum, ne ſe invitis in familiam introducantur ex facto ejus, qui deliquit & ſcortatus eſt, illi, qui vitio legitimi ſtatus laborant.

14. Etiam legitimati ſuccedunt omnibus, qui in familia ſunt, ac ſi eſſent legitimè nati: Nec diſtinguo, utrùm agnati conſenſerint, annon. Idem quoque affirmandum eſt, cum agnati ſeſe oppoſuerunt: Per legitimationem enim liberi nanciſcuntur omnia Iura, quæ naturales & legitimi ſimul habent, *d.* §. *fin. Inſtit. de nupt. d. Novell.* 89. *c.* 8. *&* 9. Ratio dub. I. Nec filio, qui non conſenſit, nec aliis agnatis non conſentientibus poteſt fieri præjudicium. *l. ſi quis nepotem.* 10. *& ſeq. D. de adoption. add. l.* 76. *D. de condit. & demonſt.* Id verò tunc certò obtinet, cum agnati contradixerunt. Cum prohibentis ſit ſemper melior conditio, *l. Sabinus.* 28. *D. Commun. divid.* & nemo invitus jus ſuum amittere debeat. II. Legitimatio eſt actus, qui inter patrem & filium geritur, adeoque non debet nocere nec prodeſſe aliis. *t. t. Cod. res int. alios acta.*

15. Poteſt tantùm fieri legitimatio per ſubſequens matrimonium, & Reſcriptum principis. *d. nov.* 89. *c.* 8. *&* 9. Modus, qui per oblationem Curiæ fit, hodiè eſt abolitus. Nec in ejus locum ſucceſſit oblatio ad officia Principi facienda; nullo enim textu id comprobatur. Vid. Donell. 2. *Comm.* 12. Rat. dubit. I. Fit per teſtamentum legitimatio. *d. Novell.* 89. *c.* 10. II. Fit per nominationem filii. *Novell.* 117. *c.* 2.

III. Qui offertur ad servitia Principis magis esse debet legitimus quam is, qui ad onera Curiæ: Quò enim Principis persona est dignior Curià, eo majorem favorem meretur opera, quæ in Principis negotiis fit, eâ, quæ pro Curiæ olim solebat præstari. Spectat & ad splendorem Principis Nobilissimi, ut legitimè sint nati vel legitimati, qui res ejus administrant.

16. Legitimatio potest fieri etiam ultimo vitæ articulo. *arg. §. fin. Inst. de Nupt. §. Sui autem 2. vers. quib. connumerari.Inst. de heredit. quæ ab intestat. deferunt.* Vid. Gail. 2. *Observ.* 142. *n.* 8. Ripam *in Comment. de actis in mort. articul. c.* 2. Rat. dubit. I. Dos non potest in extremis constitui. *l. Iulianus.* 20. *D. de Iur. dot.* Dotalia autem instrumenta requiruntur necessariò. *d. §. fin. d. Nov.* 89. *c.* 8. *l. Cum quis.* 10. *& seq. C. de natur. lib.* II. Hac ratione fraus posset committi: Malitiis autem non est indulgendum *l. In fundo.* 38. *D. de Rei vindicat.* III. Nulla est spes sobolis tollendæ: ubi autem non est talis spes, ibi quoque nulla potest fieri legitimatio. *l. Nuper.* 11. *versic. Sufficit. C. de natural. lib.* Vid. Paul. Berents. *disp.* 1. *Thes.* 5. *quæst.* 3.

17. Nepotes, per matrimonium inter avum & aviam naturales, legitimantur avo & avia, licet pater vel mater antè obierint. Succedunt enim liberi in jus suorum parentum. *§. Sui autem.* 2. *Inst. de hered. qualit. & different. §. Cum filius.* 6. *Inst. de hered. quæ ab intestat. defer. Nov.* 118. *c.* 1. Videtur idem colligi non obscure *ex l. si filium.* 5. *D. de gradib. & affinib.* Vid. Fach. 3. *Controvers.* 56. Rat. dubit. I. Principium legitimationis, quæ in filio est facienda, deest. II. Naturales tantum legitimantur, ut passim est traditum: Hi verò nepotes sunt legitimi liberi respectu sui patris.

18. Legitimatus per subsequens matrimonium habet omnia jura, quæ verè legitimus: adeoque, si legatum sit relictum sub conditione liberorum tollendorum, id legitimatione facta habebit locum. *c. Tanta. x. Qui fil. sint Legitim. Nov.* 12. *in fin. d. Nov.* 89. *c.* 9.

Rat.

Rat. dub. I. *Ex l. 76. D. de Condit. & Demonstrat.* Licet enim ea lex loquatur de adoptivis, qui sola lege fiunt, potest tamen extendi ad legitimatos; cum argumentum ab Adoptione ad Legitimationem ritè procedat. Cum utraque species sit inventum & remedium Juris. II. Quod per fictionem fit, de eo quis non videtur cogitasse, sed de eo, quod naturaliter & ordinario modo fit, propria & nativa verbi appellatio Testatoris voluntati applicanda est. *l. Non aliter. 69. D. de legat. 3. l. fin. C. de his, qui veni. ætat. impetrav.*

Ex tit. C. D. & Inst. de adoption.

19. Nobilis est, qui à nobili est adoptatus, ut in potestatem adoptantis transeat. *l. 23. l. 35. D. junct. l. 6. l. 8. vers. Pareuntos. D. de senatorib.* Vid. D. *Tim. Fabr. disp. anniv. 6. Thes.* 10. Ratio dubit. I. Nobilitas à Natura est. Ea quæ sunt Juris tantum naturalis, non potest Adoptio conferre. II. Nobilitas ex Jure publico datur, quæ verò sunt Juris publici, non dantur nec adimuntur arbitio Privatorum. *l. Ius publicum. 38. D. de pact.* III. Esset valde absurdum, ut quis diceretur nobilis ad tempus, quandiu quis in potestate esset, posteà verò desineret esse in ea dignitate. IV. Status non mutatur per adoptionem *l. fin. D. h. l. fin. D. de stat. homin.*

Ex tit. de Emancip. liberorum.

20. Qui permittit, ut filius separatim habitet & suas res sibi habeat, non videtur emancipasse filium. Est enim emincipatio facti. Ea quæ facti sunt non præsumuntur. *l. si emancip. 9. ubi.* Iason. *C. de Collation.* Quod etiam procedit Jure civili, licet per decem annos se non immiscuerit rebus filii. Potest enim patria potestas sine administratione rerum filii consistere. Cum pater non tantum in bonis filii filiof. liber-

liberrimam concedere possit pater administrationem, sed & bonis patris. Ratio dubit. I. Consuetudo est contraria. *Berlich. Part. 2. practicab. Conclus. 11. n. 23. & seqq.* Grotius. 2. *Introduction. 6.* II. Textus est contrarius *in l. 1. C. de patria potestat.*

Et tit. Inst. de Rer. Divis.

21. Obligationum jura non pertinent ad jus personarum, sed rerum. Ita enim Imp. ipse constituit: ut patet ex serie titulorum in Instit. *pr. Inst. de Obligat.* Et ratio est manifesta, quia obligationes non sunt jura, quæ directò & per se agunt de statu & conditione personarum, sed de rebus. Hinc obligatio vendi, legari dicitur passim. Rat. dubit. Obligationis substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, vel servitutem nostram faciat, sed ut persona personæ obligetur. *l. Obligationum. 3. D. de Obligat. & Action. l. Traditionibus. 20. C. de pact.* II. Obligationes producunt actiones in personam. *§. 1. Inst. de action. l. Actionum 25. D. de Obligat. & action.* merito ergò Juri personarum sunt accensendæ: qualis enim est effectus, talis causa. III. Creditores ac debitores sunt personæ: Creditores vero sunt ex obligatione.

22. Aliud est in dominio rem esse, aliud in bonis. In dominio est, quod cujusque est, jure proprietatis. In bonis latius accipitur pro omni eo, quod & in dominio est, & in actionibus. *l. in bonis. 52. D. de acquir. rer. domin. l. Bonorum. 49. D. de verbor. signif.* Ratio dubit. I. In dominio quid esse dicitur, quod est in persecutionibus: Nam ipsum Dominium parit actionem in rem. *l. in rem. 23. D. de Rei vindicat.* Et dum ceditur dominium, simul transferuntur omnes actiones. II. Dominium obligationum & persecutionum in jure commemoratur, secundum ea, quæ tradit latè Gœdd. *in d. l. Bonorum. 49. n. 8.*

23. Res

23. Res ſacræ etiamſi ad non tam pios uſus ſint relictæ vel donatæ, quam relinqui debebant, non poſſunt in privatum uſum ac patrimonium tranſire *l. Quod nullius.* 182. *D. de Regul. Iur. l. legatum.* 16. *D. d. uſu & uſuf. leg. C. ſemel. de Reg. Iur. in* 6. Vide Lambert. Dan. *lib.* 3. *polit. Chriſtian. C.* 2. Petr. Martyr. *in commentar. in l. Reg.* 21. *pr.* Rat. dubit. I. Per textum, *in l.* 5. *C. de Pagan.* II. Vitioſè Deo dicatum, manet profanum. *l. Quoties vitioſè.* 6. *D. Qui ſatiſd. cogant. l.* 25. *D. de pignorib.* III. Etiam ſacra ab hoſtibus capta deſinunt eſſe ſacra. *l. Cum loca.* 36. *D. de Religioſ.*

24. Uſusfructus rectè poteſt dici dividuus. *l.* 5. *D. de uſufr. l.* 1. *§.* 9. *l.* 81. *D. ad l. falcid. l.* 20. *D. de uſu & habit. in l.* 2. *D. de verb. Oblig.* Connan. 4. *Comment.* 5. *n.* 11. Vid. Gœdd. *de Contrah. & commit. ſtipulat. cap.* 6. *concluſ.* 22. Ratio dubit. I. Per textum, *in l. ſtipulat.* 72. *D. de verbor. Obligat.* II. Per rationem, quia, uſusfructus eſt quid incorporeum. *tit. Inſt. de reb. corpor. & incorporalib. in fin.* Incorporea autem non ſolent dividi. Vid. Hottomann. *illuſtr. quæſt.* 20.

25. Nummi ſunt res corporales, non quidem ſpecies, ſed quantitates. *arg. l. & ſi* 13. *§. fin. D. de reb. credit.* Rat. dubit. I. Nummi non æſtimantur ex corpore, ſed ex forma & valore. *l.* 1. *D. de contrah. emt.* Valor autem res corporalis dici nequit. II. In ſpecie res corporales opponuntur pecuniæ. *l. Quiſquis mihi heres erit.* 95. *D. de legat.* 3. Vide Pac. *in Iſagogic. ad h. t.*

EXER-

EXERCITIUM XII.

Resp. MATTHIA SCHREIBER, Lubecensi.

Ex tit. D. & C. de Iurisdictione.

THESIS PRIMA.

IUrisdictio, est potestas de causa civili vel criminali judicandi ac judicatum exequendi. Itaque non tantum cognitionem causæ habet is, qui jurisdictioni præest, sed præterquam quod & sententiam ferre possit, exequendi habet facultatem. *arg. l.* 1. D. *h. l.* 1. *l. fin.* §. 1. D. *de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Rat. dubit. I. Iurisdictio, non est potestas judicandi & exequendi, sed territorium §. 4. *Inst. de attilian. tutor.* II. Iurisdictio est potestas judicem dandi. *l. Imperium.* 3. *D. h.* III. Potestas exequendi non est jurisdictio quæ consistit in imperio, sed ab ea separatur eique opponitur *l.* 6. §. 2. *D. de Tutel.*

2. Iurisdictionem solus habet magistratus, sed non omni casu jure magistratus. Ita pedanei judices, cum non sint magistratus, non Iurisdictionem, sed notionem habere dicuntur *l.* 5. *pr. D. de Re Iudicat. l. fin. C. Vbi & apud quem restit. in integr.* Ita multa sunt tributa magistratibus, quæ à sola lege descendunt: uti datio Tutoris. *D. l.* 6. §. 2. *D. de Tutel.* Ratio dubit. I. Etiam pedanei Iudices habent Iurisdictionem, quia citare possunt: citare autem est publicæ Iurisdictionis. Et coram iis potest postulari. *l.* 1. §. *Removet.* 6. *vers. Item SCto. D. de postuland.* Postulare autem est desiderium coram eo, qui Iurisdictioni præest, exponere *D. l.* 1. §. *postulare* 2. Quinimò, expressi sunt textus de Iurisdictione pedaneorum Iudicum. Uti patet ex Inscriptione *c.* 5. *Nov.* 82. *& tit. Cod. de jurisd. Omnium Iudicum* II. Non possunt separari à se invicem

vicem, Magiſtratum habere ſemper Iuriſdictionem, & eam habere jure magiſtratus. Quod enim non aliter quis habet, quam quia magiſtratus eſt, id jure magiſtratus habet. III. Præfecti vigilum & annonæ, habent Iuriſdictionem. *l. 2. & t. t. D. de off. præfecti. vigil. l. fin. §. fin. D. ad l. Iul. de annon* attamen non ſunt magiſtratus. *l. neceſſarium. §. Et hæc omnia. 33. verſic. Nam præfectus annonæ. D. de origin. Iur.*

3. Merum imperium & juriſdictio criminalis uſu & reipſa à ſe invicem non diſtinguuntur. Siquidem enim, qui Imperium habet, ſolo imperio uteretur, magis tyrannidem exercere, quam jus dicere videretur. Huc facit, quod merum imperium quoq; referatur ad Iuriſdictionem *l. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt Iuriſd.* Ubi cum dubitatur, an merum imperium tranſeat vi Iuriſdictionis mandatæ, innuitur non obſcure nomine Iuriſdictionis venire merum imperium. Fruſtra enim exciperetur à regula, ſi ad regulam non pertineret. Vide Gentil. *lib. 1. de Iuriſdict. c. 2.* Ratio dubit. I. Sunt diſtincta nomina Iuriſdictionis & Imperii. Unde non ſunt idem *arg. l. 7. C. de Codicill.* II. Nullo loco probari poteſt, Imperium merum appellari Iuriſdictionem. III. Mixto dicitur, ad differentiam inter mixtum & merum Imperium, ineſſe Iuriſdictio, non mero. *d. l. Imperium. 3. D. h.* IV. Totum officium Juris dicendi tranſit ad legatum proconſulis *l. 1. §. An autem. 4. D. de ſuſpect. tutor.* Et ſic omnis Iuriſdictio, tam civilis quam criminalis, non tamen Imperium merum. *l. ſolet. 6. D. de off. Proconſ. & legat.*

4. Magiſtratus municipalis mixtum generaliter habet imperium, non ſummo gradu, ſed quatenus Iuriſdictio ejus exigit; poteſt exequi ſuas ſententias. ubi enim eſt Iuriſdictio, ibi Imperium, quod habet coercitionem. *l. fin. §. 1. D. de offic. ejus cui mandat. eſt. riſd.* At Iuriſdictio eſt magiſtratibus Municipalibus. *l. Ea, quæ 26. D. ad Muncipal.* Et conceſſa Juriſdictione omnia ſunt conceſſa, ſine quibus Iuriſdictio explicari

plicari non poteſt. *l.* 2. D. Adde. *l.* 1 4. D. *de dam. infect. l. ſed ſi pecunia.* 3. §. 1. D. *de reb. eor. l. quemadmodum.* 29. §. *magiſtratus.* 7. D. *ad. l. Aquil.* Rat. dubit. I. Expreſſe negatur, quod habeat is magiſtratus imperium ullum, ſed id innuitur, quòd ei ſit notio nuda. *d. l. Ea, quæ.* 26. II. Magiſtratus minores poſſunt in jus vocari *l.* 32. D. *de Injur.* Qui verò in jus vocari poſſunt, non habent Imperium. *l.* 2. D. *de in jus vocand.* III. Magiſtratus municipalis non poteſt pœnali judicio Iuriſdictionem ſuam tueri *l. un. Princ. ubi per duumviros accipiendi ſunt magiſtratus municipales.* D. *ſiquis jus dicent. non obtemp.*

5. Merum imperium eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos *l.* Imperium. 3. D. *h. arg. C.* 13. *ad Roman.* Vid. Cujac. 21. *obſerv.* 30. *Fachin.* 9. *controv.* 94. Rat. dubit. Merum imperium non conſiſtit tantum in gladio ejuſque poteſtate, ſed & in aliis coercitionis facinoroſorum ſpeciebus. *l. ſolent.* 6. *l.* 11. D. *de offic. proconſ. l. Illicitas.* 6. §. *Qui univerſas.* D. *de offic. præſid. l. Aut damnum* 8. §. 1. *l. Capitalium.* 28. D. *de pœn* II. In definitione *d. l. Imperium.* propoſita, non fit mentio liberationis ſive abſolutionis, & conſequenter eſt imperfecta: cùm, qui habet merum imperium, non tantum poſſit punire, ſed & abſolvere. D. *l. ſolent.* 6. Vide Henr. Bocer. *de Iuriſd. C.* 5. *n.* 1. Muſcorn. *de Iuriſdict. n.* 40. & *ſeqq.*

6. Conceſſâ Iuriſdictione, non videtur eſſe permiſſum Merum Imperium, licet Princeps omnimodam dederit Iuriſdictionem. Merum enim Imperium tantummodò ex lege defertur. *l.* 1. D. *de offic. ejus, cui mand. eſt Iuriſd.* Vid. Domin. Arumæ. *diſp. ad Pandect.* 2. *Theſ.* 2. *q.* 2. Rat. dubit. Omnis Iuriſdictio complectitur non tantum Civilem ſed & criminalem: Genus enim omnes ſpecies continet. *l. Omnes. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Proprietas vocabuli hoc exigit: ab ea non licet recedere. Nec intelligi poteſt ulla in generali vocabulo reſtrictio ſive limitatio: Verum quæ

generaliter ſunt dicta, generaliter ſunt accipienda. Vid. Fachin. *lib.* 13. *c.* 19.

7. Merum Imperium mandari non poteſt. *l. Nemo.* 70. *D. de regul. Iur. l. ſolent.* 6. *D. de offic. proconſ. l.* 1. *D. de offic. ejus, cui mand. ubi.* DD. Niſi in caſu abſentiæ. *d. l.* Quæ enim ſpeciali lege conferuntur, non poſſunt ad alios transferri. Rat. dubit. Proconſul poteſt legato ſuo mandare. *d. l. ſolent.* 6. *l. Excipiuntur.* 14. *D. ad SC. Syllanianum.*

8. Imperium Mixtum poteſt mandari. *d. l.* 1. *§. fin. D. de offic. ejus, cui mand. eſt Iuriſd. l. Cognitio.* 4. *§. fin. D. eod.* Ratio dubit. Etiam mixtum imperium eſt à lege vel SCto: Nemo enim. Imperium vel magiſtratum habet, niſi à lege. II. Quia *in l. Nec quicquam.* 9. *§. ubi decretum.* 1. *D. de offi. proconſ.* reſponſum eſt, quòd ea, quæ cognitionem cauſæ deſiderant, non poſſint per libellum, hoc eſt, (ut Iaſon & Accurſ. ac alii plures explicant) per Judicem delegatum expediri.

9. Non poteſt ad merum, nec ad mixtum Imperium referri poteſtas condendi legem: quia ea eſt Majeſtatis. *l.* 1. *D. de conſtit. Princip.* Vacc. à Vacun. 6. *dederat.* 2. *n.* 2. Coraſ. *de Iur. ait. C.* 15. Fachin. 9. *controv.* 94. Imperium verò merum ad coercitionem delinquentium pertinet. *d. l. Imperium.* 3. *D. h.* Rat. dubit. I. Nihil tam eſt Imperii meri, quam poteſtas condendi jura. Utique eſt ſummi Imperii, *arg. l. Digna vox.* 4. *C. de legib.* II. Ipſa lex, quæ conditur, eſt coercitio delictorum, quæ vel ſponte vel ex ignorantià committuntur. *l.* 1. *&* 2. *D. de legib.* Vid. Bartol. *in l. Imperium.* 3. Muſcorn. *d. tractat. n.* 77. 81. *& ſeqq.*

10. Pœna infamiæ non ſemper ad merum imperium, ſed & quandoque ad mixtum refertur. Ad mixtum, quâ infligitur ex conſequentia ſententiæ: uti fit in actione tutelæ & ſimilibus, quibus ob dolum, in iſtis negotiis commiſſum, condemnatus fit infamis. *l.* 1. *verſ.*

Qui

Qui pro socio. D.de h.qui not.infam. §. 1. *Inst. de pan. tem. litigant.* Ad merum, quâ directò aliquis per sententiam declaratur infamis. Rat.dubitandi. I. Infamiæ, pœna, morti sive ultimo supplicio æquiparatur. *l. Isti quidem.* 8. §. *Quod si dederit.* 2. *D. de eo q.met. caus. l. Iusta causa.* 9. *D. de Manum. vind. l. licet.* 103. *D. de Verbor. signif.* Itaque ab eo, qui mixtum habet imperium, nunquam infamila potestinfligi: ne quidem per consequentiam sententiæ. Illud enim, quod directò non est in potestate nostra, non debet per indirectum à nobis fieri. *arg.l.si quis.*18.*C. Ad l.falcid.* II. In sententia cujuslibet Iudicis, qui tantum habet ea, quæ sunt mixti Imperii, non debet infamia sequi pronunciationem in controversia de re pecuniaria: Cùm sit majoris præjudicii, quam dammum in nummis vel aliis rebus. Ea enim quæ majus habent præjudicium, non accedunt ad rem minoris præjudicii. *l. scio.* 4. *D. de Restit. in integr. l. in rem.* 23. § .3. 4. *D. de Rer. vindic.*

11. Iurisdictio in dubio intelligitur non dari privativè, sed cumulativè. Semper enim is, qui eam dat, non se exuere sua potestate voluisse videtur, sed eam sibi servare planè illæsam. Nec etiam Princeps voluisse sibi legem dicere vel imponere dicendus est. *c.* 1. *in fin. de de prohib. feud. alien. per Frederic.* Nec in sermone generali comprehensa est persona, quæ loquitur. *l. inquisitio.* 18. *C. de solution.* Rat.dub. I. Est contra naturam, ut, qui dedit, datùm sibi servasse intelligatur *l. quisquis.* 28. *C. de donat.* II. Nunquam duo ejusdem rei domini vel possessores esse possunt. *l. si ut certo.* 5. §. *fin. D. Commod.* III. Plenissimè sunt Principum beneficia interpretanda in dubio. *l. Beneficium.* 3. *D. de constitut. Princip.* IV. Imò etiam persona, quæ loquitur, est comprehensa generali sermone. *l. Paulus respondit.* 29. §. *fin. D. de pignorib. l. si mercedem.* 53. *pr. junct.* §. *fin. D. de act. Emt.* V. In Feudis contrarium erit observandum, cum Fendum sit ususfructus,

§. *fin. In quib. cauſ. feud. amittit. lib. 2. feudor.* Uſusfructus verò non poteſt à proprietario turbari. Vid. Menoch. *lib. 2. præſumt. 18. & lib. 3. præſumt. 44. ubi varis caſus excip.* Bartol. *in l. fin. D. de re militar.*

12. Imperium merum ac quælibet Iuriſdictio unà cum caſtro, fundo, vel territorio præſcribitur 10. inter præſentes, 20 annis inter abſentes. Præſcribitur enim res immoblis, 10. vel 20 annis. *l. fin. C. de long. temp. præſ.* Ac conſequenter omnia illa jura, quæ rem eam immobilem ſequuntur. *arg. l. Pro emtore. 2. §. cum. ſtichum. 6. verſ. ſed ſi fundus. D. pro emtore.* Vid. Iaſon. *in d. l. Imperium. 3. n. 20. 21.* Ubi latè de hac materia. Rat. dubit. I. Iuriſdictio & præcipuè merum Imperium, ſunt Juris publici. Quæ autem ſunt publici juris, non ſubjacent præſcriptioni. *l. Vſucapionem. 9. verbis: Publicis populi Romani. D. de uſup. & uſucap.* II. Iuriſdictio non poteſt rem ſequi, quia pluris eſt quam res ipſa. Deindè, quia non rebus, ſed perſonis Iuriſdictio datur à Principe: Et à Perſonis tantum Iuriſdictio eſt exercenda. III. Perſonalia jura licet rebus inhæreant, non poſſunt præſcribi niſi longiſſimo tempore. *l. heredtiatis. 7. C. de petit. hereditat. l. fin. C. fin. regundor. junct. l. 1. D. Eod.*

13. Ordinaria & ſimplex Iuriſdictio acquiritur ſine territorio, cui adhæreat, 30. vel 40 annis: ſive ea Civilis *l. ſicut. 3. & l. Omnes. 4. C. de præſcript. 30 vel 40. ann.* ſive Eccleſiaſtica fuerit *C. Auditis, 15. C. cum olim. 18. x. De præſcription.* Ita tamen 1. ut adverſus inferiorem Principem vel magiſtratum ſufficiant 30 anni *arg. d. l. ſicut.* Adverſus ſuperiorem, 40 anni requirantur. *d. l. omnes* 4. 2. ut præſupponatur bona fides & juſtus titulus. Ratio dubit. I. Sufficere hic poterit lapſus 10 vel 20 annorum: Cum eo tempore omnia jura præſcribantur. *d. l. fin. in fin. C. de præſ. long. temp.* II. In ſpecie traditum eſt, *in l. viros. 8. C. de diverſ. offic. & Apparitor. Iudic.* Servandam eſſe in Iuriſdictione Conſuetudinem longi tem-

temporis *in l. Certi Iuris.* 17. *C. de Iudic.* Usum quotidianum maximè spectandum. *in l. Testamenta* 18. *D. de Testam.* Morem fidelissimæ vetustatis, quæ est longi temporis. *l.* 1. *§. fin. l. seq.* 2. *D. de aqua & aq. pluv. arcend.* esse retinendum. *in l. fin. vers. vel eos C. de Emancip. liberor.* Eos veros esse in causa judices, quibus munus judicandi vel lege vel longa consuetudine commissum est. *add. C. Cum contingat.* 13. *x. de for. compet. C. dilecti.* 4. *x. de Arbit.* III. Imò nulla est Iurisdictionis præscriptio, præcipuè si fiat ea adversus Principem: Nam Jura Principis non possint præscribi, quoniam non sunt in commercio. *l. Cum servus.* 39. §. *si vero.* 8. *&* §. *fin.* D. *de legat.* 1.

14. Merum Imperium, si territorio non cohæreat, non potest præscribi, nisi tempore immemoriali. Ubi enim tempus immemoriale est, omnia ab initio se rectè habere præsumuntur. Vid. Iason. *in d. l. Imperium* 3. *n.* 20. *& seqq. D. h.* Rat. dubit.. I. Qui usurpat merum imperium, crimen læsæ Majestatis contrahit. *l. lex.* 12. *tabb.* 3. *versic. quive privatus pro potestate. D. ad l. Iul. Majest.* Vel alias falsum committit. *l. Eos, qui diversa.* 27. §. *fin. D. ad Cornel. de fals.* Undè initium præscriptionis esse nequit, nisi ex delicto; & ubi delictum est, ibi non potest esse acquisitio dominii. *arg. l. meminerint.* 6. *C. Unde vi.* Vel actio ulla. *l. Tum. is.* 11. *& l. seq.* §. 1. *D. de frut.* Absurdum est, ut quis delicti, ob quod damnandus erat, nomine quicquam Juris consequatur. *l. sive hereditaria.* 22. *D. de negot. gest.* II. Ea, quæ lege deferuntur speciali, non possunt lapsu temporis competere. Nulla de tacito consensu potest esse præsumtio, ubi expressa voluntas requiritur. Atqui merum imperium sola lege datur. *l.* 1. *D. de offic. ejus, cui mand. est Iurisd.* III. Non possunt præscribi, quæ in alium transferri nequeunt vel prohibita sunt alienari. *l. si contra.* 2. *C. de usucap. pro emt. d.* Merum autem Imperium non potest transferri nec alienari. *l. solent.* 6. *D. de officio proconsul. l. Nemo.* 70. *D. de*

de Regul. Iur. IV. Merum Imperium solius Principis est: Ergò non præscribitur. *d. l. Cum servus.* 39. §. *fin.* D. *de legat.* 1. Vid. Hunn. *tractat. singul. de Iurisd. p.* 1. *c.* 2. *quæst.* 4.

15. Nemo se potest eximere Iurisdictione vel Imperio sui Principis. Sunt enim asystata, esse suum Principem & non esse subjectum ei. *ad Roman.* 13. Nec debent aut possunt dari Acephali, i. sine Capite, nisi sint Principes, qui solum Deum agnoscunt superiorem. *C. Nulla ratione.* 8. *dist.* 93. Vid. Bald. *in auth. Quas actiones. C. de ss. Eccles.* Iason. *in d. l. Imperium.* 3. *n.* 30. Gail. 1. *observat.* 21 *n.* 16. 17. Muscorn. *d. tractat. n.* 127. Ratio dubit. I. Omnia publica, & sic hæ causæ, præscribuntur annis 40. *l. Omnes.* 4. *C. de Præsc.* 30 *&* 40 *annor.* II. Acquisitio Iurisdictionis fit per lapsum temporis, cur non exemtio: Cum leges semper proniores sint ad liberandum & eximendum, quam obligandum. *l. Arianus.* 47. *D. de Oblig. & Act?* Vid. Pruckm. *de Regal. C.* 5. *n.* 106.

16. Privati possunt prorogare Iurisdictionem. *l. si convenerit.* 18. *D. h.* Sic tamen, ut nunquam quis se submittere possit privato, sed semper ei, qui Iurisdictionem habet. *l.* 1. *l. De qua.* 74. §. 1. *D. de Iudic. l.* 1. *C. de h.* Rat. dubit. I. Non est in potestate Civium, ut suo pacto se subtrahant jurisdictioni Iudicis sui; cum verè publico non possit derogari pactis privatorum *l. Ius publicum.* 38. D. *de pact. Iunct. l. Iurisg.* 7. §. *Ait prætor.* 7. D. *eod.* Jura autem magistratus sunt directò publica. *l.* 1. §. *hujus.* 2. D. *de Iust. & Iur.* II. Non potest consensus privatorum aliquem facere judicem, qui est incompetens. *l. Privatorum.* 3. *C. h.* III. Prorogatio nullius est momenti, cum liceat pænitere. *d l. si Convenerit.* 18. D. *h.*

17. Iurisdictio mandata non potest prorogari, cum non habeat Delegatus jurisdictionem suo nomine, sed alieno. *l. cum olim* 32. *& c. P. & G.* 40. *x. de offic. & potestat. Delegat. l.* 1. §. 1. *D. de offic. ejus, cui est*

Man-

Mand. Iurisd. arg. D. *l. si convenerit.* 18. *junct. l.* 1. *D. de Iudic.* Opus verò hic est temperamentis. 1. nisi universaliter sit ei mandata. Vid. Bald. *in d. l.* 1. 2. nisi sit mandata ei, qui post mandatum ex populi vel Principis voluntate, utitur Iurisdictione quasi propriâ: uti fit in Legato Proconsulis. Vid. de hac re Bartol. *in d. l.* 1. *n.* 5. Vultej. *in l.* 1. *C. h. n.* 81. Ibid. Cyn. *in fin.* & *Salic. n.* 14. Rat. dubit. Permissum est cujusvis judicis, sive Tribunali ipse præsit, i. habeat suo nomine ordinariam Iurisdictionem, sive aliam, i. delegatam, Iurisdictioni subjicere se suamque causa. *d.* § *l.* 1. *D. de Iudic.* II. Tempus potest prorogari. *l. Consensisse.* 2. §. 2. D. *de Iudic.* Ergò & causam: quia dum tempus constituitur prolixius, causa ipsa submittitur tunc, cum submitti non posset. III. Delegatus, partibus & vice delegantis fungitur. *l. Solet.* 16. D. *h. d. l.* 1. §. 1. *D. de offic. ejus.*

18. Etiam in criminalibus datur prorogatio. Potest enim delinquens ibi puniri ubi invenitur. *l* 1. *C. ubi de criminib.* Vid Gloss. *in l.* 1. *C. h.* & Bartol. *in l.* 1. *D. de Iudic. n.* 9. Gail. 1. *de pac. public. c.* 12. *n.* 10.|15. Ut autem valeat hæc prorogatio, requiritur. 1. Ut is, in quem prorogatur, possit de eo ex vi sui Imperii judicare: quandoquidem tribueretur Imperium, quod non haberet is, qui Iudex futurus esset. *arg. d. l.* 1. D. *de Iud.* 2. Ut nihil fiat subdolè ad evitandam pœnam. Rat. dubit. Non est in potestate delinquentis constituendum, ut ille sibi forum eligat. Reatus enim criminis omnem fori electionem excludit. *l.* 1. *C. ubi senator. vel clariss.* II. Multa eo modo scelera manerent impunita, vel non ex præscripto legum vindicarentur: quod non permittendum. III. Ea ratione & subtraherentur mulctæ fisco, vel magistratui, cui debentur.

19. Prorogatio fieri potest de loco in locum: ita tamen, ut nihil, quod Imperii est, ex Iurisdictione fiat extra limites & territorium. Hac ratione violaretur

alterius Iurisdictio. quod fieri non debet. *l. fin.* D. *h.* Sententia verò poterit extra territorium pronunciari, si in alicujus Iurisdictionem eo modo, ut hoc fieret, prorogatio est facta: quia id non est Imperii sive Iurisdictionis, sed tantum declaratio de jure partium, quam etiam arbitri facere possint, licet nullam habeant Iurisdictionem. *l. fin. C. qui & apud quos rest. in integr.* Rat. dubit. I. Imò nec sententia potest recitari alio loco, quam solenni, ac suo; quia prolata contra solitum Iudiciorum ordinem sententia, authoritatem rei Iudicatæ non obtinet. *l. prolatam.* 4. *C. de sentent. & interlocut.* II. Imò cum Iudex sententiam dicit, Imperio utitur: i lubet condemnando vel absolvendo. *l.* 1. *junct. l. Quod jussit.* 14. *D. de re judic.* Extra territorium jus non dicit. *l. fin.* D. *h.* Vid. de hac re Paurmeist. *de Iurisd. c.* 25. *n.* 40. Bald. *in l. Si qui ex.* 7. *C. de Episcop. audient. n.* 8. Salic. Sichard. *in l.* 4. C. *h. n.* 12.

20. Qui Iurisdictioni præest, nec sibi, nec suis, quos secum habet, jus dicere debet, vel judicare. *l. Qui Iurisdictioni.* 10. D. *h. l. un. C. Ne quis in sua causa. l. fin. §. pen. C. ubi senatores & clarissim.* Rat. dubit. I. Ex. *l. In privatis.* 77. *D. de Iudic. l. Quietiam.* 6. D. *de Recept. qui arbit. receperunt.* II. Est alia persona ejus, qui Iurisdictioni præest, ratione publici officii, Cujus contemplatione non habet suos: alia privata. In hac re non spectatur privata sed pnblicum officium. Hinc est, quod possit ipse injuriam sibi illatam vindicare *l. unic.* D. *si quis jus dicent. non obtemperav. l. Illud.* 8. D. *de appell.* Hinc est, quod princeps possit de sua cognoscere causa. *l. Proximè.* 3. D. *de his, quæ in testam. del nt. l. Et hoc Tiberius.* 41. D. *de hered. Instit.* Hinc est, quod Prætor ipse judicet de sua Iurisdictione. *l. Si quis ex aliena.* 5. *versic. Prætoris. D. de Iudic.* IV. Imò & privati sibi jus dicunt. *l.* 1. *pr. & §. ait Prætor. D. de arbor. cedend.* Multo magis publicæ personæ. V. Ordinarius Iudex non potest suspectus dici & recusari.

Sichard. Zas. Iason. *in l. Apertissimi.* 12. C. *de judic.* Gail. 1. *Observat.* 33. per D. *l.* 16. & *Auth. Si vere ibid. desumtam ex nov.* 86. *c.* 2.

21. Quoties de quantitate, ad Iurisdictionem pertinente, quæritur, semper, quantum petatur, non quantur debeatur, est quærendum. *l. pen.* §. 1. D. *h.* In initio jus actoris spectatur. Rat. dubit. I. Erit ergo in calumniosa actoris potestate, ut possit eligere forum: Cum certi juris sit, actorem oportere sequi forum Rei. *l.* 2. *C. l.* 3. *C. Vbi in rem act. exercer. deb.* II. Non videndum, quid malè petatur, sed quid debeatur: veritatem enim oportet sequi, non id quod malè & simulate concipitur. *l.* 3. & *l. C. Plus valer. quod agit.* III. Semper sunt Rei spectandi, quia sunt favorabiliores actoribus. *l. Favorabiliores.* 125. *D. de Regul. Iur.* Etiam in Iudiciorum præparatoriis, uti in Edendo *l.* 4. *C. de Edend.* ubi reo actor, non reus actori tenetur edere. IV. Si actori in principio esset credendum, ab excecutione initium fieret: quod nullatenus est admittendum. *l.* 1. *C. de Execut. rei judic.*

22. Sola stipulatione soloque hodiè pacto prorogationem factam esse afficacem, certissimum est: quia ex stipulatione pactoque est actio secundum mores. Gudelin. *de Iur. noviss. lib.* 3. *c.* 5. *in fin.* Huc facit quod & olim pactum suffecerit. *l. pen. si quis in conscribendo.* C. *de pact. l.* 51. *C. de SS. Eccles.* Vid. Donell. 17. *Comm.* 10. Cujac. *tract. ad African. in l. si convenerit.* 18. *D. h.* Coras. 4. *Miscellan.* 5. Ratio dubit. I. Prorogatio non aliter fit, quam per litis contestationem, sive Prætoris aditionem: licet enim ante pænitere. *d. l. Si convenerit.* 18. Post litem contestatam nemo potest declinare examen. *l. Nemo* 4. *C. h.* Et sic consequenter ante potest fieri declinatio fori. Etiam mutare licet voluntatem ante contestationem litis. *l. Si cum dotem.* 22. §. *Eo autem tempore.* 5. *D. Solut. matrimon.* II. Quia præter consensum de submissione facienda

requiritur & actualis subjectio facta sub eo, qui Tribunali præest, vel jurisdictionem exercet. arg. *l.* 1. *D. de Iudic.* & *l. Consensisse.* 2. §. 1. *versic.* & *putet suam. D. eod.* III. Non valet pactum à Iure communi remotum & de publica re, *l. Iurisgentium.* 7. §. *si pacisar.* 14. & §. *Et generaliter.* 16. *D. de Pact.* & de prætorio jure ejusve Iurisdictione facta privata conventio, nulla est. *l. nec ex.* 27. *D. de Reg. Iur.* Vid. Vultej. *ad l.* 1. *C. h. n.* 138. Anton. Fabr. *ad d. l. Si convenerit.* 18. *in Rationalibus.*

23. Si quis non utatur Iurisdictione, quia casus talis non obvenit, non amittit Iurisdictionem. Solus enim non-usus rem, quæ meræ est facultatis, non adimit. *l. Viam publicam.* 2. *D. de via public.* & *itin. publ. arg. l. hæc autem Iura.* 6. *D. de servit. præd. urban.* Verum, si quis sit passus per longissimum tempus, ut alius eo Iure utatur, ipsi peribit Iurisdictio: Cum omnes actiones privatæ & publicæ intereant 30. vel 40. annis *l. sicut* 3. & *seqq. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Ratio dubit. I. Solo non-usu servitutes, in quibus est eadem causa præscribendi, quæ est in jurisdictione, cum utraque species sit Res incorporalis, sive jus, solent tolli sive præscribi. *l. Si communem.* 10. §. 1. *l. labeo.* 17. *l. Si quis.* 18. *pr.* & §. 1. *D. Quemadmodum servitus. amittat.* II. Non videtur requiri longissimum tempus, quando alius est usus jurisdictione: cum sufficiat longum tempus in Servitutibus & omnibus Iuribus, sub quibus & est Iurisdictio, acquirendis. *l. fin. in f. C. de præscript. long. tempor. l. fin. C. de Emancipat. liberor. l. Viros. C. de divers. offic.* & *Apparitor.* Ergò & in amittendis. *l. pen. C. de servit.* & *aqua.* Multo enim facilius quid amittitur quam acquiritur.

24. Amittitur etiam Jurisdictio, si is, qui eam habet, nimia asperitate utatur. Ita Dominus, si nimis sæviat, cogitur servum suum vendere. *l. Si Dominus.* 2. *D. de his qui sui vel alieni juris.* Et si Dominii Ius solvatur, quod est arctissimum, facilius amittetur Ius ejus, qui

qui

qui tantum Iurisdictionem vel Imperium habet. Huc faciunt textus in *l. fin. C. Quemadm. civil. muner. indicunt. l. æde. 3. C. de loc. cond. l. Quæro. 54. §. 1. in fin. D. eod.* Ratio dubit. I. Præstat præceptis & censura induci & cogi ad officium, quam Iurisdictionem alicui adimi *d. l. fin. C. Quemad. civ. mun. ind.* Nemini enim suum detrahi oportet. *d. l. si Dominus.* II. Si sinistra sit suspicio de eo, cui ordinario est jurisdictio, additur ipsi Episcopus. *Nov. 86. c. 2.* III. Daret hæc res turbas, si subditis daretur potestas agendi in hoc, ut, qui Iurisdictioni præsunt, ab officio ob crudelitatem removeantur: Et sic perpetuæ essent ubique lites; cum iniquissimi homines, dum apud Iudices nullum iniquitatum suarum præsidium inveniunt, Iudices tyrannidis & iniquitatis semper accusare, eosque audacter eo nomine calumniari soleant.

25. Extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. fin.* D. *h.* Est enim magistratus extra suum territorium privati loco. Rat. dubit. Quo ergò pertinet quod sententia Romæ lata, in provinciis habeat effectum. *l. adivo. 15. §. 1. D. de Re Iudicat!* Quod vocatus ad eum, cujus forum declinare potest, æque debeat venire. *l. Ex quacunque 2. D. si quis in jus vocat. non ierit.* Quod emancipatio, coram certi loci Iudice facta, ubique valeat & sit observanda. *l. 1. C. de Emancipat. liber.*

EXER-

EXERCITIUM XIII,

Resp. ROBERTO HAKE, Bremensi.

Ex tit. D. Quod quisque juris in alium, &c.

THESIS PRIMA.

EDictum, *Quod quisque juris, &c.* summam habet æquitatem & sine cujusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur idem Ius sibi dici, quod ipse aliis dixit vel dici effecit. *l.* 1. *pr.* D. *h*? Hoc procedit in Magistratu, qui jus novum statuit. *d. l.* 1. §. 1. Rat. dub. I. Prætor etiam jus dicit, cum inique quid decernit *l. Ius pluribus* 11. *D. de Iustit. & Iur. l. Servo.* 65. §. *cum prætor.* 2. D. *ad Trebell.* Id si verum sit, nulla erit pœna ex iniquo decreto, cum jure hoc permittente decrevit. Quod enim lege permittente fit, pœnam non meretur, *l. Grachus.* 4. *C. ad l. Iul. de adult.* II. Absurdum omninò est, ut, qui Ius novum dicendi potestatem habet ex jure publico *l. Ius autem civile.* 7. §. 1. *D. de Iust. & Iur.* continuò, si jus novum dixerit, in jus ambulare cogatur ad dicendam rationem, quasi ab eo, a quo jura sunt nata, injuriarum occasio sit orta. *l. meminerint.* 6. C. *Vnd vi.* III. Iura nova, quæ generali juri sunt adversa, nullius sunt momenti nec allegari possunt ad disceptationem: Nullus eorum est effectus. *l. fin. C. si contra jus vel util. public.* Quocircà non valebit regula, ut qui hoc jus dedit puniri debeat ex hoc edicto: Cum id quod nullum est, nullum habeat effectum. IV. Jure Codicis, quod corrigere solet Jura Pandectarum, constitutum est, ut rescripta, contra jus elicita sine mendacio, omnino rejiciantur. *l. Rescripta.* 7. C. *de precib. Imp. offer.* Et si non contra jus, sed ex mendacio, impetrans careat impetratis,

ratis, & si nimia sit improbitas, aliter extra ordinem coerceatur. *l. Et si legibus.* 5. *C. si contr. jus, vel util. publ.* Undè colligendum est per eam Codicis pœnam, cessare edicti, *Quod quisque juris &c.* pœnam. Duæ enim pœnæ de eadem re esse nequeunt, & ea, quæ posteriori tempore imponitur, tollit priorem. *l. fin.* D. *de Const. Princip.*

2. Is, qui novum jus impetravit, ex Edicto, *Quod quisque &c.* tenetur, licet non sit usus. *l. si quis iniquum.* 3. *in fin. pr.* D. *h.* Sufficit enim jus esse statutum. *l.* 1. §. 1. D. *h.* Ita sæpè affectus & conatus pro effectu punitur: Ut in iis, qui ad calumniandum acceperunt pecuniam, licet non sint calumniati *l. Et generaliter.* 3. §. 1. D. *de calumniator.* In crimine læsæ majestatis. *l. Quisquis.* 5. *C. Ad l. Iul. Majestat.* In homicidio. *l. Is, qui cum telo.* 7. *C. Ad l. Cornel. de sicar.* Rat. dubit. I. Quæ ergò est ratio differentiæ, quod non Eventus & exitus spectandus sit, sed consilium in hoc Edicto, secus quàm in Falso *l. Qui falsam.* 19. *pr.* D. *Ad l. Cornel. de fals.* ! In Iure taciti fideicommissi. *l. Non intelligitur.* 3. §. *Quandò autem.* 2. D. *de Iure fisc.* ! In pœnis generaliter. *l. Aut facta.* 16. §. 1. *&* §. *Eventus.* 8. D. *de pæn.*? II. Quomodò excusari potest, quod in hoc ipso Edicto pronunciatum sit, Quid enim offuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum. *l.* 1. *in fin. h.*? III. Si nulli liceat jus novum impetrare, nisi incidat in hoc Edictum, quomodo defendentur privilegia, quæ speciale ac novum jus continent. *l.* 1. *in fin.* D. *de constit. Princip.*? An, ut omnes, contra quos privilegiati jure suo utuntur, eodem privilegio uti possint? Id absurdum & inauditum.

3. Judex, qui ex consilio Adsessoris malè Judicavit, non tenetur ex hoc edicto: Interim litem suam facit. *l. fin.* D. *de var. & extraord. cognit. pr. Inst. de Obligat. quæ quas. ex malef. nascunt.* Vid. Bus. *in l.* 2. D. *h. n.* 2. Rat. dubit. I. Videtur id imputandum esse Adsessori, non Judici. *l. hoc edico,* 2. D. *h.* Pœnæ enim

non

non egrediuntur Authores suos. *l. sancimus.* 22. *C. de pæn.* II. Nihil ei est imputandum, qui nihil commisit, & qui secutus est consilium eorum, qui jus in melius formare præsumendi sunt. *arg. l. necessarium.* 2. §. 13. *D. de Orig. Iur.*

4. Ex edicto, *Quod quisque jur. &c.* etiam tenetur heres. *d. l. Si quis iniquum.* 3. §. *Quod autem.* 5. D. *h.* Cum enim actiones hereditariæ debent propter hoc Edictum denegari defuncto, etiam jure denegabuntur Heredi: quia is defunctum repræsentat, *l. Nihil est aliud Hæreditas.* 24. D. *de verbor. signific.* etiam in vitiis, quæ res afficiunt. *l. vitia.* 11. *C. de acq. & retin. possess. l. Cum heres.* 11. D. *de divers. & temp. præscript.* Deinde, quia non est in potestate heredis conditionem obligationis mutare. *l. stipulationum.* 2. §. *Ex his* 2. D. *de Verbor. Obligat.* Vid. Anton. Fabr. *in rational. ad d.* §. *Quod autem*, Rat. dubit. Ex delictis defunctorum heredes non aliter tenentur, quam qua pervenit, aut lis cum defuncto contestata est. *l. un. C. quand. ex delict. defunctor.* Uti nec ex dolo, aliter conveniuntur. *l. In heredem.* 26. *& seq.* D. *de dol. mal.* Hoc vero edictum continet coercitionem delicti ac doli *l. Hoc edicto.* 2. D. *h.* ac habet pœnam manifestam. *d. l. si quis iniquum.* 3. *pr. verb. Punitur.* §. *Hæc pœna.* 2. 3. 5. D. *h.* Pœna verò non transmittitur ad heredes. *l. Constitutionibus.* 33. D. *de Oblig. & Action. l. si pœna.* 20. D. *de pœn.*

Ex tit. C. & D. de in jus vocand.

5. Olim in jus vocatio fieri potuit privata authoritate, adeò ut non opus esset eam ob causam adire Prætorem vel alium magistratum. Nusquam enim mentio fit in legibus consensus Iudicis adhibendi in hac causa. Excepti fuerunt certi casus, quib. Prætor adiri debebat. Eratque ea vocatio deductio ad prætorem: Huc facit argumentum *l. Plerique* 18. D. *h. l. nemo.* 103. D. *de Reg. Iur. l. si vero.* 5. §. 1. D. *Qui satisd. cog.* Huc faciunt,

ciunt, quæ tradiderunt Plautus. *in Rudent. act.* 3. *scen. ult.* Terent. *in Phormion. act.* 5. *Scen.* 8. Horatius, aliique. Lege jus est, ut in jus eas, cum voceris. Ita 12. tabb. cautum: si calvitur, pedemque struit, manum endo jacito. Duaren. 1. *Disp.* 1. Bus. *in l.* 1. D. *h. n.* 3. Vultej. 1. *Discept. Scholast.* 1. Ioann. *Robert.* 3. *sentent.* 1. Brisson. 5. *de form. solemn.* Rat. dub. I. Non est verisimile, leges Romanas concessisse, ut quis id faceret, quod commodè & sine strepitu poterat fieri per magistratum. *l. non est singulis.* 176. D. *de Reg. Iur.* II. Viatorum, ac eorum, qui in jus vocationem expediebant, officium publicum ac notum satis fuit. *§. Tripli.* 24. *Inst. de action.* Id verò ociosum esse non potuit. III. Multa loca, authoritate Prætoris vocatos in jus Reos ostendunt. *l. si quis ex.* 5. D. *de Iudic. & l. Ex quacunque.* 2. D. *si in jus vocat. non ierint l. Pic.* 1. *Ius.* 5. D. *de damn. intest.* Ita dicitur ad vocationem in jus Præses interpellatus. *l. diffamari.* 5. C. *de ingen. manum.* Rector Provinciæ aditus. *l. cum proponat.* 9. C. *de bon. author. Iudic. possid.* IV. Ad æstimationem Iudicis pertinet unam vel plures citationes concedere. Petere cogitur actor & sic impetrat edicta ac citationes. *l. Ad peremtorium.* 68. *& seqq.* D. *de Iudit.* V. Iubet Imperator, ut Iudex non tantum præconis voce, sed & Edictis propositis litigantes in Iudicium vocet. *Nov.* 112. *c.* 3. *versic. Iubemus.* Vid. Donell. *ad Rubricam.* C. *h. n.* 13.

6. Omnis citatio hodiè est vel verbalis, vel realis. Hæc per apprehensionem personæ. *C. Cum dilecti* 6. *v. Expectantibus. x. de dol. & contumac. C. fin. x. Qui mitti in possess.* Illa vel viva voce vel literis fit. *d. c. Cum dilecti. Novell.* 112. *c.* 3. Vid. Gail. 1. *Obser.* 48. Rat. dubit. I. Nulla hic mentio proclamatis per vocem Præconis: Citationis per Edictum, per campanam vel tubam. Vid. Marant. *in specul. Advocat. de Citatione*, ubi sex ponit species. II. Per apprehensionem non est Citatio, sed fit personæ asservatio.

7. E-

7. Edictali Citationi, quæ in specie talis dicitur, non est locus, si alio modo vel ad domum loco habitationis, vel in persona possit executio citationis fieri. *C. causam, quæ. 3. x. de dol. & contumac.* Casus autem sunt certi: De quib. Vid. Gail. 1. *observat.* 57. *per tot.* D. Althus. *Diæolog. lib.* 3. C. 49. *n.* 31. *& seqq.* Non enim est admittendum, ut remedio ordinario existente, ad extraordinarium procedatur §. 2. *Inst. de Inoffic. testam.* Ratio dubitandi. I. Quod Iudicis potestati permittitur, id non subjicitur juris necessitati. *l. Non quicquid.* 40. D. *de Iudic.* Potestati verò Iudicis permittitur dare Edictalem citationem vel aliam. *l.* Nonnunquam. 72 D. *eod.* Undè sequitur non esse pro regula & jure tenendum, quod Edictalis non habeat locum, nisi omnibus aliis citandi modis deficientibus, & quod aliter non sit proponenda, nisi certis casibus. Præcipuè, cum nec in Jure tradita sit regula de Edictali non usurpanda, si alia citatio fieri possit, nec casus, quibus Edictalis permittitur, sint definiti. Quod enim non est lege definitum & in facto consistit, id non potest ex juris regula & pro certo assumi & æstimari, sed arbitrio Iudicis committi debet. *l. Mora.* 32. *pr. D. de usur. arg. l.* 1. §. *fin.* D. *de Iur. delib.* II. In Praxi admittitur Edictalis extra territorium adversus quemlibet etiam Certum, eumque cujus domicilium scitur & certum est, licet per nuncium vel literas Iudicis possit vocari. Ita Gail. 1. *observ.* 56. Sequitur ergò, quod non sit necesse, ut tunc demum Edictalis fiat, si alii modi non possint habere locum.

1. Edictalis non fit à Delegato Iudice, sed ab ordinario, nisi specialiter id mandato sive delegatione sit comprehensum, vel Consuetudine permittatur. Gail. *d. observ.* 53. *n. ult. per C. Cum contingat.* 13. *in fin. x. de for. compet. c. dilecti x de Arbitr. ubi* Gloss. *in verb. consuetudinem.* Non verò probo rationem Baldi, à Gail. *d. loc.* allegatam, quod Edictalis citatio sit similis banno: sed hanc, quod ea, quæ extraordinariò & ex

causæ

causæ cognitione fiunt, non videantur mandato delegati comprehendi. *arg. l. Illud.* 25. §. 1. *l. Patri.* 27. *D. de minorib.* Ratio dubit. I. Cui est concessa vel mandata Iurisdictio, illi omnia sunt concessa & mandata, sine quibus Iurisdictio exerceri nequit. *l. Cui Iurisdictio.* 2. *D. de Iurisd.* Sine Citatione Edictali aliquandò non potest Iurisdictio exerceri. Eodem modo cui mandatum est principale, ei demandata sunt omnia præparatoria, etiamsi habeant diversam à principali essentiam, & extraordinariæ sint actiones. Ita, qui ad legatum ex mandato agere potest, idem & potest movere interdictum, quod est actio extraordinaria. §. *fin. Inst. de Interd.* vel de tabulis exhibendis. *l. Ad legatum.* 62. *addit. l. Ad rem mobilem.* 56. *D. de Procurator.* Quia sine extraordinario remedio non potest principalis actio intentari. II. Textu expresso, *in Auth. Qui semel. C. quomodò & quand. Iud. desumta ex Nov.* 112. *c.* 3. edocetur posse à Delegato Edictalem Citationem concedi.

9. Citatio Verbalis non tantum à Iudice Ordinario, sed & Delegato, qui Iurisdictionem vi Delegationis habet, potest concedi eo effectu, ut si citatus non compareat, ad contumaciam procedatur. De ordinario non est dubium. In Delegato requiritur, ut tenor suæ commissionis citationi addatur. *arg. c. Cum in jure,* 31. *x. de offic. deleg.* Gail. *l.* 1. *Obs.* 48. *n.* 17. Debet enim, qui citatur, certus esse & expendere antequam veniat, utrum citatus sit à Iudice competente, annon. Ratio dub. I. Non est necesse, ut delegatus tenorem commissionis inserat: quia debet citatus venire & non contemnere authoritatem citantis *l. si quis ex aliena.* 5. *D. de Iudic.* Et præsumitur pro veritate Delegatæ Iurisdictionis. *arg. d. C. Cum in jure.* II. Imò debet Copiam delegationis transmittere, ut plenè possit constare, an subreptitia sit an falsa delegatio: Non enim adserenti quid in propria causa credendum est. *l. Nullus.* 10. *D. de Testib.* Vid. Franc. Burs. 3. *consil.* 38. *n.* 5.

10. Iudices etiam pedanei & arbitri possunt concedere citationem verbalem; Datur enim hisce Iudicium & potestas ferendi sententiam; ferri autem ea non potest sine citatione, nec sine ea Iudicium esse potest. §. *fin. Inst. de pæn. temer. litig. l. De unoquoque* 47. D. *de Re Iudic. l. nam ita Divus. D. de adopt. Clem. Pastoralis, & ibi Canonist. De re Iudicat. c. quoniam. x. de probat.* De arbitro est textus *in l. Quid tamen.* 21. §. *si arbiter.* 10. D. *de recept. qui arbitr. recep.* Rat. dubit. I. Citare est Imperii sive jurisdictionis. *l. Ex quacunque.* 2. D. *si quis in jus vocat. non ier.* Nec pedanei nec arbitri habent Iurisdictionem. Non pedanei *l. fin. C. ubi & apud quem cogn. in integr. rest.* quia iis tantum est notio, cum de causis humilioribus tantùm possint judicare *d. l. fin. l. placet.* 3. *l. fin. C. de Iudic. pedan. junct. l. Ait Prætor.* 5. D. *de Re Iudicat.* Non Arbitri: *d. l. fin. C. ub. & ap. quem cogn.*

11 Citationem realem non in omnibus causis, Iudices permittere possunt. Regulariter fieri nequit in Civilibus: quia non solet in iis præsentia personæ desiderari: ubi verò ea non requiritur, possunt omnia fieri per Procuratorem, & absentes possunt condemnari. Rat. dubitandi. I. Quia expressè contrarium est *in l. Consentaneum.* 8. *C. quomodò & quand. Iudex.* ubi rescriptum est, eum, qui in civili negotio contumaciter abest, primo loco cogendum esse, reali apprehensione facta, ut se repræsentet & sistat, vel, si, scilicet, hoc fieri non possit ob absentiam, possessionem esse transferendam ad adversarium præsentem: vel auditis præsentis allegationibus, id quod juris ratio exegerit, judicandum. II. Ordo Iuris permittit, ut qui condemnatus non solvit, detrudi possit, apprehensione reali facta, in carcerem. *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Gothofred. *in fin. tit. de hered. quæ ab intestat. defer. ll. 12. tabb.* III. Si in civilibus non permitteretur apprehensio, debitores fuga sibi consulerent & creditores suos eorumque actiones eluderent: undè etiam vide-

videmus ubique arresta & debitorum detentiones frequenter fieri. Vid. Marant. *d. lib. de citat. n.* 73.

12. Receptum est communiter, citationem ex *l. Diffamari.* locum habere in quibuslibet causis: sive eæ civiles, sive criminales fuerint. Boër. *Decis.* 255. *n.* 7. Gail. 1. *Observ.* 9. *n.* 2. Præterea ubique obtinet, ut is, qui se habere actionem personalem vel realem professus est, possit citari in eum finem, ut actionem suam instituat, aut patiatur sibi perpetuum silentium imponi. *arg. l. Cum Titia.* 18. *D. de accus.* Gail. *d. observ. n.* 3. Rat. dub. Error est communis, uti patet ex *l. Diffamari. C. de Ingenuis manumiss.* quæ huic citationi originem, nomen & essentiam dedit. I. Non loquitur dicta lex de qualibet causa, sed tantùm de statu ingenuitatis. Hæc causa cum singularis sit & singularem habeat rationem, non potest ad omnia negogotia & agendi causas quasvis referri. Quæ enim singulariter dicuntur, singulariter sunt accipienda: ad quæ accedit, quod jus ipsum *in d. l. Diffamari*, sit quoque singulare & propterea non possit ad alia extendi. *l. Quod verò.* 14. *& seqq.* D. *de legib.* II. In dicta lege non fit citatio, ut diffamans actionem instituat, sed veniat ad contradicendum, si rationibus suis confidat. Id autem est conforme generalibus Iuris principiis, quæ docent, neminem invitum ad agendum cogi. *l. un. C. ut nemo invit. agere vel accus. teneat.*

13. Diffamatus potest diffamantem vocare vel ad Iudicem diffamantis vel diffamati. Gail. *d. Observ. n.* 3. In loco domicilii diffamantis potest actio moveri ex generali regula, Actor sequitur forum Rei. *l. fin. C. ubi in rem act.* In loco domicilii ejus qui diffamatus est, ob diffamationem. Ratio dubitand. I. Iudex diffamati non potest quemquam extra suum territorium citare. *l. fin.* D. *de Iurisd.* II. *In d. l. Diffamari.* nullum est vestigium de loco, sive domicilio diffamati, sed de Præside, cujus supremum est Tribunal in Provincia: Ex quo sequeretur ad supremum Iudicem esse in hac

causa provocandum. III. Obstat regula Catholica, quam in citationibus sequi jubent jura: Actor sequitur forum Rei. *d. l. fin.*

14. Etiam hodiè Parentes nequeunt citari sine speciali veniæ impetratione. Manet enim jus Reverentiæ pristinæ, quæ suasit Parentes non esse sine permissu Prætoris in jus vocandos. *l. Quique* 4. §. 2. *& seqq. l.* 5. *& seqq. l. Generaliter.* 13. *D. h.* Manet illud, quod & hodiè Prætor attendere debeat, ne aliqua detur actio vel fiat citatio, ex qua Parentum fama sugillaretur, *l. sed si hac lege.* 10. §. *Prætor ait.* 12. D. *h.* Usu & consuetudine pristinum jus ubique receptum. Rat. dub. I. Cessat hodiè mos ille violentus obtorto collo trahendi in jus reum: sequitur ergò, cum ob veterē istum morem introductum sit jus de parentibus sine venia non vocandis, etiam pœnam hanc cessare. Sublata enim vel mutata juris causa, tollitur vel mutatur jus ipsum. *arg. l. un. pr. C. de Caduc. tollend.* II. Cum hodiè omnibus sit commune, ut nemo citari possit sine Iudicis permissu, absurdum esset, duplici veniæ impetratione de eadem causa opus esse. Vid. Cujac. 10. *Observ.* 10.

15. Vasallum posse sine impetratione veniæ dominum suum in jus vocare, probabilius est, cum nusquam in jure feudali ea requiratur, nec libris Iuris civilis ulla ejus mentio fiat. Vid. Fachin. 10. *cont.* 89. Vult. *discept. Scholast.* 1. Mynsing. 4. *Obs.* 42. Rat. dub. I. Vasallus assimilari potest liberto: libertus ob beneficium acceptum non potest patronum in jus sine venia vocare: *d. l.* 4. §. 1. Ergò nec Vasallus, qui a suo Domino non exiguum consecutus est beneficium. II. Reverentiam, honorem debet Vasallus Patrono, nec eum offendere debet. *tit. in feud. De Vasall. qui contr. Const. Lothar. regis benef. alien.* Ubi autem debetur reverentia, vel ubi honor naturaliter est præstandus, ibi est necessaria veniæ impetratio. *l. Generaliter.* 13. D. *l. venia.* 2. *C. h.* Iuramenti formula, quæ proponitur

ponitur *c. unic. qualiter jurar. deb. Vasall. & c. un. de forma fidelit.* exigit ut quicquid honestum sit, id Patrono Vasallus faciat, atqui est honestum Domino, ut Vasallus dominum in jus vocet venia.

16. Novercam privignus patre suo vivo non potest sine impetratione veniæ in jus vocare; redundat enim id in injuriam patris, cujus est defendere uxorem. *l. 1. §. fin. D. de injur.* Idem in hac re honos uxori, qui patrono est tribuendus. *l. 1. C. h.* Et est noverca loco matris. Ratio dubit. I. Nullo autem textu Novercæ fit mentio. Et magis favorem liberorum ampliari oportet, quam Novercæ: Cum odia restringi conveniat *C. Odia. de Reg. Iur. in 6.* Et ipsa Noverca per se sit odiosa persona, quandoquidem solet suis delinimentis corrumpere patrem privigni & instigare adversus privignum. *l. Non est enim. 14. D. de Inoff. testam.* II. Simpliciter conceditur privigno Novercam ob furtum actione famosa ad præsidem sive alium Iudicem vocare. *l. De his, quæ. 11. C. de furt.* Vid. Alciat. *in l. venia. 2. C. h* Gilken. *in l. 1. C. h. & ibi.* Iason.

16. Non verò dubito, quin pœna 50 aureorum non habeat locum, si privignus patre mortuo sine venia Novercam vocaverit. Soluto enim jure conjugii etiam hoc jus solvitur. Deinde *in d. l. 1. C. hic.* fit mentio uxoris patroni, non viduæ. Ratio dubit. Vidua servat omnia jura mariti, dignitatem, forum, Domicilium. *l. Fæminæ. 8. in fin. D. de senator. l. Filii. 22. §. Vidua. 1. D. ad municip. l. Quoties. 3. C. de privileg. Scholar.* Et in priori matrimonio stat, quandiu se alii marito non junxit. *Nov. 22. C. 20. §. soluto.* Nec mors mariti ei, quoad reverentiam nocere debet: ne afflictio afflictæ addatur.

18. Causam in Citatione esse exprimendam conveniens est & communiter receptum *Mynsing. 5. Observ. 85. Gail. 1. Observat. 51.* Ita fiet, ut & Reus ad defendendum se parare possit & non facilè ad inducias deliberatorias admitti extra ordinem debeat. *c. 2.*

x. de Dilation. c. Si primates. caus. 5. quæst. 2. Ratio dubitandi. I. Nusquam in juris Civilis Legibus requirebatur expressio causæ: sed fiebat ea, sive editio actionis, tunc demum, cum ad prætorem litigantes venissent. *l. 1. §. Edere. D. de Edend.* II. Ejus, qui in jus vocatus erat, non est inquirere in causam, ob quam vocatus est, sed venire, & non contemnere authoritatem vocantis & coram causam audire. *l. si quis ex aliena. 5. D. de Iudic.*

19. Præsens in judicio non tenetur respondere, si antè ad judicium non sit vocatus. Similiter ad certam causam citatus, non tenetur ob aliam judicium accipere, & ad aliam respondere. *l. Consensisse. 2. §. Legatis. 3. in fin. D. de Iudic.* Vid. Iason. *in l. 1. D. h. n. 12.* Ratio dubit. I. Comparantur præsentes & Evocati. *l. Etiam si Patre. 29. §. fin. D. de minor. Authent. si omnes. C. si minor ab hered. se abstin. l. Recusare. 6. D. ad SC. Trebell.* II. Cum finem Citationis obtineamus per præsentiam Adversarii, frustra ergo Citatio fiet: Fine enim obtento frustrà de mediis cogitatur. Et non debet fieri per plura, quod perpauciora haberi potest. Vid. Gail. 1. *Obs. 51. n. 7.*

20. Contumaciter absens semper non perdit litem *l. Properandum 13. § sin autem. 3. & seq. C. de Iudic. l. Et post Edictum. 73. D. eod. l. Consentaneum. 8. C. Quand. & quomod. Iud.* Ratio dubit. I. *Ex l. Contumacia. 53. pr. & §. 1. D. de Re judic.* II. Is, qui se non defendit, videtur actionem actoris admittere, &, quæ adversarius ponit confiteri. *arg. l. Qui patitur. 18. D. mandat.* In confessum non sunt aliæ partes judicis, quam ut cum condemnet. *l. 25. D. ad l. aquil.* III. Indignum est, ut, qui ipse Iudicium & jura negligit, per judicium & jura liberetur. *arg. l. 37. in fin. D. de minorib.* IV. Si quis non aliter posset condemnari, quam, si adversarius suam intentionem plenè probaverit, posset ea ratione contumax evadere, ne ad id, quod ipsi est cognitum, & pro-

bari non potest nisi confiteretur, respondere teneretur & veritatem confiteri. Id verò nullo modo est admittendum, Probationes enim quam maximè sunt adjuvandæ. *l. Curent. 22. D. de Testib.* Et opera danda est, ne quis ex sua contumacia & malitia commodum sentiat. *l. 1. D. de dol. mal.*

Ex tit. Inst. D. & C. Qui satisdar. cog. & de satisdat.

21. Qui satisdare jubentur in Edicto Prætoris, Iudicio sistendi sive ex alia aliqua causa, tenentur dare fidejussorem: nec satisfaciunt, si pignus offerant. *l. 1. D. h. l. Prætoriæ. 7. D. de prætor. stipulat.* Rat. dubitandi. I. Idonea cautio tam fit pignoribus, quam fidejussoribus. *l. si mandatu. 59. §. fin. D. Mandat. l. 1. §. Iubet. 9. D. de Collat.* II. Plus cautionis est in re, sive obligatione pignoris, quam in persona fidejussoris. *l. Plus cautionis. 25. D. de Regul. Iur. §. Vnde constat. 14. Inst. de oblig. ex del.* Id verò, quod certiorem confert cautionem, facilius est admittendum. III. Ipsa quoque satisdatio potest fieri per rerum obligationem. *l. Promissor. 21. §. fin. D. de constit. pecun.* IV. Immobilium possessores liberantur à satisdatione per fidejussores *l. sciendum. 15. D. h.* Sequitur ergò, eum, qui pignora habet, eo loco esse, ac si fidejussores dedisset. V. Cessantibus prioribus dubitandi rationibus, prætereà dici posset per *Nov. 4. c. 1.* correctum esse jus de fidejussoribus, cum satisdandum est, tantum dandis: quandoquidem hodiè non possunt conveniri fidejussores nisi excusso reo Principali, & sic difficilius adversus fidejussores agi potest. Facilius autem pignora debitoris vendi poterunt. Vid. Gloss. *in l. 1. D. h,* Zanger. *de Except. part. 2. C. 19. n. 9. & seqq.*

22. Qui possidet immobilia cogitur judicio sistendi causa vel ex alia, eadem bona sua immobilia oppignerare, si à fidejussione liberari velit, & Adversarius bona ea obligari ex justa causa exigat. §. *si verò aliquis.* 4. *Inst. h.* Cautio enim desiderat pignus. Pignus autem non est, nisi obligatio fiat vel ab homine vel à lege. Rat.dub. I. Atqui sufficit generaliter esse immobilia. *d. l. sciendum.* 15. ac nudæ suæ repromissioni dicuntur illi, qui immobilia habent, relinqui. Malè autem quis nudæ repromissioni relinqui dicitur, qui cogitur obligationem rerum facere. Nec usquam distinguitur, an sit causa aliqua oppignerationis exigendæ vel non. Vid. Wesemb. *in paratitl. h.* Bus. *in d. l. sciendum.* 15. *n.* 5.

Ex tit. D. & C. de Feriis.

23. Non potest fieri citatio die Dominico. *l. fin.* §. 1. C. *h. c.* 1. *& fin. x. eod.* licet quis vocetur ad diem non feriatum. Id verbum Dei prohibet, in Præcepto quarto Decalogi. Rat. Dubitandi. I. Citatio est facti, nec fit per Iudicem sed per nuncium, nullamque causæ cognitionem desiderat. Prohibentur illa tantum *in d. l. fin C. h.* quæ minium solent turbare animos eorum, qui litem habent, & sic commovere, ut non possint rectè Deo inservire. Citatio verò non ita commovet & turbat. II. Multa sunt, quæ non possunt pati moram. Illa verò, quæ differri nequeunt, jure expediuntur die festo. *l. Omnes.* 3. *C. h.* III. Inquisitio in latrones & apprehensio sive realis citatio fieri potest omni die fariato, etiam Dominico. *l. Provinciarum.* 10. *C. h.* Multo magis citatio verbalis. IV. Consuetudo reclamat. Vid. Gail. *l. observat.* 53. *n.* 5. Vant. *de null. ex desert. citat. n.* 46.

Ex tit.

Ex tit. D. & C. de Edend.

24. Non eſt ex eo vitioſus libellus, quod nomen actionis eo non ſit expreſſum. Nuſquam enim requiritur, ut hoc fiat. Nec multiplicanda ſunt citra neceſſitatem rerum ſolemnia. *l. Curent* 22. D. *de Teſtib.* Nec nomina ſunt curanda, cum de re conſtat, quia ſunt inventa rerum ac hominum ſignificandorum causâ. §. *ſiquidem.* 29. *in fin. Inſt. de legat. l.* 2. *in fin.* C. *comm. de legat.* Et quidem jure noviſſimo de nominibus minimè cogitandum eſt, quandoquidem radicitùs ſunt amputatæ Iuris formulæ, quæ in nominibus & ſyllabarum aucupatione conſiſtentes, cunctorum actibus inſidiantur *l.* 1. *C. de form. & impetrat. ſublat.* & ſufficit, ſi aptam rei & propoſito negotio competentem eſſe actionem conſtiterit. *l. fin.* C. *eod.* Oportet igitur cauſam petendi & medium concludendi exactè libello inſeri. Vid. Gail. 1. *Obſerv.* 61. *n* 1. 2. Idem confirmat Ius Canonicum. *c.* Dilecti. 6. *x. de Iudic. c. fin. x. de libe. oblat.* Ut & conſuetudo ſive praxis. Ratio dubitandi. I. Anxiè olim diſputatum, quod nomen contractus, quod nomen actionis. *l.* 1. D. *de æſtimator. l.* 1. D. *ſi menſ. falſ. mod. dixer. l.* 1. C. *de Iur. Emphyt. l. Apud labeonem.* 20. D. *de præſcript. verb. l.* 2. C. *de pact. int. Emt. & Vendit. compoſ. l. ſi fundus.* 4. D. *de leg. Commiſſ.* Non verò fuiſſet opus hac diſputatione, ſi ſuffeciſſet non nomen ſed qualitatem negotii narrare. II. Ex nomine omnes actiones à ſe invicem diſtinguuntur. Ita actio ex emto, vendito, locato, &c. Id verò eſt exprimendum, quo actio quæ proponitur diſtinguitur ab aliis. Aliàs enim omnia confusè in Iudicio traderentur: confuſio autem in omnibus ſive rerum ſive nominum fœda eſt, & vitanda. *l. fin. circa med. C. de legit. tutel. l. fin. C. de bon. matern. Nov.* 31. *in præfat.* Maximè quidem in judicialibus. III. Oportet in principio Iudicii actionis

editionem fieri, ut cognoſcatur, quæ ſit actio. *l.* 1. *D.* *h.* Cognoſci autem non poteſt niſi nomen ſit cognitum. Propterea enim nomina ſunt rebus indita, ut res intelligi poſſint. §. 3. *Inſtit. de Donation.* §. 5. *Inſt. Quib. mod. teſt. infirmant.* Hæc ipſa nomina faciunt, ut actiones ſint ſolemnes, ſint certæ & indubitatæ. Certæ autem ut ſint, poſtulat judiciorum ordo. *l. neceſſarium.* 2. §. *His legibus.* 5. *&* §. *ſeq.* D. *de. Origin. Iuris.* IV. Pro hac ſententia videntur facere Textus *in l.* 1. *& ſeqq. duab.* D. *de præſcript. verb. l. fin. verbis actionem exprimere*, *ſ.* *ſuo nomine.* C. *de interdict. l. Non videtur.* 33. D. *de Iudic.* Donell. *in l. Editæ.* 3. C. *h.* Iaſon. *in l.* 1. D. *h.*

25. Non ambigo, quin ſi inepta actio ſit nominata, libellus æquè ſuſtineri debeat, modò res ipſa ſatis benè ſit expoſita, ut non poſſit vel non debeat dubitari de qualitate actionis. Error enim in nomine non vitiat actum. *arg.* §. *ſiquidem.* 29. *Inſt. de legat l. Quotiens.* 9. §. *ſed ſi non in corpore.* 2. D. *de heredib. Inſtit.* Nec etiam dubito, quin, ſi ſit obſcurum, qualis actio competat, poſſit Reus, ſi ejus interſit, deſiderare ſuo jure, ut actionis nomen exprimatur. Ratio Dubitandi. I. Requiritur, ut apta actio inſtituatur. *l. fin.* C. *de form. & impetrat. ſublat.* Ergò, ſi inepta proponitur forma libelli vitiatur, & per hoc libellus pro nullo habetur. *arg. l. Quoties.* 6. D. *Qui ſatiſd. cogant.* Ita & competens actio eſt proponenda. *l. pen.* C. *ſi vend. pign. agat. l. Si quum ea.* 3. *C. de dot. promiſſ.* II. Opus eſt, ut exprimatur actio. *l. fin. C. de interdict.* Ergo, ſi malè expreſſa ſit, vitiabitur libellus. III. Nominatim reſpondetur. *l.* 1. *in fin. princip.* D. *Si Menſ. falſ. mod. dixer.* non tenere intentionem, ſi actio delocato ſit nominata, cum in factum prætoria eſt deſignata. Vid. Iaſon. *in d. l.* 1. *num.* 45. *& ſeq.* D. *h.*

26. Libellus etiam mutari & corrigi poteſt, non tantùm ante litem conteſtatam. *l. Edita.* 3. *C. h.* verum etiam poſt eam uſque ad concluſionem in cauſa. §. *ſi minus.* 34. *et ſeq. Inſt. de actionib. l. In delictis.* 4. *in fin.* D. *de noxalib. actionib. l. Cum fundus.* 18. §. *fin.* D. *vi & vi armat. l. naturaliter.* 12. §. 1. D. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Modò nihil fiat dolo *d.* §. *ſi minus & ſeq.* & cum detrimento adverſarii, cui debent refundi impenſæ litis. *l. Eum, quem.* 79. *pr.* D. *de Iudic.* Modò etiam ſervetur idem judicium *d.* §. *ſi minus & ſeq. d. l.* 4. §. 1. Niſi adverſarius Exceptionem declinatoriam propoſuerit: hoc enim facto poteſt actor, cum refudit ſumtus, adire Iudicem competentem. Nec diſtinguendum arbitror inter emendationem in re minima & mutationem in re maxima: adeoque, & ſi merita cauſæ ſint mutanda, poterit fieri renunciatio inſtantiæ, manente eodem judicio. *dd. ll.* Vid. Donell. *In d.* §. *ſi minus.* 34. *& in d. l. Edita.* 3. Fabr. Mudæum. Mynſ. *in d.* §. *ſi quis aliud.* 34. *Inſtit. de action.* Buſium. *in l.* 1. *D. de Edend. n.* 30. *& ſeqq.* Ratio dubitandi. I. Aliâ interpellatione eſt opus, ſi poſt judicium acceptum quid inciderit, ſive ſit correctio, ſive aliud. *l. Non poteſt.* 23. D. *de Iudic.* Nec poteſt Iudicium in pendenti eſſe ob eas res & correctiones, quæ poſtea adventuræ vel futuræ ſunt. *l. Non quemadmodum.* 35. *D. eod.* II. Non debet audiri, qui poſt litem conteſtatam quid vult mutare. *l. Electio.* 26. §. *Neque heredi.* 5. *verſic. Niſi jam lis D. de noxal. act.* III. Illa, quæ ſemel placuerunt in conventionibus, poſteà non poſſunt mutari. *l.* 1. D. *de pact. l.* 1. *D. de conſtit. pecun.* niſi ex conſenſu utriuſque. *l. Prout quodque* 80. D. *de ſolution.* Nulla igitur mutatio concedetur poſt litem conteſtatam, cum per eam judicio contrahatur. *l. Licet tamen.* 3. § *Idem ſcribit judicati.* 11. *D. de pecul.* IV. Sententiam oportet eſſe conformem libello. *l. fin.* C. *de fideicomm. libert.*

Quæ verò poſt litem conteſtatam mutantur, non ſunt in libello. Undè eſt reſponſum à Iavoleno: Ultra id, quod in Iudicium eſt deductum *per litis conteſtat. l. un. C. de lib. conteſtat.* excedere Iudicis poteſtas non poteſt. *l. ut fundus.* 18. *in fin. D. Commun. divid.* V. Paratus debet accedere actor. *l.* 1. *D. h.* Nec Actoris oſcitantia aut negligentia debet nocere adverſario, ſed ipſi actori. *l. Factum.* 155. D. *de Reg. Iur.* Suæ hoc facilitati acceptum Actor ferat. *l. ſi is, à quo.* 3. D. *ut in poſſeſſ. legator.* Noceret hoc plurimum adverſario, cùm ob retardationem proceſſus, tùm ob ſumtus & alias cauſas ac præcipuè, quia ei adimeretur jus ex confeſſione judiciali acquiſitum. Nemo enim poteſt variare in judicialibus. *l. De ætate.* 11. §. *Qui interrogatus.* 9. D. *de interrogat.* VI. Videtur tantum eſſe permiſſum jure Codicis, *per d. l. Edita.* 3. *C. h.* emendare vel mutare futuram litem, non eam quæ jam eſt conteſtata: Et tunc tantummodò emendare licet, cum vel caſus eſt talis Edicto perpetuo comprehenſus, vel intervenit decretum Iudicis. Jus verò Codicis maximè ſequi oportet. Vid. D. Sand. *lib.* 1. *deciſ. friſic. tit.* 4. *de fin.* 2.

EXER-

EXERCITIUM XIV.

Resp. JOACHIMO IHERINGIO, Nordâ-Emdano.

Ex tit. de Pact. C. & D.

THESIS PRIMA.

PActum *l.* 1. §. *Et est pactio.* 2. D. *h.* in genere definitur, duorum pluriumve in idem placitum consensus. Et est, vel quod habet causam, vel sine ea. Quod causam habet, dicitur contractus: Quod non habet causam, retinet generis nomen. Hoc ipsum quod non habet causam, vel est nudum, vel legitimum. Nudum, quod nec causa sufficienti nec speciali lege confirmatur, *l. Iurisgentium.* 7. §. *sed cum nulla subest.* 4. D. *h.* sed in nudi placiti finibus consistit. *l. Si tibi.* 27. *C. de locat. l. Si divisionem.* 15. *C. famil. Ercisc.* Ratio dubit. I. Definitio pacti in genere non potest defendi, quia definitio nequit converti cum definito: non enim omnis consensus duorum pluriumve in idem placitum est pactum. Ita, si Iudices duo vel plures in unam sententiam decurrant, nullum est pactum, attamen consentiunt in idem placitum *d. l.* 1. §. 3. *D. h.* II. Malè dicitur, quod aliqua pacta destituantur causa: Cum talia non dentur, & nihil sine causa, in conventionibus nec ulla in re fieri possit. Semper enim vel utilitas, vel necessitas, vel est alia paciscendi ratio & finalis causa. III. Malè dicitur, pacta omnia lege non confirmari: Seriò enim Prætor omnia servanda esse præcepit. *l.* 1. *pr. l. Iurisgentium.* 7. §. *Ait Prætor.* 7. D. *h. l.* 1. *D. de constit. pecun.*

2. Contractus est pactum cum causa obligationem producens. *arg.* D. *l. Iurisgentium.* 7. §. 1. & 2. Vid. D. Tim. Fabr. *disp. anniverf.* 22. *Thes.* 5. §. *Quid autem contractus.* Ratio dubitand. Contractus *in l.*

labeo.

labeo. 19. *D. de verbor. signif.* definitur Ultro citroque obligatio. Ergo non est pactum, quia longè aliud est pactum, quam obligatio. *Vid. Gœdd. in d. l.* 19.

3. Promissio, quæ fit præsenti non verò acceptanti, nec reiicienti, videtur magis habere speciem pollicitationis, quam pacti: quia pactum est duorum vel plurium utrinque agentium verus consensus: pollicitatio tantum ab una parte tractatum habet *l. pactum* 3. *D. de pollicitat.* Nec tamen est vera ac formalis pollicitatio, secundum ea, quæ *in d. tit. D. de pollicitationibus* traduntur. Nam pollicitatio actus plenè perfectus est: promissio verò præsenti ac tacenti non est actus perfectus, sed tantum oblatio quæ ante acceptationem potest revocari. Ratio dubit. I. Ejusmodi promissio est vere pactum, continet enim consensum utrinque à parte promittentis, quia is offert: à parte ejus, cui promittitur, quia silendo acceptare censetur *l. qui tacet. de regul. Iur. in* 6. Nemo enim præsumi potest, suum jactare. *l. cum de indebito.* 25. *D. de probat.* atque adeo esse stolidus, ut non recipiat, quod prodesse queat. Hinc & qui patitur pro se & in suum commodum intervenire, creditur ex solo suo silentio mandare. *l. Qui patitur.* 18. *D. mandat.* II. Filia, quæ præsens est, ob solam præsentiam, consensisse dicitur *l. Donationes.* 31. *§. Species.* 1. *D. de donat.* & pater, si cognoverit nuptias liberorum, & non contradixerit, habetur pro consentiente. *l. Si ut proponis*, 5. *C. de nupt.* III. Si pollicitatio, ut supra relatum est, sit actus plenè perfectus, non potest non esse pactum: Undè & *in l. Nuda.* 5. *C. de contrah. & committ. stipulat.* appellatur pactum. IV. Imò pollicitatio est promissio ut colligi potest. *ex d. l. pactum* 3. *& l. ex pollicitatione.* 2. *D. de pollicitat.* Sine ratione itaque discriminantur suprà promissio & pollicitatio. Conf. Fachin. 8. *Controversiar.* 64. Connan. 5. *Comment.* 8. *pr.* Sichard. *in rubr. C. de pact. num.* 9. Bolognet. *ibid. n.* 36.

4. Pa-

4. Pactum legitimum non quidem habet causam, sed speciali Edicto vel Constitutione est confirmatum. *l. legitima.* 6. *D. h.* Et ibi DD. Ratio dubitandi. Constitutum, hypotheca, Donatio Dotis promissio, Iusjurandum, sunt pacta legitima. *l.* 1. *D. de constitut. pecun. l. Si tibi decem.* 17. §. *De pignore.* 2. D. *h. l. Si quis argentum.* 35. §. *fin. C. de donat. l. ad exactionem.* 6. *C. de dot. promiss. l. Ait Prætor.* 7. *l. Ait Prætor.* 3. *D. de Iurejur.* Attamen in hisce non deest causa. In constituto, est prius sive vetus debitum. *l.* 1. §. *Debitum.* 6. *D. de constitut. pecun.* In pignore, est securitas in Creditore. §. *fin. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.* In donatione, liberalitas & voluntas Dominii transferendi. *l.* 1. *l.* 29. *D. de donat. junct.* §. *per traditionem.* 40. D. *de Rer. divis.* In dote, causa nuptiarum. *l. Dotis.* 3. *D. Iur. dot.* In Iurejurando, religio in Deum. *l. Cum pater* §. 23. *D. de legat.* 2. & causa, super qua juratur. *l. Si duo.* 13. §. *Si quis juraverit.* 3. &c. *sequentib.* D. *de jurejurand.* uti & delatio adversarii *D. l.* 1. *C. de reb. credit.*

5. Taciti pacti elegans est exemplum *in l. post. venditionem.* 2. *C. h.* Si Creditores hereditarii egerint sponte adversus Emtorem hereditatis, isque spontanea voluntate susceperit actiones, videntur tacitè pacti de herede ipso, eodemque venditore, non conveniendo. Vid. *in d. l.* Donell. Rat. dubit. I. Acta inter alios, non nocent aliis. *l.* 1. *& t. t. C. Res inter al. acta.* Ita quoque non prosunt. Ut ipsa pacta, expressè inita, non egrediuntur personas paciscentium *l. si unus.* 27. §. 4. *in fin.* D. *h.* nec poterunt ea, quæ tacitè fiunt & ex præsumtione tantum oriuntur. Major enim est vis expressi quam taciti *l.* 1. *C. h. l. Est differentia.* 8. D. *Ex quib. caus. tacit. pign. v. hypoth. contrahit.* II. Si secundum modum divisionis, quæ facta est inter heredes, creditores defuncti eam approbantes tacitè, usuras acceptaverint, non obstante eo, æquè possunt

insti-

instituere actiones, quas contra omnes heredes pro partibus habent. *l. Tale.* 40. §. *post divisionem.* 2. *D. h.* Cur ergò diversum est in casu *d. l. post venditionem.* 2.? III. Nihil potest per liberam personam acquiri aliis. *l.* 1. *C. per quas person. cuique acquir.* Ergò nec hæc exceptio. IV. Pugnat cum æquitate, ut, si emtor non sit solvendo, Creditores ex sua vel simplicitate, dum fortè putant emtorem hereditatis esse conveniendum, quia hereditatem detinet, damnium patiantur, contra *l.* 1. *D. de dol. mal.* Si dicatur hosce Creditores errore jure esse lapsos, ac propterea iis non esse subveniendum. *l.* 10. *C. de Iur. & fact. ignor.* iis proderit regula Juris, quæ vult, ne error juris noceat in damnis rei amittendæ. *l. Iuris ignorantia.* 7. *& seq. D. de Iur & facti. ignor. l.* 1. *D. ut in possess. legator.* V. Iniqnum est, ut, cum venditor precium totius hereditatis & ita lucrum acceperit, is cum jectura horum Creditorum locupletior fiat, contra *l.* 14. *D. de condict. Indeb.* VI. Nullo modo est permittendum, ut hi Creditores ex sua benignitate damnum patiantur; Cum nihil tam sit rationi consentaneum, quam ut nemini officium suum sit damnosum. *l. sed si quis.* 7. *D. Testam. qurmadm. aperiant. l. servus ea lege.* 7. *D. de servis exportand.* Benevolentiæ eorum tantùm est id abscribendum, quod contra Emtorem experiri voluerint & heredi per suas Lites non fuerint molesti. Nulla sanè ipsis fuit intentio ut res suas amitterent: Contra intentionem verò non possumus actum interpretari *arg. l. Non omnis.* 19. *D. de reb. Credit.*

6. Si Creditor suo Debitori reddiderit Chirographum; videtur inter eos convenisse de non petendo. *l. labeo.* 2. §. 1. *D. h.* Continet enim Chirographum veram debiti probationem, Estque instar Symboli & loco ipsius obligationis. *l.* 1. *c. de donat. l. Servum.* 44. §. *Eum.* 5. *D. de legat.* 1. *l. Qui Chirographum.* 59. *D. de legat.* 3. Id ita accipiendum, nisi vel certa probatio in con-

contrarium fiat. *l. si Chirographum.* 24. *D. de probat.* Vel sit aliqua prægnans conjectura, quæ diversum suadeat. Ratio dubit. I. Pactum de non petendo non præsumitur, cum facti sit, & facta non præsumantur. *l. Idem Pomponius.* 5. *D. de Rei vindicat.* Menoch. 6. *præsumt.* 15. *n.* 7. & prætereà nemo ita resupinus sit, ut facilè suas pecunias jactet. *l. Cum indebito.* 25. *versic. sin verò. D. de probat.* vel donet & sic perdat. *l. Filius-fam.* 7. *pr. D. de Donat.* Præstaret ergò, in hoc negotio de solutione facta deducere conjecturam, quàm de non petendo. II. Chirographum non est de essentia obligationis; sine eo enim potest esse obligatio & institui petitio. *l. contrahitur.* 4. *D. de pignor. & hypothec.* Nihil igitur efficit redditio. Cùm enim actus valeat, licet incidat in eum casum, à quo non poterat esse initium, ut responsum est. *l, In ambiguis.* 85. §. 1. *D. de Regul. Iur.* multo magis valebit, si incidat in eum casum, quo valere potuit ab initio, scilicet sine Chirographo. III. Novatio, quæ est sublatio prioris obligationis *l.* 1. *D. de novat.* nulla est ex conjectura, sed debet expressim hoc agi, ut facta esse dicatur. *l. fin. C. eod.* Novatio verò faciliùs admittenda est, quia veteri alia substituitur. *d. l.* 1. quam pactum de non petendo, per quod debitum amittitur in totum. IV. Per restitutionem pignoris, non tollitur obligatio prior. *l. postquam. D. h.* ergò nec si Chirographum reddatur. Est enim eadem ratio, cum ad munimentum & securitatem utraque species referatur. V. Amisso instrumento non amittitur debitum. *l. cum Instrumentis.* 10. *C. de fide instrument.* Cur ergò reddito?

7. Si plures sint obligati in communi Chirographo, unique ex illis sit id redditum, is, qui recepit, erit liberatus, propter Chirographi receptionem, *d. l. labeo.* 2. §. 1. non cæteri, nisi aliud probari vel conjici possit: quia illis nihil est restitutum. Exitus verò hujus causæ hic erit, ut is, qui tenet, nomine creditoris sui

& in ejus rem quaſi Procurator factus exigere debeat ab aliis debitoribus, ſi talis ſit, qui ad eam rem aptus ſit: qui enim Inſtrumenta litis tenet, tacitum habere mandatum ad exigendum habere conſendus eſt. Alciat. *reg.* 1. *præſumt.* 33. *n.* 4. Ioar. *lit. M. n.* 26. Id verò præſumi ſatius eſt, quàm donationem ac ſuæ rei jactationem ex ratione. *d. l. Cum de indebito.* 25. D. *de probat.* D. *l. Filiusf.* 7. *pr.* D. *de Donat.* Et *l. Semper in.* 34. *in fin.* D. *de Reg. Iuris.* Vid. Duaren. *in d. l. labeo* §. 1. Ratio dub. I. Ex textu *in l. Si is, qui duos.* 29. D. *de liber. leg.* II. Chirographum ſi reddatur, omnis petitio excluditur. *d. l. labeo.* 2. §. 1. *D. h.* Nec *in d. l.* ubi non diſtinguitur, an uni, an omnibus creditoribus ſit reſtitutum Chirographum. Eſt enim Inſtrumentum loco rei eoque donato & tradito ſimul id, quod eo continetur, donatum & traditum eſſe videtur. *l.* 1. *C. de Donat.* *l. Qui debitori.* 15. *C. de ſolut.* Et ita per conſequentiam totum debitum eſt donatum ei, qui inſtrumentum recepit. III. Annon convenientius poſſet diſtingui, inter correos, ſocios ſimileſque. alioſque, quorum cauſa non ita communis eſt: ut ſcilicet illi, qui communem ac eandem habent cauſam ſimul viderentur eſſe liberati. *arg. l.* 1. *C. de diverſ. reſcript.* *l.* Idem *in duobus.* 22. *D. h. junct. l. proced.* & *l. ſi unus.* 27. D. *eod.* & *arg.* D. *l. Si is, qui.* 29. D. *de liberat. legat.*? Vid. DD. *in d. l. labeo*, §. 1.

8. Qui plura habet authentica & originalia Inſtrumenta de eodem debito, & unum eorum reddit debitori ſuo, non videtur renunciaſſe ſuo debito. *arg. l. fin.* D. *de his, quæ in teſtam. debent.* Servat enim Creditor illud, ex quo agere poteſt. Vid. Duaren. *ad d. l. labeo.* 2. §. 1. Ratio dubit. I. Exigitur tantum *d. l. labeo* 2. §. 1. ut Chirographum reſtituatur, nec diſtinguitur, utrùm unum an plura ſint inſtrumenta. II. Inſtrumentum hic eſt pro ſymbolo debiti. *d. l.* 1. *C. de donat.* Symbolo tradito res traditur: nec refert an & alia ſint ſymbola. Si enim plures ſint horrei claves,

utique si una sit tradita, videntur simul esse traditæ merces, quæ sunt in horreo. *l. Clavibus.* 72. D. *de contrah. emt.* Licet sint plura exempla, unum tantùm est instrumentum, & in singulis est totum debitum. *arg. §. pen. Inst. de Testam. ordin. l. unum.* 24. D. *qui testam. fac. poss.* III. Omnes actus aliquid debent operari: Itaque, cum sit nullus usus hujus redditionis alius, quam hic, ne petatur, ad illum finem & cum eo effectu redditio esse facta dicetur. Vid. Bartol. *in d. l. labeo.* 2. §. 1. Jason. *ibid.*

9. Nec per pignoris restitutionem videtur esse remissum ipsum debitum. *l. postquam.* 3. *D. h.* Nec pignoris obligatio perimitur semper; imò in dubio non videtur remissum pignus: quoniam ob aliam causam potest restitui pignus, videlicet ad utendum, servandum, &c. Ubi autem aliqua potest esse præsumtio de alia causa, ibi non potest præsumi pactum de remittendo & per remissionem amittendo jure quæsito. *arg. d. l. Cum de indebito.* 25. *junct. d. l. Filiusfamil.* Vid. Duaren. *in d. l. postquam.* Ratio dubitandi I. Cum legatur pignus, pignoris nexus est solutus. *l.* 1. §. 2. *D. de liber. legat.* Idem ergò Iuris in redditione pignoratæ rei. II. Ob restitutionem cautionis pigneratitiæ pignus solvitur *l. Creditricem.* 7. *C. de remiss. pignor.* Multò magis solvitur pignus, si id ipsum sit redditum.

10. Si Chirographum reperiatur concellatum, pro remissione est præsumtio. *l. si Chirographum.* 24. D. *de probat.* Nec distinguo, utrùm Reus per hoc à se factam solutionem, an donationem aut pactum de non petendo secum initum asserat: utrùm sit debitor, persona domestica, an extranea, utrùm apud debitorem, creditorem, an tertium inveniatur: nisi contrarium possit doceri manifestè *d. l. si Chirographum.* 24. ubi nulla est distinctio, aut ex certis conjecturis. *l. Quod debitori.* 15. *C. de solution.* Ratio dubit. I. Objicere quis posset prioribus. Non est bona consequentia: Instrumentum est cancellatum, ergò debitor solvit, vel

debitori est per donationem remissum debitum: potest enim alio animo esse cancellatum, vel ex errore, quia putabatur esse aliud instrumentum, vel ex malitia debitoris per suam vel interpositam personam, vel aliis ex causis. Fortior autem est conjectura pro errore & causa simili aliqua, quàm vel pro solutione, quæ facti est & probari debet manifestè ex rei ipsius præstatione. *l.* 1. *C. de solut. junct. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig.* quæque desiderat redditionem Chirographi: uti enim obligatio contracta est, ita solvi debet. *arg. l.* 80. *D. de solut. l.* 35. *D. de Reg. Iur.* Vel pro donatione: quia ea non præsumitur, nisi tunc, cum omnes aliæ conjecturæ cessant. Imò licet admitteretur allegatio solutionis, non tamen posset recipi intentio ejus, qui in donatione se fundat, uti & senserunt Bartol. Iason. Costal. *in d. l. labeo.* 2. §. 1. *D. h.* II. Si debitor sit inter domesticos, inter necessarias ac conjuuctas personas, major est præsumtio contra debitorem: siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facilè quidvis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id, quod verè gestum est, aboleri. *l. Data jam pridem.* 27. *C. de donation. arg. l. un.* §. *ille autem.* 11. *C. de latin. libers. toll.*

11. Etiam est tacitum pactum de pignore ex invectis & illatis in prædium urbanum. *l. Item quia.* 4. *D. h. l. Eo jure utimur.* 4. *D. In quib. caus. tac. pign. contrah.* Rat. dub. I. Non est hoc pignus ex tacito pacto: cum pactum sit plurium, & invectio vel illatio ab uno fiat, sed ex sola lege. Cum verò Lex sola introducit tacitas hypothecas, eæ non tàm ex conventione præsumtæ valent, quàm ex lege, hoc modo, ut habeant tantum robur, quantum haberent, si de iis convenisset.

12. Pactum in rem est, quod generaliter est factum. In personam, quod certæ personæ habet rationem. Cùm verò dubitatur, utrum in rem vel personam sit dicendum, potius in rem esse conceptum accipitur. *d. l. Iurisgentium.* 7. §. *Pactorum quædam.* 8. *D. h.* Et ibi DD. Vid.

DD. Vid. Gœdd. *de contrah. & comm. stipul. c. 9. n.* 146. Duaren. *in d. §. Pactorum.* Ratio dubitandi. I. Cum non apparet quid sit actum, sequimur id quod minimum est. *l. in stipulationibus.* 34. *in fin. D. de regul. Iur.* Minus autem est, cum de obligatione contrahenda agitur, si unam habeamus personam nobis obligatam, quam si simul heredes Et, cum de pacto liberatorio quæritur, minus est, certam unamque personam liberasse, quam in totum obligationem remisisse. II. Ipsum pactum non solet egredi suâ naturâ personam. *l. si unus.* 27. *§. Pacta.* 4. *in fin. D. h.* Et obligationes eo pertinent, ut persona certa astringatur. *l. obligation.* 3. *D. de obl. & act.* ut quisque personæ suæ acquirat. *§.* 18. *Inst. de inutil. stipulat.* Convenientius ergò est, ut in personam dicamus conventionem esse factam, quam in rem; Maximè, cum persona in pacto est nominata.

13. Pacta in personam non transeunt ad heredes, vel alios *l. si tibi* 17. *§. si quis.* 3. *l. Idem in duobus.* 25. *§.* 1. *D. h.* Extinguuntur enim personalia cum persona. Rat. dub. I. Ex *l. veteris Iuris.* 13. *C. de contrah. & committ. stipulat.* Ubi omnia pacta sine ulla distinctione, sive in faciendo sive in dando consistant, ad heredem transire dicuntur. II. Personalia cum venditore inita referuntur & ad emtores. *d. l. si tibi. §. Pactum conventum.* 5. Et quæ cum emtore sunt facta, locum habent in venditore. *l. si cum.* 16. *D. h.* III. Ex *l. si usuf.* 4. *D. de novat.* Ubi personale jus in alium transit.

14. Impubes ex conventione, licet ea causam habeat, nisi sit factus locupletior, *l. sed mihi videtur.* 3. *pr. D. Commod. l. ait prætor.* 3. *§. Pupillus.* 4. *D. de negot. gest. l. Si pupilli.* 66. *in fin. D. de solut.* sine tutoris autoritate non obligatur. *pr. Inst. de author. tutor. l. obligari.* 42. *in fin D. de oblig. & Act.* Imò ne quidem naturaliter. *l. Pupillus.* 59. *D. de oblig. & act. l. Quod Pupillus.* 41. *D. de condict. indebit. l. obligari.* 9. *D. de author. tutor l. Cum illud.* 25. *§. heres* 1. *verbis: si petitor ad præsens de-*

bitum retulit, quia nihil ejus debet, nullius momenti est D. quand. dies legat. ced. §. 3. *Inst. quib. mod. tollit. obligat.* Ratio dubitandi. I. Potest fieri delegatio in pupillum. Delegatio autem non subsistit, nisi posterior obligatio aut civiliter aut naturaliter teneat. *l.* 1. §. 1. *in fin. D. de novat.* II. Dicitur pupillus contraxisse naturalem obligationem, quâ solutionem, quæ fieri possit, spectamus. *d. l. Cum illud.* 25. §. 1. Semper autem solutio fieri potest. III. Fidejussor potest intervenire *l. si Pupillus.* 127. *D. de verbor. oblig. l. si pupillus.* 35. *D. de recep. qui arb. recep.* Ubi autem intervenit fidejussor, ibi vel civilis vel naturalis est obligatio. *l.* 1. *D. de fidejussor.* §. 1. *Inst. eod.* IV. Pupillus numeratione ac solutione se liberat à naturali obligatione. *l. si pupillus.* 21. *D. ad l. falcid.* necesse est ergò, fuisse talem obligationem. Privatio enim præsupponit habitum. V. Quod ex obligatione tali est solutum, non repetitur. *l. si ejus pupilli.* 46. *pr. D. ad SC. Trebell.* VI. Planus in hanc rem est textus, *in l. stichum.* 95. §. *naturalis.* 4. *D. de solution. l. fin. D. de Iurejur.* VII. Præstat distinguere inter infantiæ, & pubertati proximum. *arg.* §. *pupillus.* 9. *& seq. Inst. de Inutil. stipulat. l. pupillus. l. pupillum.* 111. *D. de regul. Iur.* VIII. Cum possit pupillus obligari ad pœnam, quæ est odiosa *d. l. pupillum.* 111. *l. Impuberem.* 23. *D. de furt.* modò sit proximus pubertati: cur non ex conventione, quæ nihil odii habet? Imò & delinquit, qui fidem non servat. IX. Perniciosum est pueros, nondum egressos infantiam, addiscere, quòd impunè fidem fallere possint: Ita fiet, ut eorum vitia ac fraudes per ætatem ac consuetudinem vires assumant.

15. Quoties actio ex re est, etiam infantes, & furiosi obligantur *l. Furiosus.* 46. *D. de Oblig. & Act.* licet nec tutores, nec curatores consenserint. *d. l. furiosus.* licet res, ex qua est actio, perierit. *l. sed an ultro.* 10. §. 1. *D. de negot. gest.* Ratio dubit. I. Melius diceretur, res eorum obligari, quam personas: cum ex re ipsa profi-

proficiscatur actio. II. Malè cum res periit, ex ea re dari dicetur actio. Actio enim hæc est jus in corpore: sublato autem corpore, omne jus ejus tollitur. Accidens enim sine subjecto esse non potest. *l. Est enim* 2. *D. de usuf.*

16. Cum consensu omnis conventio constet *l.* 1. §. *conventionis* 3. *D. h.* Constat eum, qui incidit in eam ebrietatem, ut mens in exilium fuerit missa, non posse obligari. Nesciunt quid loquantur, qui nimio vino indulgent: jacent sepulti. *c. Sanè.* 7. *caus.* 15. *quæst.* 1. Quamvis verò is, qui ab annullandum contractum agit ob Ebrietatem, eam ordinariò probare teneatur: tamen in dubio, cum enormis aliqua est læsio, præsumenda ea quoque est. *arg. l. Arrianus.* 47. *D. de Oblig. & action. junct. l. cum de indebito.* 25. *princ. in fin. D. de probation.* Ratio dubitandi. I. Ex hac causa possent committi multæ fraudes. Quilibet enim se ebrium fuisse allegaret, & exinde fallendi fidem optimam haberet occasionem: malitiis autem non est indulgendum. *l. In fundo.* 38. *D. de Rei vindicat.* Præter hæc, ex ebrietate ac improbitate morum quis excusationem vel patrocinium inveniret. Cum non sit iniquum ut ex suis vitiis quisque incommodo afficiatur. *l. nec id iniquum est.* 15. *D. Si quis omiss. caus. test.* II. Præstaret distingui inter ebrietatem & ebriositatem, ut ebrius quidem liberaretur, non ebriosus. Id enim solet observari in delictis. Vid. Gail. 2. *Observat.* 110. *num.* 29. & *sequent.* Arum. *Exercitat.* 12. *Thes.* 8.

17. Minor sive habeat sive non habeat Curatorem, validè ex omni causa obligatur. Nullus enim textus prohibet obligationem: Imò ea permittitur. *l. Puberes.* 101. *D. de Verbor. Obligationib.* Idem ostendunt species restitutionum contra venditionem, donationem, &c. qui locum habere non possent, si venditio & donatio nullius essent momenti. Cum ea, quæ ipso jure non subsistunt, non indigeant

restitutione. *l. in causæ.* 16. *pr.* D. *de minorib.* Constitutum est autem singulariter, quod minor, qui habet Curatorem, non possit celebrare actum, quo res suas alienat. *l. si Curatorem.* 3. *C. de restitut. in integ. minor.* Ex quo non negatur, sed tacitè conceditur, ut idem alios contractus celebrare queat. *l. sciendum est.* 20. D. *de Rit. nupt.* Ratio dubitandi. I. Minor non potest sua negotia tueri *pr. Inst. de Curator.* Non debet minori administratio committi. *l.* 1. *in fin.* D. *de minorib.* II. Is, qui sub curatore est, assimilatur prodigo. *d. l. si curatorem.* 3. Prodigus verò non potest contrahere. *l. Is, cui bonis.* 6. D. *de verbor. obligat.* III. Minor nihil potest jure agere. *l. fin.* §. 2. *C. de sentent. pass. & restitut.* Vid. Donell. *in d. l. puberes.* 101. D. *de verb. Obligat.* D. Marc. à Lyclem. 7. *Membran.* 15.

18. Is, cui bonis est interdictum, stipulando sibi acquirit: tradere verò non potest vel promittendo obligari. *d. l. Is, cui bonis.* 6. D. *de verb. oblig.* Ratio dubit. I. Absurdum est, prodigum alium sibi obligari: par enim debet esse contrahentium conditio, & iniquum est, ut illi sit actio mecum, si velit, & mihi non sit actio, si nolit. *l. præterea.* 3. §. *fin.* D. *mandat.* *l. Quid tamen.* 21. §. *pen. in fin.* D. *de recept. qui arbit. recep.* II. Absurdum est, ut prodigus ex suis malis moribus beneficium consequatur. *l. nec hoc.* 15. D. *si quis omissa. caus. testam. l. auxilium.* 37. *in fin.* D. *de minorib.* Magnum autem est beneficium, ut si commodo sit ipsi, valeat obligatio, si incommodo sit non valeat. III. Prodigus assimilatur furioso. *l. Furiosi.* 41. D. *Reg. Iur.* Furiosus autem nullum negotium gerit nec in suum commodum, nec in incommodum. *l. in negotiis.* 5. D. *eod. l.* 1. §. *Furiosum.* 12. D. *de obligat. & actionib.*

19. Prodigus, ne quidem naturalem obligationem promittendo contrahit: quia in sese obligando est instar Furiosi & Furiosum, quod ad bona pertinet, facit vel præsumitur facere exitum, nullamque habet volun-

voluntatem. *l.* 1. D. *de Cur. at. furios. l. His, qui in ea.* 12. §. *fin. in fin.* D. *de tutor. & Curat. dat.* Furiosus vero, quia & ipsi omnis voluntas deest. *d. l. Furiosi.* 40. naturaliter non obligatur. Accedit, quòd, uti non ad Furiosi obligationem, ita nec ad prodigi accedat fidejussor. *d. l. Is, cui bonis.* 6. D. *de verbor. oblig.* Ubi verò est naturalis obligatio, ibi & fidejussor accedere potest. §. 1. *Inst. de Fidejussorib.* Ratio dubitandi. I. Interdictio bonorum est juris Civilis: Fit enim lege 12. tabb. *l.* 1. D. *de Curat. furis.* Non ergò potest tolli per eam omne id, quod juris naturalis, & ex æquitate est: obligatio verò naturalis ex sola æquitate & consensu valet. *l. stichum.* 95. §. 4. D. *de solit.* II. Certum est, quod & prodigi aliquando sint docti & rerum intelligentes, quos non obligari naturaliter defendi nequit. III. Datur & ad obligationem prodigi fidejussor. *l. Marcellus.* 25. D. *de fidejussorib.* Ergò & naturaliter est obligatus. *d.* §. 1. *Inst. eod.*

20. Alteri nemo pacisci vel obligationis jus parare potest. Quisque enim de eo, quod sua interest, sollicitus esse debet: Et ad hoc sunt inventæ conventiones, ut per eas unusquisque acquirat, quod sibi velit acquisitum. *l Fidejussoris.* 23. D. *h. l. stipulatio.* 38. §. *Alteri.* 17. D. *de Verb. Oblig.* §. *Alteri.* 19. *Inst. de inutilib. stipulat.* Rat. dubitandi. I. Rectè paciscitur Filius patri, servus domino, *l. si tibi* 17. §. *fin. ll. seqq.* D. *h.* Tutor pupillo. Curator prodigo. *l. Contra.* 28. *pr.* 11. §. 1. D. *h.* Avus nepti *l. Avus.* 33. D. *h.* Fidejussori reus *l. Et heredi* 21. §. *fin. In fin.* D. *h.* Fidejussor Reo. *l. sed si fidejussor.* 24. *& seqq.* D. *h.* Addi possunt casus ex *l. Publia Mævia.* 26. D. *deposit. l. Quotiens.* 3. C. *de. donation. sub modo. l. pen.* C. *Ad Exhibend.* II. Ratio ipsa obstat, quandoquidem omnibus modis alterius conditionem permissum est facere meliorem. *l. solvendo.* 39. D. *de negot. gest.* Interest hominis beneficio affici hominem

l. servus ea lege. 7. D. *de servis exportand.* Societatem enim & quandam cognationem inter omnes homines natura constituit. *l. Vt vim.* 3. D. *de Iustit. & Iur.*

21. Qui sibi & alteri quid est pactus vel stipulatus, actum ratione alterius gerit inanem. *l. si Tibi.* 17. §. *si Pactus.* 4. D. *h.* Ita quidem, ut non augeatur pars paciscentis vel stipulantis *l. si mihi & Titio.* 110. *D. de verbor. Obligat.* Ratio dubitandi. I. Singulis vel saltem stipulanti totum acquiretur. *l. si quis.* 79. *D. de legat.* 1. *l. Fundus.* 64. D. *Commune. prædior.*

22. Pactum de non petendo, uni ex heredibus factum, valet, licet sint plures heredes. *l. Avus.* 33. D. *h. l. Avus.* 10. *D. de pact. dotalib.* Ratio dubitandi. I. Atqui non licet alteri stipulari. Thes. 20. suprà. II. Distingui oportet inter quid dari & quid fieri: In eo, quod fieri oportet; procedit Thesis. non in eo, quod dari debet. Id enim ad omnes ex æquo pertinebit heredes, non ad unum. *l. continuus.* 137. §. *fin. D. de verb. Oblig.* III. Imò heredis persona supervacua est si enim unus sit heres, in solidum ad ipsum pertinebit pactum: si pro parte, eodem modo pactum valebit in ipso, quo in cæteris heredibus. *l. Eum, qui.* 56. §. 1. *D. de verb. obl.* IV. Ex lege 12. tabb. omnes obligationes tam activæ quam passivæ pro portione hereditaria, etiam invito eo, ex cujus persona originem habent, oportet transire. *l.* 1. *C. si cert. petat. l. pro hereditariis.* 2. *C. de hereditar. action.* Id enim, quod ex legibus descendit, ex pacto privatorum non potest immutari. *l. Quod bonis.* 15. §. 1. *D. ad l. falcid.* Cum pacta contra leges inita non servaturum se Prætor edicat. *l. Iurisgent.* 7. §. *ait prætor.* 7. D. *h.* Nec hic omittendum, quod hoc pactum suo modo sit de hereditate vel successione: quod nullius est momenti, ex responso JCti. *in. l. fin. D. de suis & legitim. hered.*

22. Nemo

22. Nemo suo pacto alterius conditionem potest facere deteriorem. *l. Contra.* 28. D. *h. l. solvendo.* 39. *in fin.* D. *de negot. gest.* Beneficio afficere alterum, est est humanum, Lædere verò præcepta juris non admittunt. Rat. dub. I. Cur ergò concessum, quòd Creditores suo pacto, quo remittunt, aliis possint facere præjudicium, ut alii eorum exemplum sequi cogantur. *l. Rescriptum.* 10. *pr.* D. *h?* II. Cur licet reo, secundo suo pacto nocere fidejussori, qui ex priori pacto erat liberatus. *l. si unus.* 27. §. *Eadem ratione.* 2. D. *h?*

23. Si Pater, qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suam filia in matrimonio sine liberis defuncta, portio dotis apud fratrem heredem remaneret, ea conventio liberis posteà susceptis & heredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit: Nam inter contrahentes id actum est, ut heredibus consulatur, & illo tempore, quo pater filios non habebat, in fratrem suum judicium supremum contulisse videtur. *l. Tale pactum.* 40. §. *fin.* D. *h.* Ratio dubit. I. Pactum de una persona ad aliam non trahitur. *l. si unus.* 27. §. *Ante omnia.* 4. D. *h.* Et, quemadmodum casus non expressus in ullimis voluntatibus habetur pro omisso, nec potest suppleri per interpretationem, ita nec casus *in l. Tale.* 40. §. *fin.* cum ibi expresse de fratre, non liberis sit actum. II. Pater filiæ & sic liberis non potest prodesse. *l. Cum dos. versic. si verò filia sola.* D. *de pact. dotalib.* III. Pactum, ut dos restituatur liberis non existentibus hanc habet efficaciam, ut, si liberi supersint, dos debeat retineri. *l. Inter.* 26. §. *cum inter.* 2. D. *eod.* Unde sequitur, quod eo casu, qui est *in d. l. Tale.* 40. §. *fin.* dos remanere debeat apud maritum, & non reddi heredibus soceri. Vel posset pactum, cujus forma est proposita in *d. l. Tale.* 40. §. *fin.* accipi secundum præceptum. *d.* §. *Cum inter* 2. quod, cum convenisset, ut fratris portio dotis restitueretur, si heres esse futurus, videatur actum, ut, si

non

non esset futurus heres, Dotis portio, de qua convenerat, à marito retineretur. Id autem directò pugnat cum *d. §. fin.* IV. Imò matris pactum de dote restituenda liberis, non potest liberis prodesse, nisi ipsimet sint stipulati. *l. pactum dotale.* 4. *C. de pact. convent. tam super dote q. don.*

24. Pactum ab uno ex correis promittendi, aut sociis in rem factum prodest alteri. *l. Idemque in duobus.* 25. *pr. D. h.* Interest enim paciscentis etiam correum aut socium liberari: quia si is solveret, societatis judicio posset id ei reputare. Cujac. *in l. si duo.* 10. *D. de duob. rei promitt.* Multaque singularia dat commune causæ jus ac continentia. *arg. l. nulli.* 10. *C. de Iudic. l.* 2. *C. de consort. lit. l.* 1. *C. de divers. rescript. l.* 1. 2. *C. si un. ex plur. appell.* Præcipuè in liberatione. circa quam leges favorabiliores sunt. *l. Arrianus* 47. *D. de Verbor. Obligat.* Costal. *in l. si unus.* 27. *D. h. & ibi* Bus. Ratio dubitandi. I. Utique responsum est, hoc jus competere sociis qui simul sunt correi, non iis, qui Correi sunt simpliciter *d. l. Idemque in duobus. verb. sociis.* Nam si sint Correi, non socii, non videtur inter eos esse communis causa, *d. l. Si duo rei.* 10. *D. de duob. reis.* II. Pactum unius ex Correis credendi non potest referri ad alium *d. l. Si unus.* 27. *princ. D. h.* Ergò nec debendi: quia sunt correlata, quorum est idem jus. *l. in fin. C. de indict. Viduit. toll* III. Non est præsumenda remissio debiti: quia suum nemo jactat. *d. l. cum de indebito* 25. *pr. D. de probat.* Nam licet uni ex debitoribus pluribus sit redditum Chirographum, quo pariter erant obligati, tamen non videtur alii, quam ei, qui recepit, esse remissum debitum. uti ex Thes. 7. supra apparet. Constituendum ergò potiùs, illi, cui factum est pactum, pro sua parte esse remissum debitum; & magis, quia hodiè singuli non ita debent solidum sed portiones viriles, cum detur iis beneficium Divisionis. *Nov.* 99. *c.* 1.

25. Unus ex Correis credendi, sive stipulandi pacto suo alteri non nocet, *d. l. Si unus.* 27. *pr.* D. *h.* ubi Costal. Bus. Nam unusquisque socius suæ partis tantum habet alienationem. *l. Si socius.* 16. D. *de reb. cred.* licet etiam sit Societas universorum bonorum contracta. *l. nemo.* 68. D. *pro soc.* Et nihil in communi facere potest in alterius socii præjudicium. *l. Sabinus.* 28. D. *Comm. divid.* Imò cogitur tollere, si quid fecerit ad alterius læsionem. *d. l. Sabinus.* 28. Rat. dubit. Potest unus rectè recipere à debitore solutionem & sic liberare: potest totam rem in judicium deducere, novare. *d. l. si rem aliquam.* 31. §. 1. D. *de novationib. & delegation.* II. Potest acceptum facere totum debitum unius correus. *d. l. si rem aliquem.* 31. §. 1. *l. Et per jusjurandum.* 13. §. *fin.* D. *acceptilat.* ergò & remittere pacto. III. Unus potest compromittere: & sententia lata in uno, alteri nocet. *l. Si duo.* 34. D. *de recept. arbitr. q. arbitr. recep.* IV. Nocet etiam reliquis correis stipulandi sociis, Debitoris, qui non comparuit, exceptio & excusatio contra cautionem Iudicio sistendi causâ factam, quæ competit ob unius ex sociis impedimentum. *l. si duo rei.* 5. D. *si quis caution. jud. sist. caus. fact.*

EXER-

EXERCITIUM XV.

Resp. JOANNE CHRISTOPHORO HASWEDELIO, Hamburgensi.

Ex tit. D. & C. De Pactis.

THESIS PRIMA.

PActum de re qualibet potest fieri, publicâ & privatâ. Verum de publica re tantum possunt paeisci illi, quorum cura ejus est demandata. Ita dicitur, Ius publicum privatorum pactionibus non mutari, *l. Ius publicum*. 37. *D. h. l.* 1. *D. de magistrat. conven. add. l. Pacta*. 6. *C. l. Contra* 28. *D. h.* Vid. Cujac. & Hotomann. *in d. l. Ius publicum*. 38. Ratio dubit. I. Licet mulieri privatæ renunciare SCto Vellejano, *l. fin. §. pen. D. l. si mulier*. 22. & *seq. C. ad SC. Vellejan.* Senatusconsultum autem hoc, est jus publicum: cum ratione authoritatis. *l. non ambigitur*. 9. *D. de legib.* tum respectu causæ, ob quam latum est. *l.* 1. 2. *D. ad SC. Vellejan.* II. Licet pacisci privatis contra edictum Ædilium. *l. pacisci*. 31. *D. h.* Jus verò ædilitium est Ius publicum. III. Licet pacisci de crimine capitali. *l. Transigere*. 18. *C. de Transact.* Vindicta autem Criminis publici ad Rempublicam pertinet. *t. t. D. & Inst. de public. Indic.* Publicè enim interest delicta non esse impunita. *l. Ita vulneratus*. 51. §. *æstimatio*. 2. *vers. tum neque impunita*. D. *ad l. aquil.*

2. De re turpi, ita, ut quæ turpitudo committatur, vel, ut quid ob turpitudinem detur aut fiat, inutilis est pactio. *l. Iurisg.* 7. §. *ait prætor*. 7. *D. h. l. Generaliter*. 26. *D. de Verbor. Oblig.* Est enim quod turpe, impossibile jure, & impossibilium nulla est obligatio. *l. Impossibilium*. 185. *D. de reg. Iur.* Ratio dub. Licet pacisci, ne depositi agatur *l. Si unus*. 27. §. 3. *D. h.* Actio autem depositi in se habet vindicationem doli:

Ex

Ex quo deducitur, quod liceat pacisci, ut dolus impunè committatur. II. Repellitur exceptione doli, qui id exigit, quod ex turpi causa erat promissum *l. pen. D. de Cond. ob turp. causam. l. Titia* 134. *pr. D. de Verb. Oblig.* Si exceptione opus sit, indicio id est actionem ipso jure valuisse, *pr. Inst. de Exception.* III. Licet pacisci de furto. *d. l. Iurisgentium.* 7. §. *si paciscar.* 14. *in fin. D. h.*

3. Princeps etiam tenetur servare suum contractum quem privatum in suum usum cnm privato iniit. In contractu enim spectatur privata principis persona in iis, quæ privatam principis personam spectant, pro privato est reputandus. Pacta sunt ex jure gentium, ut & fidem servare naturali rationi est convenientissimum. *l.* 1. *D. h. l.* 1. *D. de constit. pecun.* Et nihil iniquius, quam ut inde sit injuriæ occasio, unde jura promanere debent. *l. Meminerint.* 6. *C. und. vi.* nec est permittendum, ut per authoritatem principis quis circumveniatur *l.* 1. *C. d. h. qui veniam ætat. impet.* Denique in iis, quæ ad justitiam commutativam pertinent, non habetur ratio personæ qualitatis, sed tantum æqualitatis in rebus, Wesemb. *in parat. D. de Iust. & Iur. n.* 13. 1. Uti Fiscus privatorum jure utitur in contractibus & similibus, quæ privati juris sunt. *l. Cum Fisco.* 9. *D. Ad SC. Syllan. l. In facto.* 60. §. 1. *D. de Condit. & demonst. l. Dicitur.* 14. *D. de Iur. Fisc.* ita & Princeps, cui jus fisci est. Solent enim Principis & Fisci privilegia conferri. *arg. l. fiscus* 6. §. 1. *D. de Iur. Fisc.* Vid. Gail. 2. *Observ.* 55. *n.* 7. & *DD. ibi allegatos.* Ratio dubit. I. Princeps est legibus solutus *l. Princeps* 31. *D. de legib.* De Principis potestate disputare, est sacrilegium. *l. Sacrilegium. C. de cim. Sacrileg.* II. Deus ipse per Samuelem officium Regis describent. 1. *Samuel.* 8. Et Regi plenissimam esse vult potestatem in personas & bona subditorum. *vers.* 11. & *seqq.* adeoque nihil est, quod non sit Principis: impunè itaque à contractu cum privatis inito recedet, tanquam

de

de ſuis rebus diſponat. Vid. Iaſon. *in l. Reſcripta.* 7. *C. de prec. Imp. offer.*

4. Fœdus cum infideli populo eſſe poteſt. Non, ut ſuppetias ferat: hanc ob cauſam Aſa Rex à propheta reprehenſus graviter. 2. *Chronicor.* 16. Vel ei ſuppetiæ ferantur: hinc reprehenſus ab eodem Rex Ioſaphat. 2. *Chronicor.* 19. Maximè, ſi contra fidelem ſit bellum movendum. *can. Iulianus.* 94. *Cauſ.* 11. *quæſt.* 3. Verum ita poteſt fieri, ne infidelis ſit hoſtis vel cum hoſte faciat, & ne infideli noceatur. Ioſuæ. 9. *verſic.* & *ſeqq.* Tale fœdus fuit initum inter Abimelechum & Abrahamum Patriarcham. *Gen.* 21. *verſ.* 23. & Iſaacum. *Gen.* 26. *v.* 28. Summa eſt. valet fœdus de non Lædendo & commerciis, ſed non de amica ſocietate belli & defenſionum. Ratio dubit. I. Quæ ad confirmanda priora ſunt allegata, ſunt tantum exempla; Et, ſi exempla hic valeant, Illuſtre eſt in Davide, cui non tantum cum Acheſio Philiſtæo, hoſte publico patriæ, homine infideli, fœdus fuit, ne ſibi nocerent invicem, ſed & ad opprimendos fideles. 1. *Samuel. c.* 27. 28. & 29. II. Nullum omnino fœdus, nulla communio eſſe poteſt inter fideles & infideles. *Exod.* 24. *verſ. pen.* & *ult. Deuteronom.* 7. *verſic.* 2. & *ſeqq.* Quæ communio eſt luci cum tenebris, ea Chriſtianis cum infidelibus.

5. Victus victori, qui hoſtis fuit ex juſta cauſa, tenetur pacta ſervare. Vis enim, quæ ab hoſte ex juſto bello infertur, non tam violentia, quam defenſio vel injuriæ propulſatio aut vindicatio jure licita dicenda eſt. *l. ut vim.* 3. D. *de Iuſtit.* & *Iur. l. Scientiam.* 45. §. *Qui cum aliter.* 4. D. *ad l. Aquil. l.* 1. §. 3. *D. de dol. mal. l.* 1. *C. Vnd. vi.* Maximè, ſi Iuramentum intervenerit. Verum, ſi ad deprædandum quis bellum moverit, non ei, ſi victor evaſerit, magis eſt fides ſervanda, quam latroni tenetur privatus, cui per vim cautio extorta eſt de aliquo præſtando *l. Iuriſgent.* 7. §. *Ait prætor.* 7. *D. h. t.* 1. *D. de eo quod met. cauſa. l. nihil.* 116. *D. de Regul. Iur.*

Ratio

Ratio dubit. I. Omne bellum habet violentiam, ergo nunquam victus tenetur ex suis pactis: ubi enim vis est ibi pacta non valent. *d.l. nihil.* Licet enim causam aliquando possit habere justam bellum, tamen certissimum est, quod per vim pacis conditiones victor à victo extorqueat, sæpè iniquas. Nec enim quid victor possit, sed quod debeat spectandum est. Satius itaque esset, ut victor, cum causa ei justa fuit bellum movendi, consequatur quod sibi abest, & omnes sumtus cautionemque, per quam victor sit securus de simili non committendo. *arg. l. Harum actionum.* 7. *D. si servit. vindic.* Nec, si offensa aliqua levior fuit, exui imperio debet victus. II. Semper in hac re standum est promissis, propter textum in *Psalm.* 15. *versic.* 4. *in fin.* Ita quoque Iosua, deceptus à Gibeonitis, servavit fidem. *Ios.* 9. Sanè nullum decorum servari debet, si fides publica violetur in bello. Ambros. 1. *de offic.* 29. III. Etiam est latronibus fides servanda *l. nam & Servius.* 21. *pr. D. de negot. gest. l.* 1. §. *Si prædo.* 39. D *Deposit. l, Ita, ut etsi.* 16, D. *Commod.*

6. Etiam tenetur Princeps ex contractu sui Prædecessoris: sive sit ex causa patrimonii privati, cujus est heres, tunc enim ut heres obligatus est. *l. Cum à matre.* 24. *C. de Rei vindicat.* sive ex causa Imperii licet non sit hæres: modò Imperium vel respublica ex eo contractu commodum perceperit. Vide Bodin. 1. *de Republ.* 9. Ratio dubitandi. Immò non tenetur ea servare, quæ sunt ratione Imperii acta. I. Quia Imperium cum morte extinguitur: Imperia enim sunt Iura personalia. Ut usufructuarius contrahere ultra mortem suam non potest, quia hoc jus finitur morte. §. *finitur.* 3. *Inst. de Vsufruct.* ita Princeps non potest extendere ultra suam mortem contractum de rebus Imperii. II. Quia potest successor leges prioris Principis tollere. *l. fin. D. de Constitut. Princip.* Unde & poterit tollere contractus priores de rebus & negotiis Imperii. Plus enim est legem immutare, quæ est jus to-

tius populi, quam contractum, qui unius vel alterius privati est. Nec enim ferendum est, ut prior Princeps secururo det legem. III. Videri posset convenientius esse distingui inter hereditarium imperium & non hereditarium.

7. Non valet pactum Advocati cum Cliente de quota litis dum ea pendet, ne Cliens pacisci ex necessitate cogatur pro arbitrio Advocati, & Advocatus fraudibus pravis utatur. Id verò pactum inutile est, ex quo cliens grave damnum est passurus. *l. Si quis Advocatorum.* 5. *C. de postuland. l. Sumtur.* 53. *D. h.* Ita quoque redimere non licet litem. *l. Litem.* 15. *C. de Procurator.* Vel litis incertum. *l. Si contra.* 20. *C mandat.* ubi Donell. Non tamen prohibitum est Honorarium stipulari. *l. Si remunerandi.* 6. *& l. Solarium. seq. D. Mandat.* vel Palmarium, sive præmium, quod victoriæ causâ datur. *d. l.* 1. *§. si cui cautum.* 12. *in fin. D. de var. & extraord. cognit.* vel conventionem facere de minima aliqua quota litis; in qua non est amplius, quam in Salario. Vide Bus. *in l. si unus.* 27. *§. Pacta, quæ.* 4. *D. h.* post Neviz. Cessat enim in minima quòta ratio prohibitionis. Rat. dubitandi. I. Nullum potest Advocatus celebrare contractum cum litigante. *l. Quisquis.* 6. *§. Præterea.* 2. *D. de postuland.* II. Non licet pacisci de dimidia, *d. l. sumtus §.* 5. *D. h.* ergò de minori parte, licet & sit gravis jactura, permissum est, contra *d. si quis advocat.* 5. *C. de postuland.* III. Iustitia non curat quantitatem sed qualitatem *arg. §. Gallin.* 16. *Inst. de rer. divis.* & ibi D D. Ergo non est distinguendum inter magnã & parvam litis quotam. IV. Hoc pactum si non admittatur, sæpè pauperiores non invenient Advocatum. Advocati enim malunt gratis & ad dandum paratis inservire quam gratis. Nec ipsis officium debet esse damnosum. *l. Sed si quis.* 7 .*D. Test. quemadm. aper.* V. Absurdum esset, ut, si non obtineret Cliens, Advocatus oleum & operam perderet, si obtineret, nihil amplius

plius consequeretur, quàm precium laboris; Pro periculo autem causæ quid stipulari vel pacisci concessum est, *l. periculi.* 5. *D. de fœnor. nautic.* ac nemo suo periculo alterius causam reddere tenetur meliorem.

8. In pacto Medici cum ægro, cum dolet, celebrato examinari oportet quantitatem Salarii: Et si ea nimia sit, hactenus id pactum improbatur: quandoquidem nummos in infinitum Medicus posset extorquere, quod boni mores non patiuntur. Debet enim. in pactis servari æqualitas. Facit huc textus *in d. l. Si unus.* 27. §. *pactu. quæ.* 4. *d. l. Iurisgent.* 7. §. *Generaliter.* 16. D. *h.* Vide Pinell. *in l. Rem majoris.* 2. *pact.* 3. *c.* 2. *n.* 33. *C. de Rescindend. Vendit.* Ratio dubitandi. I. Eximius Medicorum labor & ats sive singularis scientia excedit omnem mercedem & remuuerationem, & quod contemplatione vitæ, sanitatis prosperæque valetudinis confertur non admittit modum quo æstimatio fieri possit. *arg. l. si pater.* 34. §. 1. *D. de donat. l.* 1. §. *Medicorum.* 1. *D. de var. & extraord. cognit.* II. Nusquam lege est prohibitum hoc pactum, ergò licitum. Quilibet enim, ut moderator rerum suarum liberrimus. *l. In re mandata.* 21. *C. Mandat.* ita disponere & pacisci de suo est permissum. III. Satius est distinguere, 1. utrum Medicus non voluerit medicinam adhibere, nisi conventum esset de Curationis precio, an conventionem urserit æger vel amici ejus: ut hoc casu valeat pactum non illo. 2. utrùm morbus fuerit gravis aut qui putatur incurabilis, an levior: ut, si gravior fuerit, admittatur pactum: si levior, non valeat. Vid. Bald. *in l.* 13. *n.* 15. *C. de Transact.* Iason. *in* §. *Quadrupli. Inst. de Actionib. n.* 7.

9. Pactum de hereditate acquirenda est inutile: licet & Instrumentum eà de re fuerit conscriptum. *l. hereditas.* 5. C. *de pact. convent. tam sup. dot. l. Ex eo instrumento.* 4. C. *de inutilit. stipulat. l. si majores.* 13. *l. Cum donationis.* 34. *versic. Nec ad implendum. C. de transact. l. stipulatio.* 61. D. *de Verbor. Obligat.* Impro-

bum eſt, de alterius, qui vivit, hereditate eſſe ſollicitum. *l. Moribus.* 2. *§. Interdum.* 2. *D. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.* cum hoc pactum vix fieri poſſit ſine improbabili voto mortis alienæ captandæ. *l. fin. C. h. l. De fideicommiſſo.* 11. *C. de Tranſact.* Nec leges alium admiſerunt deferendi hereditatem modum, quam ex teſtamento & ab inteſtato. Ratio dubit. I. Ex *l. Ea verò.* 3. *§. De illo.* 2. *D. pro ſoc.* II. Ex *d. l. fin. C. h.* III. Omnia bona poſſunt donari inter vivos. *arg. l. ſi quis argentum.* 35. *§. ſed & ſi quis univerſitatis.* 4. *C. de donationibus.* 4. *l. ſi unquam.* 8. *C. de Retrocard. donat. l. Omnes.* 17. *§.* 1. *D. Quæ in fraud. credit. l. ſi totas.* 5. *C. de Inoffìcioſ. donat.* Etiam futura. *l. In ædibus.* 9. *§.* 1. *D. l. Spem.* 3. *C. de Donat. l. ſi rerum* 2. *C. de donat. quæ ſub mod.* Ex eo infallibiliter ſequitur, etiam hereditatem transferri poſſe actu inter vivos.

10. Pactum reciprocum de invicem ſuccedendo poſt obitum, nullas habet vires, quia ea ratione diceretur utrinque dari hereditas, quod fieri non poſſe oſtenſum eſt proximâ Theſi. Ratio dubit. I. Ex *l. licet.* 19. *C. h.* II. Reciprocatio hujus pacti excludit omnem ſiniſtram ſuſpicionem propter conſenſum, *arg. l. fin. in fin. C. h.* III. Mutua illa conventio, ut loquitur Gail. 2. *Obſerv.* 126. *n.* c. non eſt verum pactum futuræ ſucceſſionis, quia bona non promittuntur ut futura ſucceſſio, ſed eſt obligatio conditionalis, ſi alteruter ſine liberis præmoriatur: hæc autem obligatio, eveniente conditione, ad tempus conventionis retrotrahitur & ſic ex tempore & actu inter vivos, non ex die mortis æſtimatur. Allegat Gail. *d. loc. l. Neceſſariò.* 8. *verſ. Quod ſi pendente. D. de peric. & comm. rei vend. &* Gloſſ. *ibid. in verb. præteritum. l. potior.* 11. *§.* 1. *D. Qui potior. in pign. hab. l. un. C. ut act. ab hered. & contr. hered. incip.* Quæ ita ſunt accipienda, ut ſtatim debeantur bona, ſed exactio differatur ad tempus mortis. Uti quoque fit in donatione mortis causâ, quæ valida eſt ſtatim, ſed poſt mortem exigitur. IV. Va-

lent utique & jure donationes reciprocæ inter conjuges. *l. Quod autem.* 7. §. *si vir & uxor.* 2. D. *de donat. int. vir. & uxor.* cum aliàs donatio inter conjuges facta non subsistat. *l.* 1. 2. 3. D. *eod.* Undè & hæc pacta sustinebuntur, si sint reciproca. V. Ex pacto potest maritus post obitum uxoris retinere dotem *l. Inter* 26. §. *Cum inter* 2. D. *de pact. dotal.* Dos autem est patrimonium uxoris *l. Denique* 3. §. *Ergò.* 5. *in fin.* D. *de Minor.* & hereditas, quam relinquit. *l. in eum.* 16. D. *de religios.*

11. Qui de hereditate servanda sibi paciscitur, nihil agit. *l. pactum.* 15. C. *h. l pactum.* 3. C. *de Collat. d. l. Ex eo.* 4. C. *de inutil. stipulat. l. cùm duobus.* 52. §. *Papinianus.* 6. D. *pro soc.* Vide Bolognet. *in l. fin. C. h.* Rat. dub. I. Ex *l. fin. C. de Emancip. liberor. l. si ab eo* 11. C. *de legit. heredib.* §. *fin. Inst. de legit. agnator. success.* II. Ex *l. non aliter.* 18. D. *de adopt.* §. *Cùm autem impubes.* 3. *Institut. eod.* III. Ex *l. fin. C. h.* IV. Ex *l. si quis servum.* 23. D. *de action. Emt.* Vide Sichard. *ad Authent. non licet. n.* 18. C. *de liber. prætor.* Gœdd. *de contrah. stipulat. c.* 6. *concl.* 7. *n.* 88. Bartol. *in l. f. C. h.*

12. Si quisquam, tanquam heres futurus, rem singularem vel partem hereditatis hominis vivi donaverit, ei actiones hereditariæ negantur, & omnia, quæ alias posset consequi, fisco cedunt. *l. aufertur.* 2. §. *f.* D. *de h. q. ut indign. l. domin.* 29. §. *fin. & l. seq.* D. *de donat.* Ratio dubit. I. Res aliena potest sine pœna vendi. *l. Rem. alienam.* 28. D. *de contrah. Emt. l. si alienum.* 13. *l. Qui alienam.* 33, D. *donat. mort. caus.* ergò & ejus, cujus hereditatem quis sperat. II. Futuræ res rectè donantur, uti suprà probatum est.

13. Statuo, etiam pactum esse inutile, si de successione in re singulari agatur: ut E. G. promitto tibi, ut domus mea jure successionis ad te pertinere debeat. Successionum enim jura non ex pactis, sed ex publico jure dependent *l. fin.* D. *de suis & legitim heredib. l. hereditas.* 5. C. *de pactis convent.* Vide Hartmann. Pistor.

lib. 4. quæst. 2. n. 6. Ratio dubit. I. Omnes leges, quæ pronunciant pactum de successione esse inutile, loquuntur de hereditate, non de re singulari, *dd. ll. & l. morbus 1. §. Interdum. in fin. D. de vulgar. & pupillar. substit. l. pactum. 15. C. h.* Nec etiam in re singulari vera est successio *arg. §. Legatariis. 11. Inst. de Testam. ordin.* II. Non impeditur ex re singulari libertas testamenti condendi, quæ in hac causa præcipuè attenditur. *d. l. pactum dotali. 15. C. h.* Vid. Tesaur. *decis. 225. n. 11.* Gail. 2. *Observat. 126. n. 8. 9.* Hondedæ *Consultat. 40. n. 33. & seqq.*

14. Pactum, quo fit renunciatio hereditatis, vivi, nullas habet vires. *l. Qui superstitis 94. D. de acquir. vel omitt. heredit. l. pactum dotali. 3. C. de collat. l. si quando. 35. §. 1. C. de inoffic. testam. l. fin. D. de suis & legit. heredib.* Ratio dubitandi. I. Cuilibet licet favori pro se introducto renunciare. *l. pen. C. h.* II. Omnes rationes, quæ prohibent pactiones de futura successione, in hac pacti specie cessant. Non enim impeditur testamenti factio, de qua *in d. l. pactum dotali. 15. C. h.* Et non improbe agit, nec votum captandæ mortis habet, de qua ratione tractatur *in l. fin. C. h.* is, qui hereditatem omittit eique renunciat. III. Potest quis se scribere exheredem in testamento patris. *l. §. Non putavit. 8. §. si quis sua. 6. D. de bonor. possess. contr. tabb.*

15. Idem quoque asserendum est, etsi renuncians aliquid acceperit pro renunciatione. *d. l. pactum dotali. 3. C. de Collat. d. l. si quando. 35. §. 1. C. de Inoffic. testam.* ubi Papinianus: Meritis magis filios ad Paterna obsequia provocandos, quam pactionibus astringendos. *add. d. l. fin. D. de suis & legit. hered.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. 1. §. si parens. 3. D. si à parent. quis manum. fuer.* II. Qui accepit pecuniam pro renunciatione SCti Vellejani, non potest pòst eo uti: *l. Antiquæ. 23. C. Ad SC. Vellejan.* III. Iniquum est, ut is, cui satisfactum est, contra suum pactum veniat. *l. 1. D. de const. pecun.*

16. Pa-

16. Pactum autem Iuratum, quo hereditati paternæ renunciavit filia, quæ accepit dotem, valebit: si dolus & metus abfuerint *c. Quamvis.* 1. *de pact. in* 6. & ibi Canonistæ. *Psalm.* 15. *circa fin.* Vid. Hartmann. Pistor. *lib.* 4. *quæst.* 6. Gail. 2. *Observat.* 42. *n.* 9. Fachin. 8. *Controv.* 71. Ratio dubit. I. Ea, quæ fiunt lege prohibente vel annullante, sic sunt nulla, ut ne quidem Iuramento possint confirmari. Omnia enim quæ subsecuta sunt, non valent. *l. Non dubium.* 5. *in fin.* C. *de legib. l. Iurisgent.* 7. *§. Et generaliter.* 16. D. *h.* Non enim possunt Iuramenta esse iniquitatis vincula *c. cum contingat.* 28. *x. de Iurejurand.* II. Præceptis legum contrariatur hoc pactum *d. l. Qui superstitis* 94. *d. l. pactum dotali.* 3. Ergò nullius est efficaciæ. *arg. d. l. Iurisgentium.* 7. *§. Ait Prætor.* 7. D. *h.*

17. Non tantum in filia, quæ dote sua contenta renunciavit hereditati paternæ juratò, valet *d. c. Quamvis.* 2. *de pact. in* 6. sed & in filio: ubi enim eadem ratio militat, ibi servandum est idem Ius. Non minus à filio Iuramentum est servandum quam à filia. Ratio dubitandi. I. Tantùm loquitur. *d. cap. quamvis,* de filia: Et absurdum est, ut, quod de filia statuitur, id ad filium extendatur. *l. Si ita sctiptum.* 45. *pr. in fin.* D. *de legat,* 2. II. Loquitur *d. c. Quamvis.* de Dote, quæ multa habet singularia & ad filium non potest applicari.

18. Licet nec filia dotem, nec filius propter nuptias donationem vel nihil acceperint, tamen, si Iurejurando sit pactum renunciatorium hereditatis confirmatum, æquè contra Iurisjurandi iis venire non licet. *d. psalm.* 15. *in fin. c. cum contingat.* 28. Ratio dubitandi. I. In *c. Quamvis.* 2. in quo se omues fundant, habemus jus exorbitans & singulare, & requirit, ut dos sit data. Et nunquam in iis, qui singulariter sunt recepta, non datur extensio de casu in casum, sed strictissimè sunt omnia interpretanda. *l. Quod verò.* 14. *& l. seq.* D. *de legib.* Itaque, si dos non sit data, nihil

actum est. II. Absurdum esset, ut suo juramento, quis obligetur ad id, quod pugnat cum natura. Cum natura pugnat & omni naturali ratione, si quid fiat, ex quo liberi non fiant heredes suorum parentum. *l. Cum ratio naturalis.* 7. D. *de bonis damnator. l. Scripto.* 7. §. 1. *in fin.* D. *Si tabb. testam. null. extab.*

19. Si mater, quæ juratò renunciavit hereditati paternæ, obierit ante suum patrem, non præjudicat suis liberis, quia & illi non obstante renunciatione possint admitti æquè ad hereditatem avi materni. Potest enim, si filius exheredatus & exclusus ab hereditate patris moriatur ante suum patrem, nepos admitti ad avi hereditatem *arg. l. si quis filio.* 6. D. *de injust. rupt. irr. fact. testam. l. si quis posthumor.* 9. §. *si filium.* 2. D. *de lib. & posthum. hered. Instituend.* Accedit quod juratæ renunciationes odiosæ sint & stricti juris *arg. l. Quicquid.* 99. D. *de Verbor. Obligat.* & propterea ita explicandæ, ut magis personales sint, quam in rem conceptæ. *arg. l. ait Prætor.* 3. *unde Marcellus* 3. *in fin. l. Nam postquam.* 9. §. *fin. & ll. seqq.* D. *de Iurejur. l. Sed & si res.* 7. §. *si petenti.* 7. D. *de publican. in rem act.* & ita, quasi hanc habeant conditionem, si hereditas delata fuerit renuncianti. Eâ itaque conditione non existente, omnis vis pacti enervatur. Vide Marant. *disput.* 10. *num.* 8. *& seqq.* Covarr. *in d. c. quamvis. p.* 3. *in l.* §. 2. *n.* 4. Ratio dubitandi. I. Renunciationes omnes ut & hæ, de quibus agimus, simpliciter factæ, sunt in rem. Et quotiens dubitatur eas magis, in rem esse, quam in personam, docet, ICtus *in l. Iurisgentium.* 7. §. *pactorum.* 8. D. *h.* & consequenter nocere & prodesse heredibus. *l. Tale pactum.* 40. *pr.* D. *h.* Per omnes quoque conventiones heredibus consulimus. *l. Veteris.* 13. C. *de contrah. stipulat. l. si pactum.* 9. D. *de probat.* II. Factum defuncti tenetur præstare heres. *l. Cum à matre.* 14. C. *de rei vindicat. l. Heredem.* 59. D. *de regul. Iur.* Quocirca, si liberi sint matris heredes, coguntur iidem sequi ejus renunciationes. III. Liberi

beri succedentes avo, jure repræsentationis & jure matris ipsius admittuntur ad successionem. *Nov.* 118. *c.* 1. *&* §. 6. *Institut. de hereditat. quæ ab intestat.* Itaque jure matris suæ uti debent. *l. Ex qua persona.* 149. D. *de Regul. Iur. l. si non solus.* 10. *pr. vers. nec enim aspernari.* D. *si quis omiss. caus. test.* IV. Dotem, principalem causam, à matre habent ex successione: quapropter & renunciationes, accessorias dotis causas, sequi eosdem oportet. Iniquum omnino est, ut liberi retineant dotem & fidem à matre datam non liberent.

20. Qui juratò & simpliciter renunciavit hereditati, is etiam Legitimæ renunciavit. Est enim legitima portio hereditatis *Nov.* 18. *c.* 1. *Nov.* 115. *c.* 3. Quocircà & per hereditatem totam simul transit. Toto enim sublato & quælibet pars tollitur. Qui totum dicit, nihil excipit, uti & qui omne dicit. *l. Iuliano.* 68. *pr.* D. *de legat.* 3. *&* ibi Bald. Rat. dubit. I. Oratione generali non comprehenduntur ea, quæ verisimile est quenquam specialiter noluisse comprehendi. *l. Obligatione.* 6. *& seqq.* D. *de pignorib.* De legitima amittenda non videtur cogitasse: cum ea sit naturale debitum, *Author. Hoc amplius,* C. *de fidecommiss.* quod nemo jactare velle præsumitur. Imò non potest quis renunciare. legitimæ cum nemo possit tollere ea quæ sunt à natura & ex jure sanguinis. *l. Iura.* 8. D. *de Reg. Iur.* II. Legitima non est pars hereditatis, sed bonorum. *l. Cum quæritur.* 6. *C. de inoffic. Test. l. Papinianus.* 8. §. *Quarta.* 9 *D. eod.* Et consequenter quid aliud quam hereditas: Ex quo sequitur non esse renunciatum legitimæ, si hereditati sit facta renunciatio. Ante omnia enim animadvertendum est, ne conventio in alia re facta in alia noceat. *d. l. si unus.* 27. §. *pacta.* 4. *in fin.* D. *h. l. Qui cum tutoribus.* 9. §. 1. *D de transact.* III. Qui totum testamentum, quo ab hereditate est exclusus, probavit, potest æque petere legitimam. *l. si quando.* 35. §. *Et generaliter.* 2. *C. de*

 inoffic.

inoffic. testam. Qui verò probat testamentum, quo exclusus est, cum contra id agere posset, renunciat hereditati. IV. Legitimam pater non potest adimere testamento, nec eam gravare. *l. Quoniam in prioribus. 32. C. de inoff.* Ergo nec per contractum. *arg. t. t. Inst. de leg. fus. canin. tollend.*

21. Pactum de jure civili non producit actionem, sed tantùm exceptionem *l. Iurisgentium. 7. §. sed cum nulla. 4. D. h.* ubi communiter, DD. Ratio dubitandi. I. Prætor se servaturum pacta edicit. *l. 1. D. h* modò nihil fiat contra bonos mores vel publica jura. *d. l. Iurisgentium. 7. §. Ait Prætor. 7. D. h.* Vult autem servare in summo gradu, ut actio detur ex iis. Nec enim verba sine effectu sunt accipienda. *l. 1. §. 1. D. Quod quisque jur. in al. stat.* II. Iuris Textus hoc indicant, *l. Cum mota. 6. C. de Transaction.* & similes. III. Absurdum est, ut ex promissione sua quis non obligetur. *l. 1. D. de constit. pecun. Psalm. 15.* IV. Non potest dari exemplum ullius pacti, in specie sic accepti, ex quo non sit vel non possit esse obligatio & actio. V. Consuetudo contrariatur. Ea vero est observanda & optima legum Interpres dicitur. *l. si de interpretatione. 37. in fin. D. de legib.*

22. Iure canonico non datur ex pacto nudo actio. Quotiens enim inter Ius Civile & Canonicum expresse non potest probari non videtur esse discrimen *j. 1. 2. x. de oper. nov. num.* Vid. Alciat. 5. *Parerg. 3.* Connan. 5. *Comm. 3. num. 6.* Fach. 2. *controvers. 99.* Ratio dubit. Ex *c. 1. x. h.* ubi Antigonus Episcopus ait: aut inita pacta suam obtineant firmitatem aut conventus ecclesiasticam disciplinam sentiat. Et *ex c. Qualiter. 3. Eod.* ubi alius: Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur ipso opere compleantur. Iuris itaque canonici regula postulat, ut nihil fiat, ex quo violatio fidei impunè possit committi, & sic ut pacta valeant & actionem producant. Vide Bologn. *in rubr. C. h. n. 24.* Vide latè Didacum Covarr. *in c. Quamvis. 2. h. in 6.*

23. Pa-

23. Pacta, in continenti adjecta Iudiciis stricti juris, non pariunt actionem id est, non insunt à parte actoris. *l. Jurisgent. 7. §. Quinimò. 5. D. h. l. In bonæ fidei contractibus.* 13. *C. h.* Leges n. eæ quia tantùm loquuntur de contractibus bonæ fidei, certum est excludi contractus stricti Iuris. Absurdum esset, de certa eas specie loqui, si ad omnes æque pertinerent. Vide Donell. *in d. l. In bonæ fidei.* 13. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Per textum *in l. petens.* 27. *C. h.* II. Per textum *in l. In conventionalibus.* 52. *D. verb. Oblig.* III. Per textum *in l. lecta.* 40. *D. de reb. credit.* IV. Per textum *in l. Item, quia conventiones.* 4. *§. fin. l. in traditionibus.* 40. *D. h.* Vid. Costal. *in d. l. Lecta.* 40. *Et ibid.* Duaren. Gœdd. *de contrah. & committ. stipulat. c.* 8. *n.* 37. *& seq.* Fachin. 2. *controvers.* 98.

24. In ambiguis pactis interpretatio est facienda contra illum qui ea proposuit. *l. veteribus.* 39. *D. h. l. Labeo.* 21. *D. de contrah. Emtion.* Debet enim quisque sibi imputare, quod non clarius sit elocutus: quandoquidem apertè suam sententiam potuit declarare. Rationem dubitandi variam vide *disp. nostra* 1. *thes.* 10.

25. Uti naturalis obligatio jure ipso per justum pactum tollitur, quia vinculum æquitatis, quo solo sustinetur, conventionis æquitate dissolvitur. *l. Stickum.* 95. *§. Naturalis* 4. *D. de solutionib.* Ita pactum ipso jure, quia parit tantum naturalem obligationem, tollitur posteriori contrario pacto. Nihil enim tam naturale est, quam ut eo modo quid solvatur, quo colligatum est. *l. Nihil tam.* 35. *l. Omnia.* 100. *l. Fore.* 153. *D. de Regul. Iur. l. Prout quidque.* 80. *D. & solut.* Hinc rescriptum est oportere nos ex juris & æquitatis ratione pacta novissima simpliciter servare. *l. pacta novissima.* 12. *C. h.* Vide Donell. *in d. l. Pacta novissima.* 12. Zas. Bolognet. *in l. si unus* 27. *§. Pactus* 2. *D. h.* & ibid. Anton. Fabr. *in rationalib.* Rat. dub. I. Ex *d. l. si unus.* 27. *§. pactus.* 2. *D. h.* II. Pacta sunt facti: quæ facti sunt non possunt ipso jure mutari & infecta fieri. *l. In bello.*

bello. 12. §. *Facti.* 2. *D. de capt. & postlim. reverf.* Vide Cujac. *in d. l. si unus.* 27. §. *pactus.* 2.

EXERCITIUM XVI.

Resp. JOANNE KÖNIG,
Basileensi Rauraco.

Ex tit. C. De Transactionibus.

THESIS PRIMA.

TRansactio, propriè accepta, est conventio de re dubia, dato, retento vel promisso aliquo *l.* 1. *D. l. si quidem.* 24. *l. Transactio nulla.* 38. *C. h. l. post decisionem.* 13. *C. de furt.* Substantialia ejus sunt. I. Consensus, qui est in conventione. *l.* 1. §. *Conventionis.* 3. *D. de pact.* II. Lis, vel de ea metus *l. Cum te proponas.* 2. *C. l.* 1. *D. h.* III. Datio, promissio vel retentio alicujus. *d. l. Transactio.* 38. Ratio dubitandi. I. Etiam per sententiam finita dicuntur transacta. *l. Transacta.* 229. & *l. seq. verbis: ut judicio terminata. D. de Verbor. significat.* Non ergò Transactio semper est conventio: cum sententia feratur in invitos, uti & Iudicium invitis dictatur. *l. inter stipulantem.* 83. §. 1. *D. de Verbor. Obligat.* II. Proximus genus in definitionibus adscribendum esse docent præcepta Logicæ: Dubium non est, quin contractus genus transactionis proximius sit quam conventio: quia conventionis nomen est generalissimum *d. l.* 1. §. 3. *D. de pactis.* Et contractus est species aliqua conventionis. *d.* §. 3. Multis verò locis probari potest, quod transactio sit contractus, (uti *in l. cum mota.* 6. *l. si pro fundo.* 33. *C. h.* ubi parit actionem præscriptis verbis. Actus autem, qui parit actionem præscriptis verbis est contractus innominatus. *l.* 1. & *seqq. D. de præscript. verb.*) 2. quod & nominetur

netur contractus *l. Cum te transegisse. 5. verbis : tamen si de fide contractus &c. C. h. l. si donationis. 7. C. de his, quæ vis metusve caus. l. fin. C. de litigios.* Unde & Coraſ. *l. Miscellan.* 25. definivit eſſe contractum nominatum : Nomen habet & cauſam, quia aliquid datur, promittitur vel retinetur, ut adverſarius à lite recedat. III. Non ſemper eſt tranſactio de re dubia & incerta, ſed quandoque de certa. *l. Lucius* 78. *in fin.* D. *ad* SC. *Trebell.* quo loco nulla fuit quæſtio de hereditate. *l. si de re certa.* 31. C. *h.*

2. Procurator, qui liberam habet, ſecundum formam *l. Creditor.* 60. §. *fin. D. mandat.* adminiſtrandi poteſtatem, rectè tranſigit. *arg. l.* 58. *& seq.* D. *de procuratorib. c.* 4. *eod. in* 6. Ei verò, cui univerſorum bonorum adminiſtratio tantum & ſimpliciter eſt demandata, non eſt permiſſum tranſigere. *l. Mandato generali.* 60. D. *de Procurator. arg. l. Procurator totorum.* 63. D. *eod.* Ratio dubitandi. I. Is, qui liberè poteſt adminiſtrare, non poteſt tranſigere, quandoquidem alienare nequit. *d. l. Procurator totorum.* Ubi verò deeſt poteſtas alienandi, ibi & deeſt facultas tranſigengendi, cum tranſactio ſit ſpecies alienationis. *l. non solum* 4. C. *de præd. & aliis reb. minor.* II. Etiam is, qui ſimplex univerſorum bonorum eſt Procurator, poteſt tranſigere cum poſſit alienare : *l. Qua ratione.* 9. §. *nihil autem intereſt.* 4. D. *de acquir. rer. domin.* & deferre jusjurandum. *l. Ius iurandum.* 17. §. *fin. & ll. seqq.* D. *de Iurejurand.* Et paciſci in detrimentum Domini. *l. Rescriptum* 10. §. *fin. & ll. seqq.* D. *de pact.* Vid. Donell. 4. *Comment.* 15. Duaren. *in l.* 1. §. *per Procuratorem.* 20. D. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Cujac. *in d. l.* 10. §. *fin.* D. *de pact.* D. Buſ. *in l. nulli Procuratorum.* 13. D. *h. n.* 3.

3. Syndici & adminiſtratores Civitatum rectè tranſigunt, modò nihil ambitiosè remittant *l. Præses Provinciæ.* 12. C. *h. l. Item Magiſtri.* 14. D. *de pact.* Undè colligi poteſt, eos habere mandatum cum libera pote-

ſtate

testate agendi: Uti & sentiunt Bald. Fulgos. Donell. *in d. l. præses.* 12. Gail. 2. *Obs.* 72. *n.* 11. Ratio dubit. Non aliter possunt Defensores Municipum vel cujusvis corporis deferre Iusjurandum, quam si ad hoc habeant specialemandatum. *l. Iusjurandum.* 34. §. 1 D. *de Iurejur.* ergò nec transigere: cum jusjurandum veram speciem transactionis contineat. *l. Iusjurandum.* 2. D. *Eod.*

4. Tutores vel curatores possunt transigere, modò per transactionem id non alienent, quod sine decreto nequit distrahi. *l. non solum.* 4. *C. de præd. & aliis reb. minor. sine decrit. non alien.* Possunt verò & transactiones facere, siquidem jus liquidum non remittant, & nihil ex jure eorum, quorum Tutelæ & Curæ sunt præfecti, diminuant. *l. Lucius Titius.* 46. §. *fin. versic. non etiam donare. D. de administrat. tutor.* Ratio dubit. I. Sunt vice dominorum. *l. Ad ea.* 57. *D. de Regul. Iur.* Domini autem vel, qui vice dominorum sunt, possunt transigere etiam alienando. *arg. l. Qua ratione.* 9. §. *nihil autem.* 4. *D. de Acquir. rer. domin.* Adde Thes. 3. hic. II. Ex, *l. si pignore.* 54. §. *fin. l. Interdum.* 56. §. *Qui tutelam.* 4. D. *de fuit.* Quibus in loci indistinctè permittitur Tutori vel curatori transigere. Vide de hac re Gail. 2. *Observat.* 72.

5. De bonis Castrensibus vel quasi non est patri permissum, quoties id filio nocet, transigere: quia in iis filiusf. est loco patrisfamilias, ut ipse ea bona pro libitu suo possit administrare. *l. usque ad quantitatem* 2. *D. ad SC. macedon.* Idem recipiendum est in bonis adventitiis, in quibus patri ususfructus est ademtus & administratio *Novell.* 117. C. I. §. I. In iis enim pater pro extraneo est reputandus. In bonis adventitiis, in quibus habet pater usumfructum non administrationem, potest valere transactio, quandiu ususfructus durat. De iis adventitiis, in quibus patri non est ususfructus, sed administratio, frustra transigit pater in necem filii, hoc est, ut bona diminuat: alie-
nare

nare enim nihil ex iis poteſt. *l. Cum oportet* 6. §. *Non autem.* 2. *C. de bon. quæ liber.* De iis, quæ ſunt peculii profectitii, libere poteſt tranſigere pater: quia hoc peculium totum ejus eſt. *arg.* §. 1. *Inſt. Per quas perſon. cuique acquirat.* Ratio dubitandi. I. In bonis, quorum uſusfructus eſt ademtus patri, non autem adminiſtratio, patri nihil aliud eſt denegatum, quam alienatio & hypothecæ datio *d. l.* 6. §. 2. Ergò non tranſactio. Pater earum rerum habet pleniſſimam poteſtatem, ſi non utendi fruendi, ſaltem gubernandi, adeò ut adminiſtratio ſit impunita, & filiusfamilias non poſſit vetare ullo modo, qua ratione pater velit bona adminiſtrare. *d. l. Cum oportet.* 6. §. *Non autem* 2. *verſic. Sed tantummodo.* II. Imo licet de omnibus bonis filiif. tranſigere patri 1. Cum ſit tantum prohibita ei tranſactio de bonis filii emancipati. *l. De re filiorum.* 10. *D. h.* argumento à ſenſu contrario ducto, quod fortiſſimum eſſe dicitur. *l.* 1. *D. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd. l.* 12. *D. de Iudic.* 2. Cum & alienare poſſit ex cauſa juſta. *l. Cum non ſolum.* 1. §. *Sin autem æs alienam.* 4. *verſic. Sin autem non habeat. C. de bon. quæ liber.*

6. Inter res, de quibus tranſigere non eſt permiſſum, non ſimpliciter referendæ ſunt cauſæ matrimoniales: verum præſtat diſtinguere. Si de eodem legitimè contracto agatur, non valet tranſactio, quæ ad diſſolutionem ejuſdem eſt directa, niſi fiait ex cauſa adulterii vel malitioſæ deſertionis: quandoquidem ob alias cauſas non poteſt diſſolvi, Iure divino. *Mathei.* 5. *v.* 32. & 19. *v.* 9. *Luc.* 16. *v.* 18. *add. v. ad Corinth.* 7. 10. quod ſequimur. Si verò de contrahendo tractetur, vires habebit omnis tranſactio, ſive per eam matrimonium procedat ſive non: modò nihil fiat contra veritatem ejus, quod actum eſt. Vide Alciat. *in l. fin. C. h.* Beuſt. *de ſponſal. & matrimon. p.* 1. *c.* 29. *& ſeqq.* Ratio dubitandi. I. Imò nunquam toleratur tranſactio, quæ facit diſſolutionem conjugii. *c. final. x. h.* II. Matrimonium eſt juris publici. *Arg. l.*

Reipublicæ. 2. *D. de Iur. dot. l.* 1. *D. Solut. matrim.* Nihil enim tam publicum, cum ex matrimoniis non tantùm respublicæ conserventur, sed & universaliter ipsum genus humanum. *Nov.* 22. *in præfat.* De rebus verò, quæ sunt juris publici, frustrà fit transactio. *l. Ius publicum.* 38. *D. de pact.* Nec etiam valet stipulatio, qua coarctatur ratio contrahendi matrimonii. *l. Titia.* 134. *pr. D. de Verbor. Obligat.*

7. In Criminibus capitalibus transactio non est prohibita. *l. Transigere.* 18. *C. h.* Ignoscendum enim est illi, qui qualiter qualiter redimit sanguinem. *l. fin. D. de prævaricat. l.* 1. *D. de bon. eor.* Vide Delr. latè *in d. l. Transigere.* & ibid. Arumæ. disputatione ad *d. l.* singulari. Ratio dubitandi. I. De publica causa fieri nequit transactio, sed tantum de privata. *l. Iurisgent.* 7. §. *si paciscar.* 14. & §. *Et Generaliter.* 16. *D. de pact.* Crimina verò captalia ad judicia publica pertinent. *l. Publicorum.* 2. *D. de public. Iudic. junct. l.* 1. *Ibid.* II. Qui ab accusatione desistit, incidit in SC. Turpilianum, & consequenter fit infamis & punitur extra ordinem. *l. si pro eo.* 2. *C. Ad SC. Turpill. junct. l.* 1. *l. ab accusatione.* 6. *D. eod.* III. Nihil est iniquius, quàm, ut delinquentes pœnis eximantur per transactiones: cum publicè expediat delicta puniri. *l. Ita vulneratus.* 51. §. 1. *D. ad l. Aquil.* Undè & rigidè constitutum est & observatum fuit, ut, qui accusant, sese usque ad sententiam in accusatione perseveraturos promittant, & pœnæ Talionis se subjiciant. *l. si cui.* 7. *pr.* & §. 1. *D. de accusat.* IV. Pro confesso habetur, qui transegit *l. Quoniam.* 5. *D. de his, qui notant. infam.* In confessum nullæ aliæ sunt Iudicis partes, quam ut condemnetur. *l. Proindè.* 25. §. *fin. D. ad l. Aquil.* Et si transigens sit condemnandus, nemo transactionem esse permissam dixerit: cum, quod punitur, non fiat lege permittente. *l. Grachus.* 4. *C. ad. l. Iul. de adult.* Vide Hotomann. *Illustr. quæst.* 23.

8. Capitalia crimina intelligimus *in d. l. Transigere.* 18.

quæ

quæ ultimi ſupplicii pœnam ingerunt. Id indicant verba. *Quæ pœnam ſanguinis ingerunt*, *in d.l. Tranſigere in fin.* Idem volunt Textus *in l.* 1. *D. de bon. eor. l. fin.* D. *de pravar.* quibus ſanguinis ſit mentio. Vide Delr. *in d. l. Tranſigere.* Connan. 5. *Comm.* 7. Cujac. 6. *Obſervat.* 11. Hœnon. *diſp.* 5. *theſ.* 7. Non itaque habebit *d.l.ex. Tranſigere.* locum in pœna fuſtigationis, membri mutilationis, infamiæ, vel alia ſimili. Ratio dubitandi. I. Capitalia ſunt, in quibus pœna eſt vel mors naturalis vel civilis. *d. l. Publicorum.* 2. *D. de public. Iudic.* §. *Publicorum.* 2. *Inſt. eod. l. Rei capitalis. l. capitalium* 28. *D. de pœn.* Quod in hac cauſa admittendum eſt, quia interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quam aſperandæ *l. Interpretatione.* 42. *D. de pœn.* Pœnæ autem legum molliuntur, ſi Tranſactiones non nimium coarctentur. II. Imò & ſunt capitalia, in quibus de fama & exiſtimatione controvertitur. *l. licet.* 103. *D. de verbor. ſignificat.* Vid. Clar. *§. fin. ſent.* 4. *q.* 58.

9. In parricidio & Crimine læſæ majeſtatis poteſt fieri tranſactio. Non enim hæc Crimina excipiuntur, ſed tantùm adulterium: hæc verò exceptio magis confirmat regulam in caſibus non exceptis. Eſt deindè & eadem ratio, ut Reus ſuum redimat ſanguinem. *d. l.* 1. *D. de bonis eor. d. l. fin. D. de prævaricat.* Ratio dubitandi. I. In hiſce criminibus conſcii puniuntur. *l. Vtrum.* 6. *D. Ad l. Pompej. de Parricid.* §. *Quiſquis.* 5. §. *Id quod.* 6. *C. ad l. Iul. Majeſtat.* II. Horum Criminum atrocitas ſatis manifeſte excludit omne jus ac conceſſionem tranſactionum. Vide DD. *in d. l. Tranſigere.* III. Ex *l. fin. circa fin. C. de abolition.*

10. Non diſtinguo inter reum & actorem, nec inter accuſationem inchoatam & inchoandam. Textus enim *in d. l. Tranſigere.* generalis eſt. DD. *in d. l.* 18. Ratio dubitandi. I. Non in tanto periculo eſt Accuſator, in quanto Reus: Ceſſat enim hodiè talionis pœna Clar. 5. *ſentent.* §. *fin. q.* 81. Adeoque in accuſatore non viget ratio *d. l. Tranſigere*, quæ eſt *in d. l.* 1.

D. de bon. eorum. II. Qui ob non accuſandum pecuniam accipit, tenetur concuſſionis. *l. 2. D. de concuſſ.* III. Cum accuſatio eſt inſtituta, non eſt in poteſtate accuſatoris Iudicium deſerere: Nemini enim permiſſum eſt deſiſtere ab inchoata lite ſine abolitione. *d. 1. §. ſi quis autem. 7. D. ad SC. Turpill.* Vide Hotom. *d. quæſt.* 23. Donell. *in d. l.* 18.

11. Excipitur à regula adulterium, quatenus capitale eſt Crimen. *d. l. Tranſigere l. De Crimine.* 10. *C. Ad l. Iul. de adult.* Sin autem non ſit capitale propter regulam in ſecunda parte *d. l. Tranſigere.* non erit permiſſa de eo pactio vel tranſactio. *DD. ll.* Ratio, Cur excipiatur, eſt Fæditas ejus criminis, & gravitas, defectuſque probationum, quia clam ſolet committi. Ratio dubitandi. I. In læſa Majeſtate, Parricidio & ſimilibus major atrocitas, fæditas. Nec etiam ea ſolent niſi remotis arbitris perpetrari. II. Imponitur illis, qui accuſaturi ſunt adulterum, ut pactione vel tranſactione crimen hoc aboleant *l. Quamvis.* 30. *C. ad l. Iul. de adulter. l. Abolitio. 2. in fin. C. de abolition.*

12. In criminibus publicis, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet. Textus eſt expreſſus *in d. l. Tranſigere.* 10. *in fin.* Et in iis ceſſat ratio, ob quam de capitalibus tranſigere eſt permiſſum. *d. l. 1. D. de bon. eor. l. fin. D. de prævaric.* Delr. & Communiter DD. *in d. l. Tranſigere.* Ratio dubitandi. I. Æquitas & bonum publicum ſuadent contrarium. Magis enim intereſt Reip. accuſationes de capitalibus non tolli, quam de non capitalibus. Quo enim delicta ſunt atrociora eo minus impunita eſſe debent. *l. Perſpiciendum. 11. D. de pæn. arg. l. fin. C. de appellat.* II. Non eſt indictum Tranſactionibus ſed ſordidis concuſſionibus. *l. 1. §. ſed & conſtituto. 3. in fin. D. de calumniat.* Vid. Hottomann. *d. quæſt.* 20. 23.

13. Verba, *Citra falſi accuſationem*, ſic ſunt *in d. l. Tranſigere* accipienda, ut non excipiatur per ea falſum ſed is, qui tranſegit de non capitalibus, incidat in crimen

falſ

falsi. Citra enim ordinario significat non *Præter*, sed *sine*, cùm apud hosce, Impp. qui hujus *l. Transigere.* Authores fuere, *l. si ex precio. 6. Citra vinculum stipulationis C. Si cert. petat. l. Si precium. 19. verb. Citra mandatum. C. de procurator. l. Nullo. 24. verb. citra beneficium actionis. C. de Rei vindicat. l. Cum citra fidem etiam instrumentorum 15. C. de Iur. dotium.* tum alios Impp. & ICtos veteres uti patet Ex *l. Quamvis. 3 vers. 6. citra vinculum stipulationis. C. de usur. l. Eos qui 28. vers. Cæteros. verb. Citra stipulationem. l. 1. verb. citra Domini voluntatem. C. Si alien. res pign. dat. sit. l. Magnam 12. verb. citra ullam admonitionem. D. de contrah. & committ. stipulat. l. Falsus. 19. verb. citra Domini voluntatem. C. de fuit. l. peremtorias. 2. verb. citra remedium appellationis. C. Sentent. res. non poss. l. Fin. §. Ipsum 5. vers. Filiis. verb. citra voluntatem C. de bon. q lib. l. 1. verb. citra fraudem. C. de jur. Fisc. l. 1. §. 1. verb. citra conventionem. D. de pignorib. l. Servus ea lege. 7. verb. Citra stipulationem. D. de serv. ex portand. l. observare. 6. verb. citra causæ cognitionem. D. de curator furios. l. ut sit. 31. verb. citra societatem. D pro soc. l. fin. verb. citra delegationem. D de in diem addict. l. f. verb. citra periculum. D. de public. Iudic. l. pro herede. 20 §. Papinianus. 4. in fin. verb. citra nomen & jus heredis. D. de acq. vel omitt. hered* Add. *l. 1. §. 1. verb. Citra appellationem. D. de feriis. l. Cum hi. 8. §. si Prætor. 17. verb. Citra causæ cognitionem. D. h. l.* In *Causæ. 16. pr. D. de Minorib. l. 1. §. 1. D. Quæ sentent. fin. appellat. l. Spurii 6. §. Qui Iudicis. 3. D. de Decurion.* Vid. Donell. *in d. l. Transigere. n. 16.* Hotoman. *d. quæst. 23.* Ratio dubit. I. Citra significat *Præter* in jure. *l. fin. verb. citra precii æstimationem. D. de calumniatorib.* II. Pugnat cum ratione juris, ut qui transigit, teneatur falsi: Nullum enim crimen, nullum falsitatem comittit in transigendo *arg. l. 1. D. Ad. l. Cornel. de fals. l. divus. 14. D. Ad. l. Cornel. de sicariis.* Vid. Gædd. *de contrah. & commit. stipulat. cap. 6. n. 160.* Cujac. 6. *observat. 11.* Fachin. 1. *controv. 9.* Delr. *in d. l. Transigere.*

14. Itaque de crimine falsi, si capitale supplicium

ſit infligendum, uti aliquando id fieri oportet, *l. Vbi falſi.22. circa finem: C. ad l. Cornel de Falſ. l. 1.in fin.in pr. D. Eod.* poteſt tranſigi, non verò, ſi ſanguinis pœna non ſit ingerenda. *d. l. Tranſigere.* Ratio dubitandi, licet regularitur de Falſo tranſigere, uti patet. I. Ex *l. Polla. 2. C. de his, quæ ut indign.* II. Ex *l. Ipſe ſignificas.7. Ad l. Cornel. de ſicar.* III. Ex *l. Si ex falſis inſtrumentis. 42. C. h.* Nec ratio eſt obſcura, quia privata Damni cauſa ſolet in falſo concurrere cum publica accuſatione. Vide Cujac. *d. obſerv.* 11.

15. Non etiam licet de criminibus non capitalibus, nullo dato, retento aut promiſſo, paciſci, non enim in SC. Turpill. diſtinguitur, utrum quis gratis an data pecunia paciſcatur, ſed quæritur tantum ad deſtiterit. *l. 1. §. ſi quis autem. 7. l. In Senatuſconſultum. 15. D. ad SC. Turpill.* Etiam is, qui paciſcitur puniendus eſt tanquam prævaricator in publicis Iudiciis. *l. De crimine 10. C. ad l. Iul. de adulter.* Ratio dubitandi. I. Ipſo jure tolluntur accuſationes criminum per pacta gratuita. *l. Si tibi 17. §. 1. D. de pact.* II. Non, qui gratuito eſt pactus, fit ex crimine infamis & pro confeſſo habetur, ſed qui dato precio turpiter depectus eſt & tranſegit. *l. Athletas 4. §. fin. l. ſeq. & l. furti. 6. §. Pactuſque 3. D. de his, qui notant. infam.* III. Cum in *fin. d. l. Tranſigere* ubi de non capitalibus agitur, non fiat mentio pacti, ſed tantum Tranſactionis: non id de pacto accipi poteſt: cum ex verbis intentio ſit colligenda. *l. Servius. 7. §. Labeo. 2. D. de ſupell. legat.*

16. De privatis delictis tranſigere non licet ſine infamia Rei. *d. l. Furti. 6. §. pactuſque 3. junct. l. 1. ibid. & d. l. Athletas 4. § fin. D. de his, qui notant. infam.* habetur enim Reus tranſigens pro cònfeſſo *l. Quoniam. 5 D. Eod.* Paciſci autem eſt conceſſum. *d. l. Si tibi decem 17. §. 1. D. de pact.* Ratio dubit. I. Etiam is, qu paciſcitur ſine precio agnoſcit delictum & pro confeſ ſo eſt habendus. II. Satius eſt, diſtinguere inter li tem conteſtatum & non conteſtatam. Vt hoc mod vale-

valeat transactio, non illo. Propterea enim in privatis est illicita transactio, quia transigens videtur confiteri. *d. l. Quoniam.* 5. Pro confesso autem habetur qui in judicio post litem contestam est confessus. *l. Electio.26.§. neque heredi. 5. versic. Et ideò. D. de noxal. action.* Vnde sequitur; quod, uti ante contestationem litis nemo sibi præjudicat sua vera confessione *d. vers.* Et ideo nemo præjudicium sibi faciat sua transactionem, ex qua tantum præsumitur confessio. III. Imo præstaret, distinguere inter actionem ex privatis delictis criminalem & civilem ut in hac teneat transactio, cum de re privata fiat: non in illa, cum fiat de re vel fisci, quando fisco est applicanda mulcta, vel publica, quotiens de pœna corporali vel simili agitur. De Fisci autē vel publica re non licet privatis transigere. *l. Inter. 83. §. sacram. 5. D. de verbor. obligat. l. Iurisgent. 7. §. si paciscar. 14. §. Et generaliter. 16. D. de pact.* Vide Alciat. Gilken. *in d. l. Transigere. Fachin. 1. controv. 9.*

17. De his controversiis, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis verbis testamenti. *l. De his 6. D. h. & ibi DD. l. 1. §. 1. Testam. quemadm. aperiant.* præstat itaque, cum instrumentum transactionis concipitur, fieri mentionem inspectionis tabularum, Gail. 2. *Observ.* 139. *n.* 10. Ratio dubitandi. I. Valet transactio in genere, licet instrumenta non sint visa tempore transactionis: imò ea sub prætextu instrumenti, cujus nomine venit testamentum, post reperti non rescinditur *l. Sub prætextu.* 19. *C. h.* II. Non potest justa dari ratio *d. l. De his.* 6. cum permissum sit de omnibus pacisci & transigere, quæ non ad læsionem publicam pertinent, sed ad rem familiarem. *d. l. Iurisgentium. 7. §. Si paciscar.* 14. & favori pro se introducto renunciare *l. pen. C. de pactis.* convenientius ergò videtur sentire Cujac. *in l. 1. in fin. D. h.* hanc legem esse spuriam & alieno loco positam. Referenda potius est ad sententias Iudicum, uti patet *ex l. 1. §. 1.*

cujus eſt idem Gajus *ad edict. provinc. lib.* 17. authot

18. Non dubitandum eſt, quin *d. lex. De his.* . locum habeat in Codicillis & teſtamento nuncupativo. Eſt enim eadem ratio, ne, vel feneſtra malitiis aperiatur. *l. In fundo.* 38. D. *de Rei vindicat.* vel impediatur ultima voluntatis pleniſſimus certuſque exitus ejuſque executio *l. Vel negare.* 5. D. *Teſtament. quemadm. aper.* ac honor Defuncto debitus ſubtrahatur. Ratio dubit. I. Loquuntur textus *in d.l. De his.* 6. *& in d.l.* 1. §. 1. tantùm de teſtamento: Teſtamenti autem nomine codicillus non venit. *l. Si idem.* 7. *C. de Codicill.* II. Ineptum eſt de teſtamento nuncupativo id ſtatui, cùm id fiat ſine ſcripto, tantum viva voce, adeo ut verba teſtamenti inſpici vel cognoſci non poſſint. Vide Alberic. Fulgoſ *in d. l. De his.* 6. Borcholt. *de Tranſact. c.* 3. *n.* 16. *& ſeqq.*

19. Renunciari non poteſt præcepto *d. l. de his.* 6. Ratio enim & à publico jure, & ab honeſtate & honore, qui voluntati Teſtatoris ultimæ defertur, petitur. Non autem valet renunciatio juris publici. *l. Ius Publicum. D. de pact.* Non habet vires ullum pactum, quod eſt contra leges. *l. Iuriſgentium.* 7. §. *Ait prætor.* 7. *D. de pact.* Vide Bartol. *in d. l. D. his.* Borcholt. *d. c.* 3. *n.* 21. Buſ. ad *d. l.* 6. *n.* 5. Ratio dubitandi. Poteſt fieri renunciatio noſtri juris *l. pen. C. de pact.* Nec de quo alio hic agitur, quam de commodo & utilitate privati tranſigentis. Publicè quidem intereſt ex conſequentia, ſed non directò nihilque turpitudinis hęc res habet. Non nimis ſubtiliter juſtos eſſe oportet: Solet perniciosè errari in quæſtionibus, quæ ſunt de æquo & bono ſub nimia ſubtilitate. *l. ſi ſervum.* 91. §. *Sequitur. verſic. Eſſe enim hanc quæſtionem. D. de verbor. obligat. l. un. C. ut action. ab hered. & contr. hered.* Vide Gloſſ. *in d. l.* 6. ibid. Anton. Fabr. *in fin.*

20. Qui tranſegit de iis, quæ ex teſtamento debebantur, non videtur renunciaſſe relictis in Codicillis poſt repertis. *l. Impp.* 3. §. *Cum tranſactio.* 1. *& ibi Caſtrenſ. l. Qui cum tutoribus.* 9. §. 1. *l. Non eſt ferendus.*

12. *in*

12. *in fin. D. h.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. sub Prætextu.* 19. *C. h.* II. Ex *l. Lucius.* 78. *§ fin. D. ad SC. Trebell.* III. Testamento facto, Codicilli sequuntur jus & causam testamenti *l. ab intestato.* 16. *C. de jur. Codicill.* Cum itaque de Testamento est transactum, videtur & de Codicillis esse transactum. IV. Qui de hereditate in testamento relicta transegit, non potest petere fideicommissum in Codicillis relictum. *l. Qui Romæ.* 122. *§. fin. D. de verbor. Obligat.*

21. Receptum est, quòd transigi non possit, nisi prætore authore, de alimentis futuris, testamento vel alia ultima voluntate relictis. *l. Cum hi, quibus.* 8. *princ. &* §. 1. D. *l. De alimentis.* 8. *l. h.* Æquissima omninò hujus Juris est ratio, 1. In Defuncti pietate. 2. Ne præsenti modico contenti facilè transigant, & postea inedia laborent ii, quibus alimenta sunt relicta. *d. l. Cum hi. pr.* Verum, si ex contractu constituta sint, non impedietur Transactio, licet Prætor author non fuerit. *d. l. Cum hi.* 8. §. 1. ibi Scipio Gentil. Ratio dubitandi. I. Eadem est in donatione inter vivos, imò major pietas. Piissimi enim homines semper etiam in vita aliis bene faciunt: improbi & avari tum demum, cum moriuntur: ac deindè & in donatis inter vivos alimentis, donatarii ad egestatem perducentur, si modicum sibi repræsentatum statim malint, quam suis diebus portiunculas accipere. II. *In d. l. De alimentis.* 8. *C. h.* qua jus novissimum continetur, generaliter & sine ullo distinctione causæ, ex qua debeantur, definitum, quod sine Prætor vel Præside interposita transactio nulla authoritate Juris censeatur. Vid. Robert. *lib. 4. sent.* 19.

22. Uti transactio de alimentis relictis ac futuris non valet, ita nec pactio gratuita. 1. Est eadem ratio pacti & transactionis, vel major, quia qui paciscitur, nihil consequitur, qui transigit semper aliquid retinet vel accipit. *l. Transactio nullo.* 38. *C. h.* 11. Non licet Prætori donationis causa consentire in transactionem. *d. l. Cum hi.* 8. §. *si Prætor.* 17. Vide Hotomann. Cu-

Jac. Baron. *in d. l. Cum hi.* 8. Coler. *de aliment. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 48. *& seq.* Ratio dubitandi. I. Jus hoc dealimentis, positivum & exorbitans, ad alias causas non est extendendum. *arg. l. Quod verò.* 14. *& seqq. D. de legib.* II. Absurdum est, si legatarius non posset repudiare legatum sed cogeretur invitus id admittere: quod est inauditum. III. Durum nimis est, ut quis rerum suarum non sit liberrimus moderator & arbiter. *l. in re mandata.* 21. *C. mandat.* & illicitum dicatur, quod non invenitur esse prohibitum lege. *arg. l. Mutus.* 43. §. 1. *D. de procurat.* Vide Donell. *in d. l. De alimentis* 8. *C. h.* Connan. *lib.* 5. *Comm.* 7. *n.* 7. Scipion. Gentil. *de al ment. n.* 4.

23. Non parit Jure Civili actionem Transactio, si nudo pacto sit facta, sed exceptionem tantum. Nec etiam ipso jure priorem actionem tollit, nisi aquiliana stipulatione sit confirmata. *l. sive apud acta.* 28. *l. si causa.* 32. *C. h.* Ratio dubitandi. I. In Transactione est causa justa obligationis. Hoc enim ipsum, quod à lite disceditur, causa est. *l. in summa.* 65. §. 1. *D. de cond Indebit.* Ubi autem est causa obligandi, ibi est justa obligatio. *l. Iurisgentium.* 7. §. 1. *& seq. D. de Pact.* II. Non minorem habet efficaciam Transactio, quam sententia. *l. Non minorem.* 20. *C. h.* Ex sententia autem dari actionem palam est. *l. Actori.* 8. *C. de reb Credit.* & paratam executionem leges concedunt. III. Datur actio præscriptis verbis ex transactione. *l. Cum mota* 6. *C.* 6. Cui non obstat. *l. si instituta.* 27. *C. de inoff.* Actio verò præscriptis verbis efficax est. *t. t. ff. de præscript. verb.* IV. Consuetudine, quæ est optima legum Interpres. *l. si de interpretatione.* 37. *D. de legib.* confirmatum est, actionem dari ex qualibet justo pacto, & maximè ex transactione. Borcholt. *d. pact. c. ult. n. ult.* Wesembec. *in paratit. de pact. n.* 9. Gudelin. *de jure noviss. lib.* 3. *c.* 5. *in fin.*

24. Cum pœnalis stipulatio est transactioni subdita, non potest simul quis pœnam petere & commodo

modo transactionis frui. Id enim est iniquum. *l. Rescriptum.* 10. §. 1. *D. de pact. l. Vbi pactum.* 40. *C. h. l. Eleganter.* 23. §. *si quis post.* 3. *D. de condict. Indeb. l. Apud Celsum.* 4. §. *labeo.* 7. *D. de doli mal. & met. except.* Vide Duaren. *c.* 6. *in fin. D. ad h. tit.* Donell. *in d. l. ubi pactum.* 40. *num.* 9. Hotomann. *illustr. quæst.* 10. Ratio dubitandi. I. Ex *l. pen. D.* Ex *l. Cum proponas.* 17. *C. h.* II. Ex *l. Qui Romæ.* 112. §. *fin. D. de verbor. Obligat.* Vid. Azon. *in summa. de. transact.* Gloss. *in d. l. Cum proponas.* 17. & *l. ubi.* 40. *C. h.*

25. In transactione, perquam enormiter quis est læsus, agi potest ex *l. Rem majoris.* 2. *C. de Rescindend. vendit.* Quandoquidem est iniquum, ut tantoperè quis cum alterius damno locupletaretur. *l. Nam hoc natura.* 14. *D. de condict. indebit.* & quidem ex dolo, qui in ipsa re est. *l. si quis cum aliter.* 36. *D. de verbor. Oblig.* Cum transactio dolo facta non habeat vires. *l. si superstite.* 5. *C. de dolo.* Accedit ad probationem hujus sententiæ. *l. in summa.* 65. §. 1. *D. de condict. Indebit.* quod transactio sit loco venditionis, cum per eam æstimatio litis fiat. *l. sed & si.* 7. §. 1. *D. de public. in rem. action. l.* 1. *l. Litis.* 3. *D. pro emtor.* Vide Pinell. *in d. l. Rem majoris.* 2. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 13. & *seqq.* Fachin. 2. *Controv.* 26. Ratio dubitandi. I. Ex *d. l. in summa.* 65. §. 1. II. Ex *l. Lucius.* 78. §. *fin. D. ad SC. Trebellian.* III. Loquitur tantum. *d. l. Rem majoris.* 2. de venditione, quæ est contractus bonæ fidei, & continet jus exorbitans, quod ad alios casus & contractus non potest referri. *arg. l. Quod verò.* 14. & *seqq. D. de legib.* Transactio autem est stricti Juris. *arg.* §. *actionib.* & consequenter non admittit, ut quid suppleatur ex bono & æquo. *arg. l. Quicquid.* 99. *D. de verb. Oblig.* IV. Rescripto nullo & constitutione potest transactio semel facta resuscitari *l. Causas.* 16. *C. h.* Ergò nec Rescripto, quod est *in d. l. Rem majoris.* 2. V. Non potest fieri æstimatio vera litis, quæ est incerta, cujusque est dubius eventus *l.* 1. *D. h.* Si dicatur, quod debeat spectari id, de

quo posteà constiterit, objicietur rescriptum *in l. si voluntate.* 8. *C. de rescind. vendit.* quod monet habendam esse rationem precii, quod haberi potest tempore contractus, vel rescriptum *in l. sub prætextu.* 19. *C. h.* quod monet ob instrumenta, uti & *in l. sub prætextu.* 29. *C. h.* ob species, quæ post reperiuntur, non posse rescindi transactionem bona fide initam. Si dicatur præsens tempus esse attendendum, objicietur, quod omnia sint incerta ac dubia, quæ non habent ex re ipsa certum æstimium, ut suprà dictum. VI. In dubio magis dicemus actum vires & effectum habere. *l.* 12. *l.* 21. *D. de reb. dub.* Vide Connan. 7. *Comment.* 9. Donell. *in d. l. Rem majoris. n.* 22.

EXERCITIUM XVII.

Resp. CORNELIO TOLL, Lugdunensi Batavo.

Ex tit. C. & D. de postulando.

THESIS PRIMA.

Postulare est, desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui Iurisdictioni præest, vel alterius desiderio contradicere. *l.* 1. §. *postulare. D. h. l. Dies cautioni.* 4. §. *hoc autem* 8. *vers. Postulari.* 1. *de damn. infect.* Postulare verò non est idem, quod Advocatum agere. Cum Advocatus semper in aliena causa sit occupatus: & qui postulat, etiam in propria lite desiderium exponat. Ratio dubitandi. Non tantum postulare quis dicitur in Jure & coram eo, qui Tribunal habet, sive Iurisdictioni præest, sed & coram pedaneo judice & in judicio. *d. l.* 1. §. *secundo loco.* 5. *versic. Item SCto. D. h.* Pedaneus verò non habet Tribunal, nec jurisdictionem. *l. ult. C. ubi & apud quem cognit. in integr. &c.* Vid. Duar. 1. *disp.* 1.

2. Fœmi-

2. Fœmina honesta & verecunda non est admittenda ad postulandum pro aliis. *d.l.* 1. §. *secundo loco.* 5. *versic. sexum.* Contra pudicitiam sexui congruentem facit, quæ se alienis causis immiscet, & ita in publicum prodit. *l. vers. sexum.* DD. *in l. fœmina.* 2. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Cessat in tali fœmina honesta ratio prohibitionis, expressa. *d. versic. sexum.* Ratione autem cessante & cessat ipsum jus. *l. Illud.* 32. *l.* D. *Ad. l. aquil.* II. Iniquum est, ut propter impudentiam unius fœminæ, cujus nomen est *in d. l* 1. §. 5. omnes optimæ fœminæ arceantur, ceu indignæ. *arg. l spurii*, 6. *vers. non enim* D. *de Decur.*

3. Qui se obligavit, ut contra aliquem non postulet, uti postulare non potest, quandoquidem fidem suam nequit fallere. *l.* 1. D. *de const. pecun.* ita nec consilium adversario privatim suggerere. Est enim utriusq; causæ, & postulandi & consulendi, in hac re eadem ratio. Nec licet fraudem contractui facere: Fraus autem fit, cum quis verba amplexus contra alterius, cum quo contraxit, nititur voluntatem. *l. Non est dubium.* 5. *C. l. contra* 29. *& l. Fraus enim legi.* 30. D. *de legib.* Vid. Bus *in l.* 1. *n.* 4. D. *h.* Ratio dubit. I. Nemo potest se obligare, ne contra aliquem postulet; cum postulare sit publici juris & aliquando necessitatis, nec tam sit in potestate Advocati quam ejus, qui Iurisdictioni præest. Prætor enim dat petentibus Advocatum *d. l.* 1. §. *Ait prætor.* 4. vel Præses aut Proconsul. *l. Moris est.* 9. *pr. & §§. seqq.* D. *de pæn. l. Nec quicquid.* 19. §. *Advocatos.* 5. D. *de offic. proconf.* Nec Consistere possunt ab una parte Advocati plures, nec petentibus possunt denegare officium suum. *l. Providendum.* 7. C. *h.* Siquidem verò obligatio de non postulando contra aliquem sit nullius momenti, non debet dubitari quin consulere eo casu sit permissum. Id enim, quod nullum habet effectum, non poterit in aliis præstare impedimentum. II. Diversa sunt postulare & consulere: Postulat, qui vocis suæ munimine publicè causam tuetur. *d. l.* 1.

§. *Post-*

§. Postulare. 2. Consulit, qui privatim de jure respondet. Vid. Bartol. *in d. §. postulare.* 2. III. Posset potius distingui inter eum, qui postquam secreta causæ cognovit, ea pandit alteri in consilio, & eum, qui simpliciter fidem suam dedit de non postulando contra aliquem, cum ei causæ intima non sint cognita: ut ille consulere non possit, quoniam est ex ea causa prævaricationis Reus, *l.* 1. *D. de prævaricat. l. prævaricatores.* 212. *D. de verbor. Signif.* hic verò possit, cum non prævaricetur *dd. l.* & nihil faciat contra pactum: strictissime enim hujusmodi conventiones accipiuntur. *l. Quicquid.* 99. *D. de verbor. Oblig.*

4. Quibus postulationibus interdicitur ad certum tempus, ii elapso tempore ad munus postulandi possunt redire: nec distinguitur, quo crimine silentium sit irrogatum, ne pœna tempore determinata contra sententiæ fidem ulterius porrigatur. *l. Imperator.* 8. *D. h. l.* 1. *C. de his, qui in exil. d. vel ord. mot. sunt.* Duaren. 1. *pen. h.* Ratio dubitandi. I. Infames non postulant, nisi pro se & certis personis. *l.* 1. *§. Ait Prætor.* 8. *D. h.* atqui tempus non tollit infamiam, si causa talis sit, ex qua perpetuo infertur *l. Qui cum uno.* 4. *§. Ad tempus.* 4. *D. de re milit. l. Ad tempus.* 6. *C. de h. quib. irrogat. infam. junct. l. pen. D. de Decurionib.* Sequitur erit infallibiter, quod, si ad tempus interdictum cui sit postulationibus ex causa perpetuo infamante, etiam post tempus interdictionis à postulando is arcendus sit. II. Est expressus in contrarium textus *in l. Ad tempus.* 5. *D. de Decur.* ubi distinguitur inter crimen levius & gravius. III. Præstat distinguere, ut, si gravior pœna sit imposita quam lex postulat, cesset infamia & consequenter postulationum interdictio *l. Ordine.* 15. *D. ad municipal.* quasi per duriorem pœnam de negotio esset transactum. *d. l. Ordine.* 15. *l. Quid ergò* 13. *§. Pœna gravior.* 7. *D. de his qui not. infam.* modo ea non sic pecuniaria *d. §. pœna.* 7. Si verò levior vel ea, quæ legi est conveniens, non cesset infamia. *dd. ll.* Vid. Gloss. 11. *d. l. Imperator.* 8.

5. Qui-

5. Qui ob infamiam postulare nequit, si is restitutus sit à Principe, vel Senatu, non impeditur postea redire ad postulationes. *d. l. 1. §. De qua autem. 10. D. h. l. fin. §. fin. c. de sent. pass.* Rat. dub. I. Principis indulgentia non tollit infamiam. *l. fin. C. de gener. abolit. l. Generali. 7. C. de abolit.* II. Nihil potest princeps contra naturam, naturæ enim præcepta sunt immutabilia *§. pen. Inst. de Iur. nat. gent. & civil.* nihil contra jus & bonos mores. *l. Rescripta. 7. D. de precib. Imp. offer.* Contra naturam est, ut causa infamiæ sive delictum, ex quo est infamia, tollatur, cùm factum non possit fieri infectum. *l. In bello. 12. §. Facti. 2. D. de capt. & postlim. revers.* Et sic consequenter pugnat cum natura ut infamia, ipso ex facto nata cesset. Ius ipsum ac boni mores non permittunt, ut id, quod est per se turpe, non infamet.

Ex titt. C. de Advocat. div. Iud.

6. Vasallus, qui datus est ab eo, qui Iurisdictioni præest, advocatus, non amittit feudum, si postulaverit contra Dominum: Paruit enim Iudici in publica causa, in qua parere ei fuit necesse. *l. Providendum. 7. C. h.* & propterea nihil dolo facit. *l Non videntur. 167. §. 1. Reg. Iur. l. Iustè. 11. D. de acq. vel. amitt. poss.* Ita & Tutor patronam pupillæ in jus sine venia vocans ob muneris necessitatem excusatur à pœna temerariæ in jus vocationis. *l. Quæsitum est. 16. D. de in jus vocand.* Vti & contra fiscum, cujus est ipse patronus, postulare potest, *l. pen. D. h.* Admiserim & idem in Vasallo, qui in justa cum sine malitia præbet patrocinium Contra Dominum inique litigantem. Qui enim juris remediis legitimis legitime utitur, non facit injuriam *arg. l. Nullus. 55. l. Domus. 61. D. de reg. Iur. l. Graichus. 4. C. ad l. Iul. de adulter.* Ratio dubitand. I. Nemo pati debet, se advocatum dari contra Dominum suum: potest enim justè se excusare, ne vel offendat dominum, vel postea prævaricationis, si pro domino sententia sit lata, aut fraudis accusetur vel violare videatur Iuramentum.

tum *c. unic. versic.* Ego *Iuro. de nov. form. fidelit. junct. c. un. de form. fid.* Nec enim imponenda est advocato necessitas patrocinii in iis, ex quibus vel ipse injuriam, calumniam, damnum aut dispendium salutis sentire possit. II. Vasallus cum hoc casu amittit feudum, quod est beneficium. *c. un. In quib. caus. feud. amittat.* eodem jure, quo clericus amittit beneficium suum quod habet ab ecclesia, si postulet contra Ecclesiam. *c. fin. x. h.* III. Textus datur expressè contrarius *in c. un. §. Item. qui dominum. 2. vers. Illud tamen non lateat. versic. Item, si delator. ubi gloss. Quæ fuit prima causa benef. amitt.* IV. Vasallo non permittitur inimicis domini suas amicitias copulare, sicque versari, ut potius inimicus quam fidelis esse credatur. *c. un. Quot testes sint necessar. ad prob. feud. ingratitud.* Qui verò fit advocatus adversæ partis domini, jungit se inimicis Domini & magis inimicus quam fidelis Domini censebitur. V. Vasallus prohibetur in causa civili vel criminali testimonium dicere vel accusationem suam instituere contra dominum sub pœna privationis feudi, *c. un. de consuet. rect. feud.* Multo ergo minus poterit patrocinari alteri contra dominum. Facilius enim admittitur ad accusandum, qui suam injuriam exequitur, quam qui alienam. *l. Qui accusare* 8. *& seqq. junct. l. Hi tamen.* 11. *pr.* D. *de accusation.* Facilius admittitur, ut quis testimonium, quandoquidem necessitas, ut veritas haberi possit, postulat. *l. si quando.* 19. C. *de testib. t. t. x. de testib. cogend.* & veritatis occultatio est peccatum mortale. *c. Quisquis. caus.* 11. *quæst.* 3. Gail. 1. *Obsciv.* 100. perhibeat contra aliquem, quam alium defendat in lite.

7. Nullo modo poterit revocari donatio, si donatarius postulet contra donatorem legitimo modo & justa ex causa: cum qui justè justa agit, non peccet, nec injuriam inferat. Juris enim executio non habet injuriam. *l. Injuriarum.* 13. *§.* 1. *D. de injur.* Schneid. ad *§. Alias.* 2. *versic. sciendum. Inst. de donat.* Idemque sta-

tuo,

tuo, licet ex ea lite grave detrimentum in bonis suis senserit Donator. Ratio dubitandi. Revocatur donatio propter ingratitudinem, & non minimè est ingratus, qui causam donatoris dicit esse injustam & sic ejus honorem imminutum it, ac præterea jacturam infert non modicam patrimonio Donatoris. *l. fin. C. de revocand. donat. d. §. Aliæ. 2. versic. sciendum.* Extrema est impietatis linea affligere eum, à quo beneficium est præstitum. *arg. d. l. fin. & l. Servus ea lege. 7. D. de serv. exportand.* Vid. Gail. 1. *Observ.* 88. *n.* 6. 7. Panormitan. *in d. c. fin. x. h.*

8. Jurisperitus, qui advocati munere fungitur, consultus simpliciter ab aliquo & respondens contra consulentem, sine metu pœnæ prævaricationis aut falsi potest parti adversæ patrocinari. ne sit in potestate calumniosa consulentium nobilissimos advocatos, vel in suam sententiam protractos, vel contra se consilia dantes, reddere inutiles & sibi ipsis & parti adversæ. Defendendum etiam puto eum Iurisperitum, qui consultus, nec sufficienter instructus, à Titio pro eo respondit, &, cum ei suam operam non addixerit, instructus postea ab alio, melius eum informante, adversario advocatus fit. Modò nihil per malitiam & proditionem fiat. Nihil enim mali is committit, qui id sequitur, quod juris rationi maximè est consentaneum. *arg. l. Rom. non novam.* 14. §. 1. *C. de Iudic.* Nec est, quod conqueratur Titius sive qui consuluit jurisperitum in mala causa. non enim debet ipsi iniquitas prodesse, eaque Advocato vel adversario nocere. *l.* 1. *D. de dol. mal. l. factum.* 155. *D. de Regul. Jur.* Ratio dubitandi. Non debet Advocatus transire ad adversam partem, sed consulenti patrocinium denegare, si causam ejus injustam esse observat. *d. l. Rem non novam §.* 1. *versic. sed & si certamine.* Non verò ad partem adversam transeat, ne prævaricetur, vel saltem de prævaricatione fiat suspectus. *l.* 1. *D. de prævaric. l.* 1. *§. Is, qui deposita* 6. *D. ad l. Corn. de fals. l. prævaricatores.* 212. *D. de verbor. signif.*

9. Ad-

9. Advocatus, qui juravit alicui adsistere in causa, non est periurus nec puniendus, si causam injustam esse observans eam deseruerit. Non enim peccat, qui deserit litem ob injustitiam: Omnibus advocatis imponitur, ut, si intelligant causam bona conscientia non posse defendi, renuncient suo patrocinio. *d. l. Rem non novam.* §. 1. nec juramentum potest esse vinculum iniquitatis. *C.* 66. *de Regul. Iur. in* 6. *cap. cum contingat.* 28. *x. de Iurejurand.* Vide Menoch. 2. *arbitrar. quæst.* 494. *n.* 13. *& seqq.* Ratio dubitandi. Imò æquè est perjurus, violavit juramentum: vel saltem est puniendus, quòd temerè juraverit. Non debuisset jurare. Et fustigatur qui temerè juravit, vel petulanter. *l. si duo.* 13. §. *fin. D. de Iurejur.*

10. Advocatus bonam causam malis artibus non debet aut potest tueri. *d. l. Rem non novam.* 14. §. 1. Æquitas, in qua sola jus omne fundatur, *l. placuit.* 8. *D. de Iudic.* id non admittit. *l.* 1. *D. de dol. mal.* Nec tantum causam esse bonã sed & benè oportet omnia peragi, ut Hopperus. Paratur ea ratione occasio Advocatis sub prætextu bonæ causæ quaslibet technas meditandi & machinari. Nec sunt facienda mala, ut eveniant bona, secundum Doctorem & apostolum Gentium *Rom.* 3. *v.* 8. Vide Covarru. 1. *resolut. c.* 2. *n.* 1. Thom. Iosan. *lib.* 49. *syntagmat. c.* 6. *n.* 30. Gœdd. *in l Ea est natura.* 177. *D. de verbor. signific.* & ibi Alciat. Ratio dubitandi. I. Ex *c.* 1. *caus.* 4. *q.* 4. Ubi advocatis imponitur quovis modo ad fundandam & confirmandam suorum clientum intentionem amplificare merita causarum & adversariorum fundamenta extenuare. II. Non, si modo justa sit causa Belli, interest ad justitiam, utrum apertâ pugna an insidiis quis vincat. *c.* 2. *Caus.* 24. *q.* 2. *l.* 1. §. 3. *D. de dol. mal.* III. Nullibi est prohibitio in hac causa, de qua disputatio est: nulla pœna est in legibus, ergò concessum: quod enim non prohibetur, permissum esse censetur in prohibitoriis. *l. Mutus.* 43. §. 1. *D. de procurator. l. Cum*

prætor 12. *pr. D. de Iudic.* Nec etiam adversarius de ulla iniquitate potest conqueri vel ullo juris remedio adjuvari debet : cum, qui in leges ipse committit fovendo causam iniquam, non habeat præsidium in legibus. *l. Auxilium.* 37. *in fin. D. de minorib. l. Itaque fullo.* 12. §. 1. *vers. sed nemo. D. de furt.* Vide Rebuff. *in l. un. notab.* 9. *C. de sentent. quæ pro eo, quod interest. prof.* Dec. ad *l. Ea est natura. D. de Reg. Iur. n.* 3. Mynsing. 3. *Obs.* 6. Wesembec. *in paratit. de advocat. divers. Iudic. n.* 2.

11. Licet advocatus observet adversarium ejusve advocatum uti cavillationibus, non tamen patietur Clientem fraudibus uti, nec ipse utetur. *d. l. Rem non novam.* 14. §. 1. *D. de Iudic.* Sanctissima illa juris scientia *l.* 1. §. *Proindè.* 5. *D. de var. & extraord. cogn.* ac vera philolosophia. *l.* 1. §. 1. *D. de Iust. & Iur.* aversatur tam fœdam turpitudinem. Quis locus erit tutus, quæ causa erit excusata, si veneranda Iustitiæ templa malis moribus & nequitiis expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum bonæ fidei providebimus, si dolosæ Technæ ac fraudes in penetralia ipsa proserpant? Quid denique securum vel cautum esse poterit, si intemeratus ordo juris exercendi corrumpatur. *arg. l. si quemquam.* 31. *C. d. Episc. & Cleric.* si inde sit occasio injuriarum, unde Jura promanant. *l. Meminerint.* 6. *C. unde vi?* Omnia hæc fiunt, si sub prætextu improbitatis adversarii improbitatem committi ab aliquo arbitremur esse permissum. Ratio dubitandi. I. Vim vi repellere licet. *l. scientiam.* 45. §. *qui cum aliter.* 4. *D. ad l. aquil.* Cur non dolum dolo? Dolus enim & vis comparantur. *l. Item si.* 14. §. *Eum qui.* 13. *D. de eo quod met caus.* II. Dolus cum dolo compensatur, *l. si ambo.* 10. §. *Quotiens.* 2. *D. de Compensat. l. si duo.* 36. *D. de dol. mal.* Compensatio autem est permissa, imò ipso jure fit. *l. fin. D. de conpensat.* III. In *l. Cum pater.* 77. §. *Titio fratri.* 31 *in fin. D. de legat.* 2. docetur fraudem fraude posse licitè excludi: & in *l. Quia autem.* 6. §. *si patronus.* 8. *D. si quis omiss.*

cauſ. teſtam. & *l.* 1. §. 2. *D. de dol.* non committi fraudem nec præjudicium fieri alteri ab eo, qui ſui juris tuendi cauſa facit, quod alias per leges non poſſet facere. Magis eſt id prudentiæ, quam verſutiæ. Non fruſtra dictum à Salvatore: *Eſtote prudentes, ut ſerpentes. Matth.* 10. *v.* 16. Vide Alciat. 3. *præſumt.* 18. IV. Neceſſitas rerum ſæpè cogit, ut fiat, quod alias non poſſet fieri. *l. Generaliter.* 12. *verſ. neceſſitate. C. de Reb. credit.* Ita quoque excuſandus eſt propter neceſſiatem, qui malitiam malitia trudit & redarguit, cum aliter ſuperaretur per calumnioſam adverſarii iniquitatem. Vid. Covarruv. *d. c.* 2. *n.* 1.

12. Advocatorum officium eſt nobile & laudabile, vitæque hominum neceſſarium *l. Laudabile.* 4. *C. de Advocat. diverſ. Iudicum. l. Advocati.* 14. *C. de Advocat. diverſ. Iudicior.* Et id oportet maximè principalibus præmiis remunerari. *d. l. Landabile.* Ratio dubitandi. Non eſt hominum genus magis exitioſum & inviſum omnibus. Lites etiam inter proximos ſerunt: magno ære verba locant linguamque, quævis defendentes etjam injuſtiſſima, ipſam veritatem lacerant: Jura adulterant, ſua vel ignorantia vel malitia. Nec tantum inſidiantur omnibus privatis, ſed & populo bellum inferre & plebem adverſus patres patriæ clamoſitate ſua concitare non erubeſcunt. Vide Apollinar. *l.* 5. *Epiſt.* 7. Advocatorum ſi nares afflaverit uſpiam rubiginoſi auramarſupii, confeſtim videbis ibi & oculos Argi & manus Briarei, & Sphingarum ungues, & perjuria Laomedontis & Ullyſſis argutias, & Sinonis Fallacias, & fidem Polymneſtoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi. Sine judiciis actionbus & Cauſidicis ſatis fœlices fuiſſe teſtatus eſt urbes & futuras olim Columella. *lib.* 1. *de re ruſtic.*

13. Pauperibus cogitur advocatus inſervire gratis, ſi non ſoleat ex publico eo caſu ſalarium tribui. Imò, ſi id facere recuſat, privari poterit ſuo officio. *arg. l. Providendum.* 7. *C. h.* Id autem ſic accipio, ut, ſi pauper ob-

obtinuerit in causa & lucrum sit consecuturus, modicum advocato solatium detur. *arg. l. Fundus.* 51 *pr. D. famil. ercisc. l. Fructus.* 7. *D. solut. matrim.* Nec etiam ditandi sunt pauperes ex alienis laboribus. Vid. Gail. 1. *Obs.* 43. *n.* 11. *& seq.* Sot. *de Iust. & Iur. lib.* 5. *q.* 8. *artic.* 1. Covarruv. *practicar. quaest.* 6. *n.* 4. Ratio dubitandi. I. Nemo invitus cogitur ad defendendum alterum. *l. Invitus.* 156. *pr. D. de Reg. Iur.* Prout & nemo ad factum compelli potest. II. Non unus prae aliis onerandus est pauperum causis: Praestat, ut semper ex publico constituatur salarium & quidem modicum iis, qui pauperib. patrocinantur. Videtur huc facere, quod Praetor sibi reservaverit curam ac potestatem dandi advocatos, ut, cum daret eos simul de salario iis prospiceret. Hinc in multis dicasteriis solent aliqui constitui, quibus ordinarium adsignatur stipendium, ut pauperum causas tueantur. Vid. Boër. *decis.* 325. *n.* 1. *versic. Et in parlamento.*

14. Non verò est ferenda sententia eorum, qui pauperi sumtus arbitrantur simpliciter esse suppeditandos â parte adversa, si ditior sit. Crudele nimis est, quem compelli, ut arma det adversario. Huc facit *l. Imperatores.* 17. *D. de tutel. & ration. Distrah.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. fin. vers. Quod si ei. C. de ordin. cognit.* II. Ex *l. si, instituta.* 27. §. *fin. D. de inoff. testam.* Vid. Guidon. Pap. *quaest.* 461. Boër. *d. decis.* 325. *n.* 2. *post varios.*

15. Advocatorum, quibus annuum stipendium est vel ex conventione privatorum vel ex publica authoritate decretum, licet moriantur intra annum, heredes totius anni stipendium valide petunt. Id non tantum est probandum in Fisci patronis, sed & in quibuslibet. *l. Qui operas.* 38. *pr. &* §. 1. *D. locat.* Multo verò minus id, quod datum est, potest repeti. *l. fin. C. de condict. ob caus. dator. l.* 1. §. *Divus.* 13. *D. de var. & extraord. cognit.* Vide Mynsing. 3. *Observ.* 8. Gail. 1. *Observ.* 44. *n.* 12. Idem & ad Professores est extenden-

dum. Gail. *d. Observat. n.* 13. Ratio dubitandi. I. Id Fisci advocatis tantum est tributum. *l. post duos.* 15. §. 1. *C. de Advocat. diversor. Iudic. l. Iubemus.* 3. *in fin. l. Petitiones.* 5. §. *fin. C. de Advoc. divers. judicum.* II. Non videtur esse æquum, ut quis sine labore ac merito lucrum consequatur. Præstaret itaque totius anni pensionem dividi, hoc modo, ut pro rata temporis, quo vixit Advocatus, heredibus ejus assignetur portio ex annuo salario, reliquum verò tribuatur ei, qui Advocato in opera succedit. *arg. l. Sed addes.* 19. §. *fin. D. locat. conduct. l. Diem.* 4. *D. de offic. Adsessor.* III. Ut personalia omnia morte extinguuntur, *l. in omnibus.* 68. *D. de Regul. Iur. l. Usus aquæ.* 21. *D. de usu & habitat. l. si habitatio.* 9. *D. Quand. dies legat. ced.* ita quam maximè officium Advocati ac consequenter salarium, quod ratione officii præstandum est. IV. Absurdum omnino est, ut Cliens duplex solvat salarium, & heredibus Advocati mortui & Advocato vivo, qui caussam tuetur. V. Imò heredes Advocati nihil consequuntur. *l. Petitionem.* 13. *C. de Advocat. diversor. judicior.* Vide Vaud. 1. *quæst.* 7. Cujac. *lib.* 4. *Responsor. Papiniani*, *ad d. l. Diem.* 4.

Ex titul. Codic. de errore Advocator.

16. Clientibus absentibus non præjudicant ea, quæ Advocati vel confessi sunt vel proposuerunt, modò error demonstretur: Verum, si fuerint præsentes, nocent, si quidem incontinenti, i. intra triduum, non contradixerint. *l. fin. C. h.* Ratio dubitandi. I. Non debet permitti, ut revocentur ea, quæ ab Advocatis sunt allegata, cum sint os ac Instrumentum Clientum eorumque vicem propter mandatum sustineant: Ita, quæ per procuratores sunt gesta, non possunt rescindi. *l. si procurator.* 10. *vers. Quod si plenam. C. de procurator.* Interestque publicè, ne elusoria reddantur judicia. II. Conquerantur, qui per Advocatos se

se læsos arbitrantur, de se. *l. Cum mandatu.* 23. *in fin. D. de minorib.* III. Imò licet semper, ac indefinitè, in eodem judicio ante sententiam, corrigere errorem, licet ipsi Clientes vel Advocati perperam quid pronunciaverint. *§. si quis aliud.* 35. *Inst. de action.*

Ex tit. C. ut quæ Advocat. des. Iud. suppl.

17. Ea quæ Juris sunt debet Iudex supplere. *l. un. C. h.* & ibid. DD. Imò & aliquandò ea, quæ sunt facti, non quidem temerè. & quovis modo, sed interrogando, inquirendo, si dubitet. *arg. l. Age cum Geminiano.* 3. *vers. Iudex. C. de Transact. l. Vbicunque.* 21. *D. de Interrog.* Imò & aliquandò addendo vel mutando. Nec enim Iudex muta persona erit in Iudicio, sed ita aget, ut veritatem diligentissimè investiget, ne ex sua negligentia aut silentio malè judicet. Ratio dubit. I. Communis est sententia, quod ea, quæ facti sunt, non pertineant ad officium Iudicis, Ultra ea enim, quæ in judicium deducta sunt, excedere potestas Judicis non potest. *l. ut fundus.* 18. *D. Comm. divid.* Ac sententiam oportet esse conformem libello *l. fin. C. de fideicomm. libertat.* Non verò est conformis libello, si Iudici sit permissum quid addere vel detrahere. II. Imputent sibi litigantes, quod non rectè sua altegaverint. III. Est absurdissimum, ut idem & partes Advocati obeat, & Iudicis. *l. Quisquis.* 6. *pr. C. de postul.* Et si permitteretur, ut Iudex supplere posset factum, sub eo prætextu infinita mala committi possent à Iudice. IV. Receptum ubique Iudicem non impertire suum officium, nisi fuerit rogatus. *arg. l. Dies.* 4. *§. Hoc a.* 8. *D. de damn. infect.*

Ex tit. D. & C. de his, qui notant. infam.

18. Non tantum est infamia Juris, sed & facti. Facti, per quam apud graves & honestos viros existi-

matio imminuitur. Hujus definitio eſt *in l. Honori 2. ff. de obſeq. par. & patron.* Nomen, *in l. verum eſt. 39. in fin. D. de ſuct. l. Fratres. 27. C. de Inoff. teſtam.* Exempla, *in l. Ea, quæ. 13. C. l. ob ea. 20. l. Ictus fuſtium. 22. D. h. d. l. honori. 2.* Effectus, in teſtimoniis. *l. Teſtium. 3. Verbis: Et an honeſtæ an & inculpatæ vitæ, an notatus quis & reprehenſibilis. D. de Teſtib.* in querela Inofficioſi, quæ contra fratris, qui turpem inſtituit heredem, teſtamentum movetur, *d. l. Fratres. 27. verbis: ſi ſcripti heredes infamiæ vel turpitudinis, vel levis notæ macula aſpergantur. C. de inoff. teſt.* in dignitatibus. *l. Neque Famoſis. 2. verbis: aut vitæ turpitudo inquinat, aut quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat. C. de dignitat. l. Eos. 12. verſ. Inhoneſtum. D. de Decur. junct. l. Ictus.* Vide Duaren. *ad h. tit. c. 2. & 1. diſp. 2.* Gœdd. *in l. 41. n. 9. D. de verb. ſignif.* Heig. *part. 1. q. 21. n. 4.* Ratio dubitandi. I. Uti Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus & ex legibus & moribus comprobatus. *l. Cognitionum. 5. §. 1. D. de var. & extraord. cognit.* ita non hominnm opinione, quæ eſt fallax, læditur ſtatus exiſtimationis, ſed lege ſcripta & moribus. i. Conſuetudine. Ubi itaque non probatur, quod lex vel conſvetudo notet factum infamiâ, ibi non erit infamia. Infamiam verò facti lex non irrogat. *d. l. Ob ea. 20. d. l. Ictus. 22. d l. Ea, quæ 13. l. Nullam. 14. l. Verbum. 17. C. h.* II. Separatur ubique infamia ab iis, quæ famam apud honeſtiores ſugillant. *l. Sed ſi hac lege. 10 §. Prætor. ait. 12. D. de in jus vocand. d. l. Fratres. 27. C. de inoff.* Vide. Donell. *18. Comm. 6.* Niell. *2. diſput. Theſ. 6. lit. d.*

19. Qui certò & notoriè dant fœnori illicito ac improbo operam, ſunt infames. *l. Improbum. 20. C. h.* Et quidem ipſo jure. Nullum enim genus hominum turpius ac fædius. Violant leges publicas: pietatem in Deum & Charitatem erga proximum offendunt. Ratio dubitandi. I. Nulla lex eos eo modo notat: Imo *in d. Improbum.* irrogandam eſſe, verbis in futurum & ſententiam ſecuturam conceptis, non irrogat

ipſo

ipso jure infamiam &, quod minus est, non irrogandam ipsam infamiam, sed ejus maculam, rescribunt Impp. II. Semper est eligenda pœna mitior, si non satis sit expressa. *l. Interpretatione.* 42. *D. de pœn. l. Factum.* 155. *§. fin. D. de regul. Iur.*

20. Trapezitæ. qui publica authoritate fœnus sub pignoribus majus, quam privatis ordinario est permissum, exigunt, non sunt infames. Improbum enim fœnus dici nequit absolutè, quod publica lege concessum est. *arg. l. Grachus.* 4. *C. ad l. Iul. de adult. l. Iustè.* 11. *D. de acq. vel amitt. possess.* Etsi quidem non meum sit de potestate & æquitate eorum, quæ à magistratu geruntur, disputare, iisque, qui præscribendi pœnas & jura habent potestatem, dictare leges: tamen in hac causa, de qua differo, magis probo decretum illorum magistratuum, qui nihil in publicum conferendum à Trapezitis postulant, sed minimo precio elocant mensas, quam illos, qui summam immodicam semel in usum publicum & quotannis certam ad pauperes sustentandos sibi repræsentari pactis suis cavent. Publica commoda non sunt promovenda per graviores, quæ egenis vel potius egentibus imponuntur, usuras. Pauperes non sunt adjuvandi pauperum & tantum egentium sanguine. Pugnat id cum pietate. Sacrificantis ex injusto oblatio ridicula est, nec Deo placitura sunt iniquorum dona. Non placent Altissimo oblationes impiorum, neque is multitudine sacrificiorum placatur peccati nomine. Mactat filium coram patre suo, qui offert sacrificium de pecuniis pauperum. Panis vita est pauperum, quem qui adimit, homo sanguinis est. *Ecclesiastici. c.* 34. *v.* 21. *& seqq. c. Immolans.* 2. *caus.* 14. *quæst.* 5. Augustinus. *libr. de verb. domini.* monet, ne fiant Eleemosynæ ex fœnore & usuris, aut ex quolibet malè acquisito, quod in sacro Codice prec um caninum appellatur. *Deut.* 23. *v.* 18. *c.* 1. 2. *x eod.* Imò nec à Divitibus quid per iniquitatem subtrahendum, ut Pauperes ex eo alantur. Hujusmodi cogitationem à

Diabolo ſuggeri, docet textus, *in c. Fortè aliquis. 3. d. quæſt.* Nam etiamſi totum, quod abſtuleris, tribuas pauperibus, addes (ſcilicet per hypocryſin) potius peccatum, quam minues. *d. c. Fortè. in fin.* Ea eleemoſyna Redemtoris noſtri oculis placet, quæ ex licitis & benè acquiſitis impenditur. *c. Eleemoſyna. 7. eod.* Uti ex iis, quæ habentur *Lucæ* 19. patet. Illuſtre hujus rei exemplum præbuerunt inclyti Ultrajectini, qui nimo, quo fieri potuit, addixerunt ad certum tempus certaſque, quæ iis optimæ ſunt viſæ, conditiones, publicum trapeziticæ menſæ exercitium. Etiam aliis modis nimiam fœnus exigendi poteſtatem aliæ urbes bono publico refrænarunt, fregerunt. Optimè id factum. Ratio dubitandi. I. Totum hoc negotium eſt relinquendum arbitrio magiſtratus, qui pro uſu & ex neceſſitate conſtituit jura ac decreta ſubditis ſuis convenientia, quæ ut ordinationes Dei ſunt recipiendæ. *Roman.* 13. II. Quiſque ſuos ſuſtentet pauperes, non opus eſt menſis publicis: Erigantur montes pietatis & fiant publicæ privatæque contributiones. III. Omnis uſura eſt à Deo prohibita. *Pſal.* 15. Itaque omnes trapezitę, quia improbum & à Deo prohibitum exigunt fœnus, ſunt in fames. *d. l. Inprobum.* 20. *C. h.*

21. Qui bonis ceſſerunt non ſunt infames nec jure nec facto, ſi per adverſitatem fortunæ in neceſſitatem cedendi inciderint, ſine ſua culpa: Vbi enim non malitia, ibi nequit eſſe juris infamia: ubi non eſt culpa, ibi ceſſat infamia facti. *l. Debitores.* 11. *C. h. l. fin. C. qui bon. ced. poſſ.* Cujac. *in Nov.* 4. *&* 135. Hotom. *quæſt. illuſt* 26. Si vero Debitores in culpa fuerint, non jure, ſed ſolo facto ſunt infames. *arg. l. Quod nerva.* 32. *D. depoſit.* Si dolo ac ex malitia decoxerint patrimonium, & ſuppreſſerint libros ac rationes vel res, ac eo nomine ſint damnati, juris infamia ac ſupplicio graviori ſunt afficiendi. Hi ſunt fures ac pejores furibus, ergo & ex hac cauſa ſententiam paſſi fiunt infames. *l.* 1. *D. h.* Qui non ſunt damnati, fiunt facto

facto tantum infames. Vide Cujac. *d. loc.* Hotom. *d. quæst.* Ratio dubit. Semper ſunt infames qui bonis ceſſerunt. Appellatur n. ipſa ceſſio ſimpliciter ignominioſa. *Nov.* 135. *c.* §. 1. *Inſt. quib. ex cauſ. manum. non lic.* Ipſa quoq; fama ac exiſtimatio cum bonis poſſideri dicitur, & ſi non de jure, tamen de facto & ſecundum opinionem hominum. II. Conſuetudo, optima legum interpres, edocet nullum iis inferri infamiam. III. Leges juris civilis non diſtinguunt, ſed definite liberant cedentes ab infamia, *d. l. fin. C. Qui bon ceder. poſſ.* Iuſta equidem ratione. 1. Quia beneficium juris non ſolet infamiam irrogare. *arg. l.* 6. *C. de legib.* 2. Quia iis, qui doloſe conſumſerunt vel cœlant bona, non datur hoc beneficium, ſi creditores ſe opponant, ne malitiis indulgentia aut patrocicinium paretur. *l.* 1. *D. de dol. mal. l. in fundo.* 38. *D. de Rei vindicat* 3. Quia, ſi ex conſenſu creditorum conſequantur tales ſcurræ hoc beneficium, non poſſunt dici infames, quoniã, cum remiſſa eſt pacto expreſſo vel tacito actio ſive accuſatio, ex qua eſt infamia, ea ipſo jure ceſſat. *l. Si tibi.* 17. §. 1. *D. de pact.*

22. Condemnatus ex judicio tutelæ, ſocietatis, & ſimilibus, quibus per ſententiam infertur infamia, non fiet infamis jure, ſi non verum dolum, ſed latam culpam commiſerit. Non enim in capitalibus, uti apparet ex *l.* 7. D. *ad l. Cornel. de ſicar.* nec in cauſis infamiæ, quæ & ſuo modo capitales ſunt cauſæ. *l. licet.* 103. *D. de verbor. ſignif.* nomine doli venit lata culpa. Durum & inauditum eſſet, ut quis ex negligentia juris infamia notaretur: Fraus quippe conſilium deſiderat. *l. Fraudis* 79. *D. de Regul. Iur.* In negligentia nullum eſt conſilium fraudandi: At in hac cauſa requiritur dolus *l.* 1. *d. l. Athletas.* §. *fin.* D. *h.* Accedit, quod odia ſint reſtringenda. *c. odia. de reg. jur. in* 6. pænalia debeant molliri interpretatione. *l. Interpretatione.* 42. *D. de pœn.* Ratio dubitandi. I. Vbique non tantum in contractibus, ſed & in pænalibus lata culpa ſub nomi-

 ne do-

ne doli comprehenditur. In contractibus *l. Contractus* 23.D.*de Regul. jur.l.* 1. §.1. *D. Si mens. falsum mod. dixer. l.* 2. *C. de in lit. Iurand.* In delictis. *l. Si. fortuitto.* 11. *D. de incend. ruin. naufrag. l.* 1. §. *non alias.* 2. D. *Si is, qui testam. lib. ess. juss. fuer.* II. Propter ignorantiam juris quis fit infamis. *l. liberorum.* 11. §. *fin.* D. *h.* Ignorantia verò juris non habet dolum, sed latam culpam, si sit jus obvium, vel levem, si jus non sit ita notum. Donell. 1. *Comm.* 22. Coras. 4. *miscell.* 17.

23. Non notatur condemnatus ex causa famosa alieno nomine, utputa procuratorio, vel hereditario si defunctus fuit conventus. *l. Furti.* 6. §. *Si quis alieno.* 2. *D. h.* Et ut quis evitet infamiam, datur consilium, ut per procuratorem litiget, Sed non video, qua ratione fur, qui injuriam intulit, Tutor, socius & similes, qui ob dolum conveniuntur, possint evitare infamiam, si lis per procuratorem peragatur: cum actio judicati detur contra dominum *l. Si se non* 4. D. *de Re judic.* Vti Causa infamat delinquentem. *l. Ictus.* 22. D. *h.* non verò ordo judicii personam litigantem. *d.* §. *si quis alieno.* 2. ita Causa ab infamia liberat, non substitutio personæ. Ratio dubitandi. I. Ex *l. fin* C. *de injur.* II. Consuetudine est receptum, ut ab infamia, qui in causa injuriarum per procuratores litigant, liberentur. Vide Bus. *in d.* §. *si quis alieno.* DD. ibid.

24. Infames non possunt in ordinem procuratorum, qui publicè ad hoc officium eliguntur, recipi. *c. infames.* 2. *caus.* 3. *quæst.* 7. quod & communiter observari docent Gail. 1. *observ.* 43. *n.* 7. 8. Wesembec. *in paratit. l. de procurat. n.* 4. Est enim eorum munus præclarum. Absurdum esset judices & ipsa Tribunalia cingi turpi ac infami hominum colluvie. Hanc ob causam etiam prætor dignitatis suæ tuendæ, suique decoris causâ, proposuit edictum, ne sine delectu passim apud se postularent. *l.* 1 *pr. D. de postul.* & rejecit eos, qui infamia laborabant. *d. l.* 1. § *De qua.* 10. D. *eod.* Sentio Romanos nunquam etiam admisisse procuratores

tores ad lites eos, quos lex vel edictum notarat. Paul. 1. *Senent.* 2. ubi Cujac. Vide Anton. Fabr. *in rationalib. ad l. 7. D. de recept. arbitr.* Ratio dubitandi. Non licet procuratori obiicere exceptionem infamiæ. §. *fin. Inst. de Except.* necessariò itaque concluditur fuisse admissos infames. II. Officium procuratorum appellatur vilitas infamissima: procuratores, qui mandata suscipiunt, existimationem suam servili obsecundatione damnasse dicuntur. *l. Si quis procurationem* 34. *c. de Decurionb.* Vide Hotomann. *in d. §. fin. Inst. de Exceptionib.*

25. Etiam is, qui ex lege aquilia condemnatus est, ignominiosus fit, si ex ea ob dolum, & suo nomine sententia fuerit lata. Nulla enim causa est, ob quam dolus magis excusaretur in hoc delicto, quam in furti, injuriarum, & nonnullis contractibus, & in actione de dolo. *arg. l.* 1. D. *h.* Ratio dubitandi. Nusquam relatum est quicquam de hac causa. Fit tantum mentio *in l.* 1. *l. athletas.* 4. §. *fin. & l. seq.* D. *h.* aliisque locis, §. 1. *Inst. de pœna temer. litigant.* doli, Furti, rapinæ, injuriarum. Nec enim potest cuiquam ascribi infamia Iuris, nisi illi, cui lex eam imponit. *l. Cognitionum.* 5. §. 1. D. *de var. & extraord. cogni.* vide Hotomann. *in.* §. 1. *Inst. de pæn. tener. litigent.* Donell. 28. *comm,* 8.

26. Ulpianus *in l. Quid ergò.* 13. §. *pœna gravior.* 2. D. *h.* duo proponit. Primum est: Ultra legem imposita pœna gravior existimationem conservat. Alterum: Iudex in causa furti non manifesti, si in quadruplum condemnavit, non videtur conservasse damnato existimationem. Vide *Donell.* 18. *Comm.* 8. Ratio dubitandi circa primum I. Sententiæ contra leges & ultra eas latæ nullius sunt momenti. *l. si cum inter.* 2. *C. Quand. provoc. non est necess. l.* 1. §. *Item cum.* 2. D. *Quæ sent. sin. appell. rescind.* Itaque non hæc valebit, qua pœna gravior ultra legem est imposita. II. Non est in potestate Judicis, ut ordinem juris mutet. *l.* 1. §. 1. D. *de feriis.* Ejus est secundum leges, non ultra, non contra eas judicare in pœnalibus, *l. Perspiciendum.* 11. D. *de*

pœn.

pœn. Nec eſt permittendum Judici, ut ulla in re gratificetur huic vel illi. Reſpectus perſonarum in judicio maxime eſt prohibitus *Exod.* 22. *v.* 21. 22. *Deuteron.* 16. *v.* 19. Circa ſecundum eſt ratio dubitandi. Non poteſt reddi ratio juſta, cur aliud in pecuniaria quam alia pœna ſit ſtatuendum, cum pecunia ſit quaſi ſanguis ſecundus.

EXERCITIUM XVIII.

Reſp. CHRISTIANO PETRO THODE, Stadenſi.

Ex tit. C. & D. de procuratorib. & Defenſorib.

THESIS PRIMA.

PRocuratorem in rem ſuam rectè conſtituit, invito vel ignorante debitore, creditor. *l.* 1. *C. de novat. & delegat. l. Nominis.* 3. *C. de hered. vel act. vendit.* ac actionem ſibi competentem cedit. *l. fin. C. eod. l.* 1. *C. de novation.* Debitor verò alium non poteſt debitorem ſuo loco ſubſtituere *l, Ratio juris* 2. *C. de hered. vendit. l. Debitorum.* 25. *C. de pactis,* Ratio dubitandi. I. Imò creditor non poteſt ſubſtituere alium in obligatione: cum pacta non excedant perſonas paciſcentium. *l. Si unus* 27. §. *pacta.* 4. D. *de pact.* & perſona, quæ eſt in obligatione, vel conditio ſtipulationis non poſſit immutari *l. vero.* 12. §. *pen.* D. *de ſolution.* nec debeat durior adverſarius obtrudi. *l.* 1. *& t. t.* D. *de alienat. ind. mutand. cauſ. fact.* II. Non debet actori licere, quod reo non eſt permiſſum. *l. Non debet.* 41. D. *de Regul. Jur.* Debitori ergo permittetur alium ſuo loco offerre debitorem, quandoquidem correlatorum eſt eadem ratio. *l. fin.* C. *de indict. viduit tollend.* & par debet eſſe conditio contrahentum; & quod juris creditor in ſe puta-

putaverit æquum, etiam idem in debitore approbare tenetur. *l.* 1. *pr.* & §. 1. D. *quod quisque jur.*

2. Minor, licet non habeat curatorem, ad lites procuratorem dare non poteſt, ſed curatorem, ſi non eligat, invitus accipit. §. *Inviti.* 2. *Inſt. de Curator.* &, ſi de facto dederit, valebit ſententia in commodum lata, *l. Non eo minus.* 14. *D. h.* Dici autem non poteſt ſententia contra eum. *l. acta.* 45. §. *fin. d. de re indicat.* & ſi dicta fuerit, non nocebit. *d. l. non eo minus.* 14. Id in pupillo quoque eſt affirmandum, *arg. D. l. Non eo minus.* Vid. Vant. *De nullitat. cap. de nullit. ex defect. mand. Sichard. in d. l. non eo minus.* Ratio dubitandi, I. Minor poteſt dare procuratorem, ut patet ex textu *in l. Si minores.* 2. §. *Hæc autem.* 4. D. *Qui pet. tutor.* Et magis id ei eſt permiſſum, cum poſſit ſine curatore ex contractu obligari. *l. puberes.* 101. *D. de verbor. obligat.* Minus autem periculi eſt in conſtitutione procuratoris ad litem in judicio, quo omnia judice authore & inſpectore aguntur ſyncerè & difficilis eſt occaſio fallendi, quam in contractibus, in quibus captiones frequentiſſimæ. *l.* 1. *pr.* D. *de mimorib.* II. Minor ipſe ſibi poteſt eligere Curatorem ad adminiſtrandas omnes fortunas ſuas, *d.* §. *Hæc. autem.* 4. non ergo prohibebitur in re ſingulari eligere procuratorem. Minor poteſt eſſe procurator alterius, *l. cum mandatu.* 23. *D. de Minor.* Nulla ergo ratio impediet, quo minus det ipſe procuratorem: cum minus ſit dare procuratorem privatim, quam munere procuratoris, quod eſt publicum. *l. Fœminæ.* 2. *D. de Reg. jur.* fungi. III. Videtur iniquum, ut ſententia pro minore pronunciata vires habeat, non a. ſi contra eum ſit dicta. quandoquidem minor communi jure eſt uſus coram judice & ſic non poteſt dici eſſe circumſcriptus. *l. fin.* C. *de reſtitut. minor.* & publicè intereſt, ne ſententiæ ex caſu valeant vel non valeant, vel claudicent ac ex alieno arbitrio dependeant. Satius eſt non convelli authoritatem judicis, quam audiri in talibus minorem. *l. Aut. prætor.* 7.

tor.7.§.sed & si ei.2 in fin. D. de minor. Sententiam quoque valere manifestum est ex eo, quod restitutio detur *t. t. C. Si advers. senten.* Vbi enim restitutio est, ibi actus fuit validus. IV. Commodè potest accipi *d.l. non eo minus.* de eo casu,quo minor fæmina curatorem habuit, & dedit maritum procuratorem, ut sine curatore ageret, uti indicant verba legis. Ex quo sequitur, argumento à contrario sensu assumto, quod, si curatorem habuerit, datio procuratoris & consequenter sententia valeat contra minorem.

3. Si fuerit per falsum procuratorem causa agitata, nec dici sententia potest, nec potest esse judicium. *l. licet in principio.* 24. *D. h.* nisi antequam de falsitate adversarius sit contestatus, dominus ratum habuerit, quod procurator falsus egit. Id enim si sit actum, videtur retrò res in judicium esse deducta. *l. licet.* 56. *D. de judic. l. fin. C. ad Sc. macedon.* Quod sic accipio, ut ea ratihabitio non tantum possit fieri pendente judicio. *arg. d. l. licet.* 56. sed & post sententiam. Nec tantum in detrimentum *arg. l. cum minor.* 3. *§. Falsus. D. de Except. rei imdicat.* sed & in commodum. *arg. d. l. licet.* 56. *arg. d. cum minor §. Falsus.* Si enim in suum detrimentum possit ratam habere sententiam, non est justa causa, cur etiam non posset in commodum suum *d. secundum.* 10. *D. de Regul. Iur.* Accedit pro hac sententia textus specialis *l.* 1. *C. Quib. res judic. non noc.* & generalis *in d. l. fin. C. ad SC. Macedon.* Vt colligam omnia, hæc est de hac re regula, quod possit habere locum ratihabitio & pendente judicio & post sententiam: probanda ergò est exceptio ab hac regula per eos, qui contrarium statuunt. Vide DD. *in d. l. licet.* 56. Gail. 1. *observat. num.* 47. Ubi inquit eleganter, etiam post decendium fieri posse ratihabitionem: & imputare sibi partem adversam debere cur mandatum diligentius non examinaverit & exceptionem falsi procuratoris non objecerit. Quibus accedit, quod, quando est aliquid nullum tantum ex defe-

defectu consensus, illud superveniente consensu retrò validetur. *d. l. fin. c. Ratihabitio. de Reg. Iur. in.* 6. *l. si fundus.* 16. §. 1. *D. de pignorib.* Bartol. *in l. si tutor. C. in quib. caus. rest. in integr. non est necessar.* Vid. Guid. Pap. *decision.* 320. *num.* 3. Ratio dubitandi. I. Cum procurator est falsus, non possunt controversiæ dici, judicium est, nullum. *d. l. licet.* 24. *C. h.* Si ipsum judicium jure ipso nullum, sunt & nulla, quæ sunt subsecuta. *l. Non est dubium.* 5. *C. de legib.* II. Malitiis hoc modo indulgeretur, quia dominus approbaret, si utilis esset sententia, non approbaret, si sententia noceret. Malitiis autem non est indulgendum. *l. in fundo.* 38. *D. de Rei vindicat. l.* 1. *D. de dol. mal.* III. Iniquum est, ut Domino sit actio judicati mecum, si velit, mihi non sit actio, si nolit. *l. Prætereà.* 3. §. *fin. infin. D. mandat.* ut is commodum habeat sine incommodo. *l. secundum,* 10. *D. de Reg. Iur.* & absurdum est in genere, ut sit inæqualitas in judiciis. *l. fin. C. de fructib. & lit. expens.* IV. Ratihabitio non potest quicquam operari, nisi res sit in eo statu, ut peti possit. *l. Bonorum.* 24. *D. Rem rat. haber.* post sententiam non amplius petitur & judicis officium est finitum. *l. Iudex.* 55. *D. de re judic.* Vide Fach. 8. *controv.* 61. Myns. 1. *Obs.* 24.

4. Non est ambigendum, quin etiam ad lites procurator dari possit, qui minor est viginti quinque annis. *l. Cum mandatu* 23. *D. de minoribus.* imò etiamsi non impleverit decimumseptimum annum: modò intelligat quid agatur. Debet enim sibi imputare dominus, quod tali commiserit suam causam. *d. l. Cum mandatu.* Huc facit regula. Qui non prohibetur esse procurator, potest admitti. *arg. l. Mutus & surdus.* 43. §. 1. *D.* 5. Impubes solus prohibetur. *l. fœminæ.* 2. §. *Item Impubes* 1. *junctis verbis. procuratores existere. in pr. ibid. D. de regul. Iur.* Ratio dubitandi. I. Is, qui minor est vigintiquinque annis, non potest alieno nomine agere vel defendere, 1. Ob *l. Minor.* 51. *D.* *l. Exigendi,* 12. *C. h.* 2. quia proprio nomine non habet le-

bet legitimam personam in judicio standi. *l. in rebus.* 2. *C. Qui legitim. person. stand. in judic.* nec ergo alieno: cum incivile sit, ut qui suis negotiis superesse nequit, alienis supersit. §. *Item Major.* 13. *in fin. Inst. de Excusat. tutor. l.* 1. *pr. &* §. *fin. D. de minorib.* 3. Obstat jus canonicum. *c. qui generaliter* 5. *h. in* 6. 4. Absurdum est admitti minorem ad judicium quià propter restitutionem in integrum judicium reddere-tur elusorium, quod fieri non debet. II. Non potest esse procurator, qui minor est septendecim annis. §. *Iustæ.* 5. *Inst. de quib. ex caus. manumitt. non licet. l. si collactaneus.* 13. *D. de manumiss. vindict. l.* 1. §. *Initium.* 3. *versic. Pueritiam. D. de postuland.* Vide Cujac. *in d.* §. *Iustæ.* 5. Arum. 1. *Exercit. Thes. fin. D. Sand. decis. Firilsicar.* 1. *tit.* 3. *defin.* 3.

5. Mulier, ut generaliter ad lites mandatum sibi datum non potest exequi. *l. fœminæ.* 2. *D. de regul. Iur.* ita nec pro liberis procuratorio nomine agere. *l. alienam.* 18. *vers. filio. C. h.* Ratio dubitandi. I. Non est interdictum fœminæ, ut pro filio, nomine procuratorio, interveniat in *d. l. alienam.* sed hoc tantum ibi indicatur, quod præstet dari filio curatorem. II. Potest filia pro parentibus morbo, ætate impeditis agere. *l. Fœminæ.* 41. *D. h.* multo magis ergò pro liberis, qui ob ætatem res suas administrare nequeunt, cum plus ament fœminæ liberos, quam parentes: Et liberi impuberes minus sua possint expedire, quam parentes, quibus judicium est integrum. III. Potest mater curam suscipere legitimam. *Nov.* 118. *c.* 5. nihil ergò prohibet patrocinium suscipere ex mandato. Plus est curatorem quem esse posse, ad omnia administranda, quam procuratorem ad litem aliquam specialem. Ita minor potest esse Procurator *l. cum mandatu.* 23. *D. de minorib.* non Curator. §. *Item major.* 13. *Inst. De Excusat. Tutor. l. fin. D. de legitim. tut.*

6. Possunt admitti nonnulli ad alienam litem agendam vel defendendam sine mandato, I. Liberi, in causa

causa parentum. II. Parentes in causa liberorum. III. Fratres in causa fratrum vel sororum: IV. Affines scil. quæ sunt loco liberorum, parentum aut fratrum. V. Liberti. *l. sed & hæ personæ.* 35. *pr.* D. *h.* Nec ad cognatos id extendendum est; est enim hoc jus singulare, quod non solet vel potest in consequentiam trahi. *l. Quod vero.* 14. *& seqq.* D. *de legib.* Accedit, quod & JCto in *d. l. sed & hæ.* 35. non fuerit propositum simplicem & generalem proponere regulam, sed enumerare personas, quibus ex speciali legis indultu est permissum alieno nomine sine mandato agere, vel defendere: ut indicatur per verba: *Hæ personæ.* Vide Angel. Fulgos. Giphan. in *d. l. sed et hæ.* 35. Ita verò est hisce sine mandato agere permissum, si fiat cautio de rato. quod non tantum in filio est. *l. Exigendi.* 12. C. *h.* sed & in aliis. Duar. *h. c.* 8. *in fin.* Peck. *de jur. sist. c.* 3. *num.* 10. Ratio dubitandi non una. I. Imò & latissimè ejusmodi prærogativa est accipienda. cum omnium agnatorum & affinium fiat mentio in *l. Patri.* 27. §. 1. D. *de minorib.* II. Licet cujuslibet conditionem facere meliorem. *l. Solvendo.* 39. *D. de negot. gest.* Non ergò sunt prohibendi ulli cognati, si vel absenti vel alias impedito velint gratificari.

7. Sub hisce personis amicum extraneum quamvis optimum ac primarium, qui definitur in *l. latæ.* 223. *§.* 1. *D. de verbor. signif.* non comprehendemus. Amicus enim pro amico agere volens sine mandato non audietur, licet & de rato caveat. Nusquam enim id amico permissum est. *arg. l.* 1. D. *de Procurat. pr. Inst. per quas person. ager. poss.* sed tantum certis personis *d. l. sed & hæ personis.* Privilegia & beneficia personalia non egrediuntur personas. *l.* 1. *in fin. D. de Const. Princip.* Vide Giphan. in *d. l. sedet hæ.* Gail. 1. *observat.* 133. *n.* 2. *&* *lib.* 2. *de pac. publ. c.* 10. *n.* 28. Ratio dubitandi. I. Quilibet amicus aliena negotia potest gerere. §. 1. *Inst. de Obligat. quæ ex quas. contract. l. Tutori.* 20. *verbis: huic autem propria voluntas finem facit.* C. *de negot. gest.*

Debet ergò audiri, maximè cum offerat cautionem de rato, ſub qua & auditur falſus procurator, qui nullum habet mandatum. *l. Quo enim.* 12. §. 1. D. *Rem rat. haber.* II. Eadem eſt ratio in amicis, quæ eſt in fratribus, & maxima fides ac ſynceritas inter extraneos amicos: undè amici, Fratres appellantur. *l. nemo.* 58. §. 1. D. *de hered. Inſtituend.* Socii amici Ius fraternitatis quodammodò in ſe habent. *l. Verum eſt.* 63. *in fin. princ.* D. *pro ſoc.* Eandem gerunt animam duobus corporibus, ſecundùm Ariſtotel. Sociatus labor commilitii in bello, peregrinationis in ſtudiis & obeundorum munerum conſortium affectioni fraternæ multum addunt, quinimò vice mutua chariores ſibi invicem redditū. *l. cum allegas.* 4. *C. de Caſtrenſ. pecul.* Hinc eſt, quod ex ſola dilectione ſuſtineatur fideicommiſſum. *l. In teſtamento.* 38. *D. de fideicommiſſ. libertat.* Vide Sichard. in *l.* 12. *C. h. n.* 6. Coraſ. 3. *de art. jur. c.* 22.

8. Magiſtratus poteſt agere pro ſuis ſubditis ſine mandato: Eſt enim loco Patris vel Tutoris, & intereſt ejus maximè ſubditos habere locupletes *Nov.* 8. *in præf.* §. *Cogitatio.* 1. *verſic. Conſideravimus.* Id autem non de ſingulis, ſed de univerſis vel parte magna Civium, ſive corporibus & collegiis in civitate accipio. Sunt enim pars civium, collegia ac corpora, (ſc. mediate & ſuo modo) portio reipublicæ totius & pupillorum loco. *arg. l. Rempublicam.* 4. *c. de Iur. Reipub.* Idem & in ſingulorum cauſis ſtatuo, quoties per eos jus reipublicæ totius læderetur. Ratio dubitandi. I. Etiam intereſt, ut ſinguli ſint locupletes *d. nov.* 8. *præfat.* §. 1. *verſ. conſideravimus.* Et non minus ſinguli ſunt defendendi quam univerſi, cum ſinguli ſint membra univerſitatis. II. Præſtat ſimpliciter diſtinguere, ut, quæ ſunt in univerſitatis patrimonio & quaſi publico uſu, in iis magiſtratus agere poſſit ſine mandato: non verò in iis, quæ ſunt privatorum, vel etiam collegiorum ac corporum, quę & quia, uti & civitates, reſpectu populi priva-

privatorum loco censentur. *l. Bona Civitatis.* 15. *& seq. D. de verbor. significat & ibi* Goedd. cum ejusmodi collegia tantum sint societates à privatis initæ. Vide Gail. 1. *observat.* 125. *n.* 1. III. Annon præstaret distinguere inter civitates rerumve ejus administratores & eos, qui ipsam civitatem immediatè repræsentant, ut illi agere nequeant, hi utique. IV. Non etiam poterunt Collegiorum nomine Rectores Civitatis agere: cum sit publici boni causâ constitutum, ne Fiscus vel Respubl. alicui procurationem in lite præstet. *l. 1. & fin. C. ne liceat potentior. patrocin. litigantib. præstar. t. t. C. ne fisc. vel Resp. Procurat, &c.*

9. In qualibet causa admittitur Procurator: Non autem idem in publicis & popularibus est receptum, quod in privatis. In publicis criminibus non auditur pro accusatore procurator. *l. pen.* §. 1. *D. de public. Iudic.* (nisi ita sit de publico acturus, ut privatum commodum afferat. *l. non cogendum.* 45. §. 1. *junct. l. licet.* 42. *D.* Vel causam absentiæ accusatoris allegaturus *l. Inter.* 10. *d. l. pen.* §. 1. *D. de publ. judic.*) Nec distinguo, utrùm crimina sint capitalia, an non capitalia. *d. l. pen.* §. 1. Ratio dubitandi. I. Non est satis justa ratio, ob quam accusator prohiberi debeat in non capitalibus procuratorem dare. Possuntque omnes textus accipi de criminibus capitalibus. II. In *l.* 1. *D. an per al. caus. appell. cedd. poss. vers. idemque.* expressè distinguitur inter crimina capitalia & alia III. Causa prohibitionis non habet locum in pecuniariis, cum in iis non fiat inscriptio *l. fin. D. de privat delict.* Undè nec ipsa prohibitio. Vide Schrader. *part.* 10. *sect.* 18. *n.* 82. *& seqq. de feud.*

10. In publicis delictis ad defendendum potest dari à Reo procurator & in capitalibus, si alleganda sit absentiæ causa. *d. l. Inter.* 10. *d. l. pen.* §. 1. & in omnibus aliis, in quibus est pœna pecuniaria, vel relegatio. *d. l.* 1. *versic. sed si ea causa sit.* Vide Fachin. 1. *contro-*

verſiar. 25. Ratio dubitandi. I. Generaliter eſt definitum *in l. Reos.* 3. *C. de accuſat. & in l. ſervum quoque.* 33. *§. publicè utile.* 2. *D. h.* in quibuſlibet criminibus, etiam capitalibus eſſe licitum defendere. II. In ſpecie traditum eſt *in l. Lucius.* 18. *D. de appellat.* pro damnato ad beſtias fieri jure appellationem ejuſque cauſas reddi poſſe. III. Reſponſum eſt *l. Miles.* 11. *§. Ea, quæ.* 2. *D. ad. l. Iul. de adulter.* in adulterio procuratorem ad defendendum non poſſe intervenire. Adulterium verò tunc temporis non fuit capitale: ex quo iiſque, quæ antè ſunt allegata, videtur ſequi in capitalibus abſentes condemnari potuiſſe & defenſiones non fuiſſe prohibitas, cum in capitalibus contrarium obtinuerit. Vide Cujac. 20. *obſervat.* 20. Vultej. *Scholaſticar. diſceptat. c.* 11. Fachin. 1. *Controv.* 24. Buſ. *in d. l. Servum.* 33. *§. publice.* 2.

11. Filium pater non poteſt in capitali crimine defendere abſentem. Vetat id generalitas textuum *in d. l. pen. §.* 1. *l.* 1. *D. an per al. cauſ. app. redd. poſſ.* & ratio, quæ Reorum præſentiam requirit. 1. ut melius in omnia delictorum momenta inquiri poſſit, qua animi conſtantia vel trepidatione delinquentes quid affirment vel negent, *arg. l. De minore.* 10. *§. pen. D. de quæſtion.* 2. *c. Tuæ.* 5. *x. h.* &, ne, ſi ſententia durior feratur, ea per fugam vel abſentiam eorundum reddatur illuſoria. Nec etiam marito aliter eſt permiſſum defendere in appellatione uxorem, quam ſi cauſa ſit pecuniaria. *l. Cum rem pecuniariam.* 2. *C. h.* Marito autem non eſt minor cauſa defendendi, quam patri. *arg. l.* 1. *§. Item aut.* 3. *D. §. patitur.* 2. *Inſt. de Injur.* Ratio dubitandi. I. Conjunctæ perſonæ, etiam ſine mandato, poſſunt pro conjunctis agere ac conjunctos defendere. *l. ſed & ſi.* 35. *D. l. Exigendi.* 12. *C h.* quod, cum id indefinitè *dd. ll.* permittitur, ad quaſvis cauſas etiam criminales eſt extendendum: cum parentes magis in liberorum quam propriis cauſis terreantur pro affectu *l. Iſti quidem.* 8. *§. fin. D. de eo, quod met. cauſ. §. fin. Inſt. de noxal.*

action

action. & vox personaque parentum sit una atque eadem cum voce ac persona liberorum. *l. fin. C. de impub. & aliis substitut. §. si quis alii.* 4. *in fin. Inst. de inutilib. stipulat.* II. Dominus servi innocentiam allegans & pro servo appellans auditur, ut & procurator Domini. *l. sciendum.* 9. *l. servus* 11. *D. de public. judic.* Nihil igitur impediet, quo minus pater audiatur: Quis enim affectus vincit paternum. *l. fin. C. de Curat. furios.?* Quod vinculum arctius eo nexu, qui est inter patrem & filium? III. Licet conjunctis personis appellare pro eo, qui capite puniri est jussus. *l. si procuratoris.* 2. § *fin. D. quando appelland.* ergò & defendere, quia appellatio est præcipua defensionis species. *l.* 1. *D. de appellat.* IV. In liberali causa, cum filius in servitutem petitur, pater potest tanquam procurator intervenire: quinimò & invito filio pro ejus libertate litigat: quia semper parentis interest, filium servitutem non subire. *l.* 1. *pr. D. de liberal. causa.* Undè & cognatis idem datum est, ut pro cognato litigent, quia servitus ad dolorem & injuriam cognatorum pertinet. *d. l.* 1. *§. fin. & l. seq. D. de liberal. caus.* Multo magis id admittendum est in criminalibus, cum morte ignominiosa filius est afficiendus ob magnum crimen.

12. Solo consensu procuratorem constitui est juris indubitati, cum mandatum consensu solo contrahatur. *t. Inst. obligat. ex consens. l.* 1. *D. Mandat.* Paul. 1. *sentent.* 3. Non autem desunt, qui præter consensum requirunt, ut mentio cautionis de rato fiat in mandato. Hisce adstipulari non possum: cum contractus, qui solo consensu fiunt, nihil aliud ad formam requirant, quam consensum, & clausula ac necessitas ratihabitionis suâ naturâ insit omni mandato: Qui enim mandavit, non potest non ratum habere. *l. Si procurator.* 6. *pr. & §. Celsus.* 2. *D. de cond. indeb.* Vide Covarruv. 1. *Resolut.* 6. *n.* 4. Schrader. *part.* 10. *section.* 18. *n.* 125. Rauchbar. *resolut. quæst.* 2. *n.* 13. *& seqq.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Creditor.* 60. §. *fin. versic. me omnia. D.*

Mandat. l. Si procuratorem. 65. *D. h.* II. Communiter receptum eſt ex conſuetudine eam clauſulam addi. Id verò pro lege ſolet cuſtodiri, quod cautiones ſive chirographa ordinariò continent. *l. Generaliter.* 28. *verſic. Invenimus, & verſic. ſi enim. C. de fidejuſſorib.* Vide Konig. *in proceſſ. c.* 12. *n.* 3. Tholoſan. *lib.* 49. *Syntagmat. jurid. c.* 4. *n.* 6. Ruland. *de commiſſ.* 5. *c.* 8. *num.* 6. III. Ne otioſa ſit hæc clauſula ratihabitionis, poteſt ea ſic accipi, ut procurator per eam conſequatur liberam adminiſtrandi poteſtatem. *arg. d. l. Creditor.* 60. *§. fin. verſ. me omnia.* quo facit *c. Cum dilectus.* 8. *verb. procuratione vel ratihabitione. & ibi Gloſſ. x. de religioſ. domib.* ubi mandatum ſpeciale & cum libera æquiparantur, uti & in *l. Mandato.* 60. *junct. l. Procurator.* 63. *D. h.* Vide Alciat. *in l. Tranſactionis.* 7. *C. de Tranſact.*

13. Is, qui habet mandatum generale ad lites, non poteſt jurare de calumnia in animam, *c. fin. de juram. calumn. in* 6. nec tranſigere *d. l. Mandato.* 60 *D. h.* nec reſtitutionem in integrum petere. *l. Illud nullam.* 25. *§. fin. D. de minor.* Si verò cui libera litium executio eſt commiſſa, is jure poteſt agere ad reſtitutionem, *arg. d. l. illud. §. fin. junct. c. ad agendum.* 4. *h. in* 6. ſed non in animam alterius juramentum de calumnia præſtare. *d. c. fin. de Iuram. calumn. in* 6. quandoquidem, cum de calumnia eſt jurandum in animam, non ſufficit, ut juret procurator, ſed neceſſe eſt, ut dominus exactè noverit omnia illa, de quibus in ſuam conſcientiam jusjurandum mandat. Ratio dubit. I. Etiam is, qui mandatum cum libera habet, jurare vel jusjurandum poteſt deferre. *d. cap. Qui ad agendum.* nec non is, qui univerſorum, bonorum eſt procurator. *l. Iusjurandum.* 17. *§. fin. D. de jurejur.* II. Imò à nullo debet præſtari Iuramentum in animam alterius: cum quiſque de ſua ſcientia & ex ſua conſcientia, non aliena jurare debeat, & ordinis judiciarii interſit, præſentem eſſe eum, qui jurat, ut judex ex vultu aliiſque circumſtantiis certior eſſe poſſit de veritate rei & accuratius

tius in eam inquirere. *arg. l. De minore.* 10. §. *pen.* D. *de quæstion.* Vide de hac re Gail. 1. *obs.* 89.

14. Consensus, quo procuratorem constituit Dominus, est expressus, vel tacitus. Expressus probatur 1. Instrumentis, cum publicis vel quasi, tum privatis. Vide Wesemb. *in paratit. h. n.* 7. 2. Testibus, etiam duobus. *l. Ubi numerus* 12. *D. de Testib.* Vide Boër. *decis.* 18. *n.* 1. Sichard. *in l.* 1. *C. h.* Tacitus, cum Dominus præsens in negotio ac sciens patitur alium tanquam procuratorem quid agere. *arg. l. si remunerandi.* 6. §. *si passus.* 2. *l. Qui patitur.* 18. *l. si prote.* 40. *l. Qui fide alterius.* 53. *D. Mandat. l. si fidejussor.* 6. *C. eod. l.* 1. *C. de remiss. pign. c.* 22. *x. de sentent. & re judic.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. sicut* 8. §. *Non videtur.* 15. *D. quib. mod. pign. solvit.* II. Procurator non est obligatus ad mandatum recipiendum, nisi possit demonstrari consensus, & invitus dicitur, licet præsens & sciens non contradixerit *l. Filiusfam.* 8. §. *Invitus.* 1. *D. h.* Et si hoc in procuratore sit constitutum, debet & recipi in Domino: Cum correlatorum sit idem jus. *arg. l. fin. C. de indict. viduit. tollend.* III. Generaliter est traditum, eum, qui tacet, non consentire sive fateri. *l. Qui tacet.* 142. D. *de Reg. Iur.* Id maximè est recipiendum in obligationibus, cum in dubio non præsumatur obligatio. *l. Arrianus.* 47. D. *de Oblig. & act.*

15. Is, qui instrumenta litis habet, præsumendus est habere mandatum ad litem, non in rem suam, sed Domini: si scilicet sit is, qui ordinario solet esse litium procurator. Concurrit enim ratio muneris cum instrumentorum detentione. Si verò sit is, qui non solet judicialia tractare & litibus alienis se immiscere, non est dicendus procurator, aut in rem suam aut Domini. Facilius enim depositum vel simile quid præsumendum est, quam mandatum. Ratio dubitandi. Si is, qui judicialia non tractat, instrumenta habeat, videtur habere ea, quæ iis continentur. *l. Qui Chirographum.* 59. *D. de legat.* 3. *l.* 1. *C. de donation.* & sic

sic procurator in rem suam datus. Ex possessione enim est probatio, sive veriùs præsumtio dominii. *l. Traditio. 20. pr. de acq. rer. domin. l. 1. §. 1. D. de acq. vel amitt. poss.*

16. Diuturnitas temporis neminem facit procuratorem, nisi alia adminicula accedant. Quæ enim descendunt ex facto & ex iis, quæ aliter non possunt habere initium quam ex obligatione, nullo tempore possunt præscribi. Tempus enim nullam potest introducere obligationem. *arg. l. Obligationum. 44. §. 1. D. de oblígat. & act.* Vide Menoch. 2. *præsumt.* 7. Cagnol. *in l. Velle. n. 13. D. de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Omnes actiones personales uti amittuntur longissimo tempore, ita & acquiruntur. *l. sicut. 3. C. de præsc. 30. vel 40. annor.* II. In filiofam. licet citra voluntatem & jussum sive mandatum patris non possit adire hereditatem *l. Qui in aliena. 6. pr. D. de acq. vel omitt. heredit.* tamen ex longo tempore præsumitur mandatum. *l. si filiusfam. 10. C. de pet. heredit.* III. Qui bona fide quid vendidit tanquam ex mandato alterius, longo tempore acquirit sibi acquirit hoc jus, ut mandatum intervenisse dicatur. *l fin. D. pro Emtor.* In dubio non potest quis præsumi sine mandato agere; quoniam, qui sine mandato agit, est in culpa *l. Culpa est. 36. D. de Reg. Iur.* Culpa vel delictum non potest præsumi: Imò & Dominus est in culpa, quod non inquisiverit in res suas. Vide Vasq. 2. *Illust. controv.* 62. *n.* 7. Franciſc. Viv. *lit. M. verb. mandatum. n.* 3.

17. Procurator, in rem suam constitutus ex titulo emtionis tantum vel emtionis & donationis simul non potest plus consequi à debitore, quam ipse reverâ solvit & ejus, quod solvit, usuras *l. Per diversas. 22. & seq. C. mandat.* Nisi extent ii casus, qui *in d. l. Per diversas. 22.* excipiuntur, vel similes, quibus notorie demonstratur, nihil ad redimendam malo more litem esse actum, sed ex necessitate aliqua cessionem processisse. Constitutiones *in dd. ll.* sunt æquissimæ ita

con-

conceptæ in odium redemtorum alienarum litium & vitilitigationum. Inter casus exceptos etiam refero actiones indubitatas. Sande. *tract. de action. cession.* Ratio dubitandi. I. Non debet domino auferri libera de suis rebus statuendi facultas. *l. In re mandata.* 21. *C. mandat.* II. Non debet, quod inter alios actum ac transactum est, aliis nocere vel prodesse. *l. Si unus.* 27. *§.* 4. *in fin. D. de pact.* & sic debitor commodum ex cessione à creditori alteri facta consequi non potest. III. Non debent plures exceptiones dari, quam in *d. l. per diversas.* sunt expressæ: Exceptiones enim strictissime sunt accipiendæ. Et non excipiuntur *in d. l per diversas.* actiones indubitatæ ergo nec nostrum erit excipere eas: cum & in iis sit eadem ratio. IV. Non est æquum, ut morosi debitores ex cessatione sua commodum sentiant: id verò accideret, si non cogerentur totum præsolvere iis, quibus cessæ sunt actiones *dd. ll.* Fingamus esse viduas vel alias similes, litigandi imperitas, personas, quæ duros habent debitores & litem movere contra eosdem difficulter possunt. His si facultas cedendi actionem viro bono, perito juris & processuum instruendorum, ut is pro sua molestia ac periculo litis quid lucretur, etsi perito id lucellum adimeretur ac improbo debitori tribueretur, summa committeretur iniquitas.

18. Procurator non est audiendus, qui nullum habet mandatum, licet offerat cautionem de rato. Non enim potest esse judicium, si falsus sit procurator. *l. licet in principio.* 24. *C. h.* Ab eo, quem constat habere mandatum, non est exigenda ea cautio, cum periculum nullum sit, ut dominus rursus de eadem re agat. *§. fin. autem.* 3. *Inst. de Satisdat.* Si verò dubium sit, utrum quis habeat mandatum vel non, tunc ea exigi potest & præstanda est, imo eâdem oblatâ potest agere, si reus procuratoriam exceptionem opposuerit. *d. §. sin autem* 3. *l.* 1. *C. h.* Incertum autem non est, cum negat adversarius, sed cum alia ex causa

ambigi poteſt. Wurmſ. 5. *Obſerv.* 18. *n.* 2. Weſemb. *h n.* 5. Ratio dubitandi. I. Semper eſt præſtanda cautio de rato, licet & conſtiterit de mandato, propter regulam *in l. Non ſolum.* 39. §. 1. D. *h.* Nam & conjunctæ perſonæ coguntur eo modo cavere, *l. ſed & hæ.* 35. §. *Defendere.* 3. D. *h. l. Exigendi.* 12. *C. h.* quamvis ita poſſint agere acſi haberent mandatum. *d. l. Sed & hæ.* 35. *d. l. Exigendi.* 12. II. Imo & falſus procurator eſt admittendus, ſi caveat. 1. quia eſt incertum, an mandatum habeat, an non, *d. l.* 1. *C. h.* vel, annon dominus ſit ratum habiturus, & ſic mandaturus ipſo effectu. *l. fin. C. ad SC. Macedon.* 2. quia ſatis conſulitur adverſario per cautionem. *l. Inter quos* 39. §. *Alieno.* 3. *D. de damn. infeſt.* Vide Donell. 18. *Comment.* 13. Giphan. *in l.* 1. *C. h.* III. Imo & procurator rei, licet ſit ſufficienti inſtructus mandato, tenetur de rato cavere. *l. Pomponius.* 40. §. *ſed &* 15. 2. D. *h. l. Non ſolum.* 20. *D. Rem. rat. haber.* IV. Cum incertum eſt, an mandatum ſit, non debet ſub cautione ratihabitionis admitti is, qui ſibi mandatum eſſe affirmat: quoniam qui agit, ſuam qualitatem probare debet priuſquam audiatur *arg. l.* 1. *pr.* D. *Edend. l. Iulianus.* 13. §. *offerri.* 8. *D. de action. Emt.*

19. De controverſiis, quæ circa facultatem aut neceſſitatem appellandi Procuratori delatam aut impoſitam incidunt, non poteſt uniformiter reſponderi. In hiſce ſic decido. Si ad ſententiam audiendam vel alium actum ſpecialem ſit datus, nec tenetur, nec valide appellare poteſt; qui enim limites mandati ſui excedit, aliud quid facere videtur *l. Diligenter.* 5. *pr. D. mandat.* & cum formam omittit, nihil agit. *l. Si Procurator.* 10. *C. h.* Vide Capr. *regul.* 65. *n.* 17. *& ſeqq.* Buſ. *arg. Authent. offeratur. in fin. C. de litis conteſtat. l. ſi quis mihi.* 25. §. *Sed ſi mandavit.* 11. *D. de acq. vel omitt. heredit.* Vid. Gail. 1. *Obſerv.* 130. *n.* 11. II. Si ad cauſam indefinite eſt conſtitutus, poteſt & tenetur appellare, ſi ſuccubuerit. *l. Invitus.* 17. *h.* ubi Bartol.

Si-

Sichard. *n. 4. l. Si procurator. 2. D. An per al. cauf. app. redd.poff. l. Si actor. C. de appellat. C. Non in juste.* 14.*x.*3. Vide Capr. *reg.* 55. *n.* 7. & 23. Vndè, si non appellaverit, Domino obligabitur ad id quod intereft *l. Si procuratorem.* 1. §. *in l.* 62. *n.*4. *in fin.* 5. *Quod & ad actionem.* 8. *D. mandat.* III. An verò cogatur & causas appellationis reddere & eam plene ad exitum perducere, quæstio facti eft, ad Iudicis arbitrium referenda. Puto in hac re fpectandam effe perfonæ procuratoris qualitatem *arg.l.Pomponius.* 15.*inf. D. de negot. geft.* quæ si talis sit, ut videantur Dominus & procurator cogitaffe de inftantia appellationis per procuratorem exercenda, eam etiam exercere cogetur procurator: Si vero non fuerit talis, non cogetur. In dubio verò, cum ex conditione perfonæ nulla præsumtio haberi poteft, verisimilius eft, eum quidem poffe fed non teneri inftantiam appellationis pleniffimè profequi *d. c. Non injustè.* 14. *x.h.* ne nimium onaretur procurator & officium ei reddatur nimis laboriofum & confequentur damnofum contra omnes leges: nisi omnes lites ei fint demandatæ. Vid. Gail. *d. Obferv.* 132. *n.* 11. Ratio dubitandi circa primam decifionem. I. Cuilibet eft permiffum alterius conditionem facere meliorem *l.Solvendo.* 39. *D. de negot. geft. l. Si quis abfentis.* 5. *D. de Oblig. & act.* quinimo, quia negotii gerendi animo appellat, ejus appellatio eft recipienda. *l.* 1. *pr. D. de appellat. recip. l. negot.* 24. *D. de appellat. l. libert.* 31. §. *litem.* 2. *D. de negotior. geft. l. Inter quos.* 39. §. *Alieno* 3. *D. de damnor. infect.* II. Actor, qui eft procurator ad certum actum datus, poteft appellare. *l. Si actor.* 10. *C. de appellat.* III. Generatim eft traditum de omni procuratore, quod teneatur appellare. *d. l. Invitus.* 17. *C. h.* IV. Qui ad actum fpecialem eft datus, jure ipfo datus eft ad omnia, quæ actum eum præcedunt, comitantur & fequuntur. *l. Ad rem mobilem* 56. & *l. ad legatum.* 62. *D.h.* Et fic qui ad audiendam fententiam eft datus, cenfetur fimul effe datus & confequenter ad ea,

quæ

quæ eam comitantur & sequuntur. Ratio dubitandi circa secundam decisionem. I. Non est necesse, ut talis procuraror interponat appellationem, cum sufficiat, ut denunciet Domino, ut is ad remedium appellationis convolet. *c. non injuste.* 14. *x. h.* Gloss. *ibid. in verb. Appellare,* Vide Gail. 1. *Observ.* 139. *n.* 9. II. Imò nullo modo tenetur ad appellandum, quandoquidem de appellando non fuit cogitatum: Ad ea verò, de quibus Dominus & procurator non cogitarunt, conventio sive mandatum referri nequit. *l.* 1. *§. Conventionis.* 3. *l. Emtor.* 47. *§. fin. D. de pact. l. Qui cum.* 9. *§.* 1. *l. non est ferendus.* 12. *D. de Transact.* Et, uti dici adsolet, actus agentium ultra intentionem eorum nihil operantur. *arg. l. Non omnis.* 19. D. *de reb. credit.* Quod autem contrahentes non egerint vel cogitaverint de appellando, probatur ex eo, quod optimè sperantes de jure suo & causa, sibi non sint imaginati deteriorem sententiam, sed victoriam: ac ubi tantum de victoria actum & non de sequiori calculo, ibi nec de appellatione à sententia. Remoto enim antecedente removetur consequens: Vti probat eleganter Nicolaus à Middelb. *loc. leg. à destruct. antec. ad destruct. conseq.* III. Procuratori quàm minimum onus ac periculum imponunt leges: sufficit a. in quibusdam amico consuli. *l. Tutori.* 20. *C. de negot. gest.* Nec onus oneri nec periculum periculo est addendum. *§. Cui tutel.* 18. *Inst. de Excus. tut. l. Curat.* 20. *C. eod.* Neminique suum officium damnosum esse convenit *l. sed si quis.* 7. *D. Testam. quemadm. aper.* IV. Textus, in contrarium allegati, aliter possunt explicari, ut id, quod intenditur, non probent. Nam verba *in d. l. Invitus.* rectè accipi possunt vel de eo, qui ad omnes causas universaliter est datus, vel (quemadmodum & *d. c. non injustè*) quod procurator cogendus sit extendere suam procurationem provocationis causa, non ut ipse præcisè eam faciat, sed ut vel ipse, si velit, appellet vel Domino contestetur, ut Dominus appellet. *d. c. non injustè.* 14. *x. h.*

x. h. Deindè *d. l. Si actor.* 10. *d. l. Si procurator.* 2. agunt non de procuratoribus invitis, sed volentibus, qui de facto in commodum Dominorum appellarunt; Denique *d. l. Si procuratorem.* 8. §. 8. de fidejussore, non de procuratore loquitur. V. Cum ambigitur, contra dominum, in cujus potestate erat apertius mentem suam declarare, & cujus maximè intererat, est facienda interpretatio. *l. veteribus.* 39. *D. de pact.* Faciunt & huc juris regulæ: In dubio est promissoris melior causa. Favorabiliores sunt rei, quam actores. Proniores sunt leges ad liberandum, quam obligandum. *l. In stipulationibus.* 34. *D. de Reg. Iur. l. Favorabiliores.* 125. *D. eod. l. Arrianus.* 47. *D. de obligat. & action.* Ratio dubitandi circa tertiam decisionem. I. Non est distinguendum inter qualitates personarum, cum nulla lex distinguat. *arg. l. De precio.* 8. D. *de Public. in rem action.* sed generatim sit traditum, procuratorem invitum non teneri prosequi appellationem. *d. c. Non injustè.* 14. *x. h.* II. In dubio procurator est datus etiam ad appellationem prosequendam, cum verba accipi debeant cum effectu. *l. 1. §. 1.* D. *quod quisque Iur. in alt. statuer.* nec videatur sententia cum effectu esse lata, quandiu appellatio pendet sive durat lis. *l. Eleganter* 23. §. 1. *D. de condict. indeb. l. Et post rem.* 7. *l. post rem.* 11. *D l. Si causa.* 32. C. *de transact.* vel quandiu aliquid agendum restat. Est enim appellatio ejusque instantia appendix vel sequela primæ. III. Præstat distinguere inter interlocutoriam ac definitivam, ut ab illa factam appellationem, non ab hac, prosequatur. Vide Sichard. *in d. l. Invitus.* 17. *C. h. n.* 7. Gail. *d. observat.* 139. *n.* 11. IV. Imò tenetur in causa appellationis respondere, *d. l. Si procurator.* 2. D. *an per al caus. app. redd. poss.* V. Lite contestatæ fit dominus litis *l. Nulli* 23. C. *h.* & in eum fertur sententia. *l.* 1. *C. de Sent. & intert. omn. Ind.* Vid. Bus. *in l. Ad legatum.* 62. *n.* 3. *D. h.*

20. Si procurator sit falsus, licet nulla opponatur exceptio ab adversa parte, potest tamen Iudex ex

officio

officio arcere eum à litigando. Iudicis enim est præcavere, ne judicium reddatur. *c. Causam*. 9. *x. de judic.* illusorium. Id autem fieret, si Dominus non haberet ratum. *d. l. licet*. 24. *C. h.* Vide Vultej. 2. *Iurisp. c.* 30. Ratio dubitandi. I. Iudex non impertit officium suum, nisi rogatus. *l. Dies*. 4. §. *Hoc autem*. 8. *versic. cæterum. D. de damn. infect.* nec supplet ea, quæ sunt facti. Tulden. & DD. Communiter *in l. un. C. ut quæ advocat. des. jud. suppl.* II. Si procurator falsus cavit de rato, non potest repelli. *l. Inter quos*. 39. §. *alieno*. 3. D. *de damn. infect.* Vide Felin. *in d. c. causam*. 9. *x, de Iudic. n.* 5.

21. Sententia lata contra procuratorem falsum valet, quatenus ipse, non vero dominus, spectatur, adeoque contra ipsum executioni mandabitur. *l. Si se non obtulit*. 4. *D. de Re judic. l. Plautius*. 61. *D. h l.* 1. *C. Quib. res judic. non noc.* Factum enim cuique suum, non adversario nocere debet. *l. Factum* 155. *D. de Regul. jur.* Et iniquum est, ut is agat ad nullitatem actus, per quem sive per cujus culpam fit *l. culpa*. 36. *D. de Reg. jur. fiat.* quo minus vires habeat. *arg. l Transactione*. 30. *C. de Transact. l. Cum profitearis*. 4. *C. de Revocand. don.* nam deceptis, non decipientibus jura subveniunt. *l. Et primo*. 2. §. *sed ita demum*. 3. *l. si decipiendi*. 30. *D. ad SC. Vellejan.* Vide Bartol. Duaren. Donell. *in d. l. Si se non obtulit*. 4. Cuiac. 14. *observ.* 30. Ratio dubitandi. I. Nullum ipso jure est judicium, nulla est sententia. *d. l. licet*. 24. *C. h.* & consequenter nulla actio judicati vel executio: quod enim nullum est, non potest habere ullum effectum. *l. non est dubium*. 5. *C. de legib.* II. Non potest conqueri de ulla iniquitate adversarius, cum debuisset diligentiùs in formam mandati inquirere initiò. *d. l. licet*. Nec id iniquum est, cum ex suo vitio afficiatur incommodo. *l. nec id iniquum*. 15. *D. si quis omiss. caus. test.* III. Præstaret hic separare Procuratorem errantem ab eo, qui animo fraudandi accessit: Error enim excusat à damno, licet sit in

in jure. *l. Iuris ignorantia.* 7. *& l. error-* 8. *D. de Iur. & fact. ign.* & ſemper excuſat error facti. *d. l. Error.* 8. Vide Jaſon. *in d. l. ſi ſe non obtulit. n.* 13.

22. Negligentia Procuratoris, ut & ejus dolus, non adverſario, ſed domino nocet. *l. Si procurator.* 10. *in fin. C. h. l.* 1. §. *fin. D. quand. appelland.* Imputet ſibi dominus, quod tali commiſerit ſuam litem. *l. Cum mandatu.* 23. *in fin.* D. *de minorib.* Ita tamen nocet domino, ut tamen is agere poſſit adverſus procuratorem. *l. In re mandata. C. Mandat. d. l. ſi procurator.* 10. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Cum lex velit id procedere tantùm in eo, qui generalem & liberam habet litis agendæ poteſtatem *d. l. Si procurator.* 10. *verſic. Quod ſi.* ad quemvis procuratorem referri nequit. II. Dolus non nocet domino, niſi ex eo commodum ſenſerit. *l. Dolus.* 3. *ſeq.* D. *quand. ex fact. tutor.* Id æquiſſimum eſt, cum Domino non poſſit fieri præjudicium, ſi procurator limites mandati egrediatur. *d. l. Si procurator.* 10. *in pr.* Nec enim mandatum ad dolum committendum datum eſt. Hinc reſponſum eſt, Procuratorem ipſum non dominum teneri in Edictis, *quod quiſque Iuris : Si quis jus dicenti non obtemperaverit. l. Si quis iniquum.* 3. §. *Si procurator.* 1. D. *quod quiſque jur. in al. ſtatuer. l. un.* §. *ſi Procurator.* 2. D. *Si quis dicent non ob temp.* ubi vide Bartol. & DD.

23. In ipſum procuratorem, ſi is, ſuſcepta judicialiter defenſione domini, contumax in tota cauſa fuerit, ferri & executioni ſententiam mandari eſt conveniens. Ad defendendum enim cum fuerit conſtitutus & in nullo defenderit, mandati fines exceſſit & ſic domino non facit præjudicium. *arg d. l. Si procurator.* 10. *C. h. & d. l.* 1. §. *fin. verb. ſi non in ea cauſa per procuratorem defenſus.* D. *Quand. appelland.* Sin autem contumacia ſit non à tota cauſa ſed in incidenti, ea cedit in detrimentum domini. *arg. dd. ll.* Ratio dubitandi. I. Quomodò hæc Theſis ſtare poteſt cum præcedenti, quâ definitum eſt omnem negligentiam & dolum nocere domino.

mino. Imputet ſibi dominus, quod tam negligenti commiſerit negotia. *d. l. cum Mandatu.* 23. D. *de Minor.* §. *fin. Inſt. de Societat.* II. Ob contumaciam & deſertionem mandati habet dominus actionem contra procuratorem. *l. Si remunerandi.* 5. §. 1. *verſic. denique. l. Si procuratorem.* 8. §. *proinde.* 10. *verſic. ſed & ſi dolo emere. D. Mandat.* Hinc deducitur, quod ex contumacia dominus præjudicium ſentiat: ex eo enim eſt præjudicium, ex quo competens eſt actio. III. Præſtat diſtinguere inter res parvi & magni præjudicii: ut in hiſce noceat, non in illis. Vide Bartol. *in d. Vnic.* §. *ſi procurator.* 2. D. *ſi quis jus dic. non obtemp.* IV. Præſtat diſtinguere inter ea, quæ ipſum proceſſum ſpectant & alia, quæ extra eum ſunt; ut in hiſce dominus nihil damni ſentiat, in illis utique. Vide Gail. 1. *Obſervat.* 89. *n.* 3. Bartol. *d. loc.*

24. Si dominus ex procutatoris negligentia, dolo vel alia ex cauſa damnum ſit paſſus, ac ſuum non poſſit conſequi à procuratore, quia ſolvendo non eſt, non poterit in ſubſidium contra Adverſarium reſtitui in integrum. Nuſquam enim hæc cauſa reſtituendi in jure eſt propoſita: & iniquum eſſet, non domino, ex cujus perſona hujus rei eſt initium & qui procuratorem dedit, ſed adverſario nocere. *l. Factum.* 155. *pr.* D. *de regul. Iur.* Verum hæc admitto, niſi adverſarius notoriè lucrum ſit conſecutus cum injuria ac damno domini. Non eſt enim ferendum, ut quis cum jactura alterius locupletetur. *l. Iure naturæ.* 206. D. *de Reg.* Vel niſi adverſarius colluſerit. *d. l. ſi procuratorem.* 8. §. 1. *D. mandat. l. Et eleganter.* 7. §. *ſi dolo.* 9. D. *dolo. malo.* Ratio dubitandi. I. Licet non ſit hæc cauſa in jure ſpecialiter expreſſa, ſufficit tamen generaliter comprehendi ſub hac clauſula, *ſi qua mihi juſta cauſa videbitur. l. ſed & ſi.* 26. §. *fin. D. ex quib. cauſ. major. in integr. reſtit.* II. Datur reſtitutio quoties dolus eſt commiſſus. *l.* 1. §. 1. *D. de dolo mal.* III. Iniquiſſimum eſt, ut commodum ſentiat cum incommodo domini adverſarius,

qui

qui iniquam fovet causam. Fingamus, sententiam ab inferiori judice latam omninò fuisse injustam, procuratorem per negligentiam vel dolum non appellâsse. Hinc est, quod *in l.* 1. §. *fin. D. quando appelland.* statuatur, non simpliciter non audiendum dominum, sed difficulter, sc. si justam non probaverit esse suam causam. IV. Datur universaliter & indefinite restitutio absentibus, sive procuratorem habuerint, sive non. *d. l. sed & si.* 26. §. *fin. D. Ex q. caus. major.* V. Respondet Paulus *in l. cum mandatu.* 23. *vers. sed si eventus D. de minorib.* si ex eventu appareat servari non posse quod præstitum est, quod quis non sit solvendo, sine dubio prætorem interventurum. VI. Contra hanc thesin expressis verbis respondetur *in l. Ex hoc Edicto.* 3. §. 1. *D. de Eo, per q. fact. er. quo min. q. jud. se sist.* Vide de hac re Hartmann. Pistor. 1. *quæst.* 36. Gail. 1. *Observ.* 45. *n.* 6.

25. Cum res non est integra, non potest fieri revocatio vel renunciatio sine causæ cognitione. *l. post. litem.* 17. *& seqq. D. h. d. l. si mandavero.* §. *f. & ll seqq. D. mandat.* nisi ex consensu utriusque. Cum verò procurator renunciat licet ex consensu, non est opus, ut adversarius in exonerationem, uti eam appellant, consentiat: quia mandatum verè tantum ad Dominum & procuratorem pertinet, & ad adversarium tantum incidenter. Vide Ronchegall. *in l.* 2. *n.* 87. *& seq. D. de duob. reis constituend.* Ratio dubitandi. I. Per litis contestationem adversarius cum procuratore, qui dominus litis est factus, contraxit *l. Nulla* 23. *C. h. contraxit. l. licet.* 3. §. *Idem scribit, judicati.* 11. *D, de pecul.* jus autem ex eo contractu quæsitum ei adimi nequit. II. Ex solo consensu non potest mutari procurator. 1. quia nemo potest mutare suum consilium in injuriam alterius. *l. nemo potest.* 75. *D. de. Reg. Iur.* 2. quia tantum ex justa causa hoc est permissum. *d. l. post litem.* 17. *& seqq. l. Procuratoribus.* 22. *C. h.* III. Qui, acum cavit de judicato procurator, ex eo tenetur judicati.

. *Plautius*. 6. *D. h.* Vide Donell. 18. *Comment.* 17.

EXERCITIUM XIX.

Resp. GERARDO AB HEUSSEN, Lugdunensi Batavo.

De Defensoribus.

THESIS PRIMA:

QVi promisit se defensurum, vel, ut in actis solet dici, se interventurum tam de jure quam de facto in judicio vel extra judicium, non cogetur ad defendendum, modò velit præstare vel id quod interest, vel id, de quo convenit. *arg. l. mutus.* 43. §. *fin. l.* 44. & *seq. D. h.* Itaque venditor, qui specialiter eo modo ad & ob Evictionem sese obligavit, postquam denunciaverit emtor contra se Rei vindicationem esse propositam, qui propterea requirit, ut venditor secundum conventionem defendat, non tenetur ipso facto intervenire. *dd. ll.* Verum, si condemnatus fuerit Emtor ad restituendum, compelletur præstare certum, quod promisit, vel incertum, i, eam quantitatem, ad quam æstimatio ejus, quod interest, redigi potest. Æquitas hujus juris in eo est, quia intervenire est facti & in obligationibus facti vel ad factum potest obligatus liberari præstando eo, quod interest. *l. si quis ab alio decem.* 13. §. 1. D. *de Re Iudic. l. Quotiens.* 81. D. §. *fin. Inst. de verbor. Obligat.* Vide Bus. ibidem. Ratio dubitandi. I. Procurator actoris cogitur absolutè judicium suscipere. *l. Filiusfam.* 8. §. *fin. l. si defunctus.* 15. *D. h.* Cur non venditor vel alius, qui expressis verbis in se intercessionem pro reo recepit. *arg. l. Non debet actori.* 41. *D. de Reg. Iur.* & cujus interest rem benè defendi? II. Cur talia pacta interponuntur, si effectum non habeant? Longè aliter *in l.* 1. *D. de pact.* & *in l.* 1. *D. de const. pecun.* responsum. Non jura deci-

pi enti-

pientibus unquam subveniunt. *l. Et primò.* 2. §. *sed ita demum.* 3. D. *ad SC. Vellejan.*

2. Nullus idoneus defensor litis alienæ est sine satisdatione. *l. Qui proprio.* 46. §. *Qui alium*, 1. *D. h. l. In eo.* 10. §. 1. D. *de Reg. Iur.* Nec est distinguendum, utrum defensor sit locuples, vel non. Nunquam enim defensor locuples habetur. *l. Qui rem alienam*, 166. D. *de Reg.* I. *Sed & hæ.* 35. §. *Defendere* 3. *l. Minor.* 51. & *seqq.* D. *h.* Vide Ioann. Matthæ. *in l. Nemo dubitat.* 95. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Non satisdat immobilium possessor. *l. Sciendum.* 15. D. *Qui satisd. cogant.* Ergo spectandum, utrum defensor sit locuples & habeat immobilia, vel non. Nec, qui satis locuples est, onerandus est satisdatione, ne quod supervacuum est exigatur. *l. hac stipulatio.* 14. §. 1. *in f.* D. *ut legat. vel fideicommiss. causa caveat.* II. Si defensiones non aliter admittantur, quam cum onere satisdandi, sæpius defensiones absentium omittentur, quod fieri non debet, cum publicè intersit absentes defendi. *l. Servum.* 33. §. *Publicè.* 2. D. *h. L.* 1. & 2. *C. Si per vim vel alio mod. absent.*

3. Æquum est, ut qui ab alio simpliciter datus procurator alieno nomine experitur, ejus, pro quo agit, defensionem suscipiat. *d. l. Servum.* 33. § *pen. D. h* nisi velit actionem sibi denegari. *d. Sed & hæ.* 35. §. *fin. l. Mutus.* 43. §. *pœna.* 4. *d. l. actionem.* 5. C. *h.* In procuratore in rem suam distinguendum est, ut, si utili actione agat, non teneatur defendere, nisi quid in fraudem alterius fuerit factum. *l. Si quis in rem suam.* 34. *D. h.* quia magis proprio jure ac suo nomine actionem movet quam alieno. Sin autem directa actione experiatur, cogitur defendere, quia jure ac nomine alterius directè utitur, nisi ex necessitate cessio sit facta. *d. l. Servum.* 33. §. *fin.* D. *h.* Vide D. Sand. *de action. cess. c.* 5. *num.* 1. & *seqq. aliquot.* Ratio dubitandi. I. Nusquam in hac causa distinguitur inter utiles ac directas actiones, quia eadem est secundum

R 2 leges

leges earum causa, idem effectus. *l. actio.* 47. §. 1. *D. de negot. gest.* & qui utili agit, etiam nomine alieno litem movet. II. Obstat *d. l. Si quis in rem.* 34. *D. h.* ubi procuratorio, hoc est alieno ac directo nomine, agens non tenetur defendere, licet ex necessitate non sint mandatæ actiones: Emtor enim hereditatis, de quo *in d. l. si quis rem.* non ex necessitate, sed voluntate sua ac heredis constituitur procurator. III. Imò, quod procurator in rem suam ex necessitate datus teneatur defendere est expresse responsum *in l. pater* 70. *D. h.* ubi cessio ex causa fideicommissi, quæ omninò est necessaria, *l. heres.* 73. *D. ad SC. Trebell.* processit. Vide Anton. Fabr. 12. *Conject.* 18.

Ex tit. Quod cujusque universit. nom. vel cont. eam agat.

4. Pater filium, filius patrem potest ad officium Syndici suo suffragio promovere. *l. illud.* 5. *& seq. D. h.* Ratio dubitanbi. I. Vox patris est vox filii. *l. fin. C. de Impub. & aliis subst.* Et vox filii est vox patris, cum de acquirendo agitur. §. *Si quis alii,* 4. *versic. Ei vero. Inst. de Inutil. stip.* Undè uti nemo sibi potest dare suffragium, *arg. l. Prætor.* 41. *D. de tutorib.* ita nec patri nec filio. II. Si id admitteretur, ut filius patrem, pater filium, frater fratrem posset eligere, non tam reipubl. ac universitati, quam familiæ consuleretur: quod absurdum est, cum utilitati publicæ privata cedere debeat. *l. utilitas.* 3. *C. de primipil. arg. Nov.* 97. *c.* 4.

5. Universitas sive Collegium Sodalibus imperare vectigal aut pecuniam universitati solvendam, non potest: nisi id fiat ex conventione, vel privilegio à Principe concesso, aut nisi tempore immemoriali fuerit receptum. Sunt enim universitates privatorum loco, *l. Eum, qui vectigal.* 16. *in fin. D. de verbor. Signific.* Privati autem privatis nullum vestigal imponere possunt. *l. Vectigalia.* 2. *& seq. C. Vectig. nov. instit. non poss.*

Vide

Vide Busium *in l.* 1. §. *Quibus autem.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Generatim definitum est *in l. pen. D. de Decret. ab ordin. faciend.* Non oportere id rescindi, quod semel ordo decrevit, si non pugnet cum utilitate publica. hisce adde *l. fin.* D. *eod.* II. Decuriones possunt Medicis vel aliis liberalem artem exercentibus salarium constituere. *l. Ambitiosa.* 4. §. *fin.* D. *eod.* Salacia verò constitui non possunt, nisi singulis ad hoc imperetur pecunia, non ex publico. *d. l. ambitiosa.* 4. §. 1. III. Concesso Collegio, etiam omnia conceduntur, sine quibus non potest Collegium exerceri *l. Cui jurisdictio.* 2. D. *de Iurisd.* Non autem potest esse collegium, nisi & sint pecuniæ, ex quibus publicè fiant sumtus, & arca communis *d. l.* 1. §. *quibus.* 1. *D. h.* consequentibus autem positis, scilicet, arca ac rebus communibus, necessario ponuntur antecedentia sive media i. impositio conferendi. *arg. l.* 30. D. *de verbor. Obligat.* Nicol. à Middelb. *loc. legal. à concess. conseq. ad concess. antec.* IV. Collegia habent jus reipublicæ aut civitatis: *d. l.* 1. §. 1. Civitas aut Respublica pecuniam imperare potest, cum & leges condat. *l. omnes.* 9. D. *de justa & just.* Vid. Gloss. & Costal. *in d. l.* 1. *circa fin.*

6. Cum unus ex universitate superest, solus ille potest conveniri & convenire nomine universitatis. *l. Sicut municipium.* 7. §. *fin. versic. Sed si universitas. D. h.* Ita & in una ove vel bove retineri dicitur grex ovium aut boū. §. *Si grex.* 18. 1. *Inst. de legat. l. Si grege.* 22. *D. eod.* 1. Ratio dubit. I. Uni non potest competere definitio universitatis. Est enim unversitas multitudo hominum, &c. A quo autem removetur definitio, ab eo & definitum. II. Unicus servus appellatione familiæ. 1. Universitatis, non continetur: nec duo quidem familiam faciunt. *l. Detestatio.* 40. §. *fin. D. de verbor. signific.* III. Neratius Priscus tres facere collegium existimat: & hoc magis sequendum est. *l Neratius.* 85. *D. de verbor. signif.* Ad quam legem si respondeatur, non in Thesi dici de uno, qui faciat sed in quo retineatur universitas, re-

plicabitur, Textum *in d. l. Neratius.* 85. esse generalem ac accipi posse non tantum de Collegio inchoando sed & retinendo: deindè, si constitui non possit ab initio nisi per tres, non potest etiam conservari nisi per totidem. Intercidit enim omnis res, si incidat in eum casum, aquo initium habere non potuit. *l. huic scripturæ* 15. *in fin. junct. l. seq.* D. *ad l. aquiliam l. Si à me fuerit.* 11. D. *de judic.*

7. Soluta universitate, bona ejus ad singulos pertinent, siquidem sit ea, quæ quid ex communione possessionis aut juris, quod ad singulos pertinet, commune habeat, ut accidit in compascuis vicorum ac similibus bonis. Ita quoque in Societate Indica, si ea solvatur (quod non est sperandum) quia ex privatorum contributione est constituta, omnia pro rata dividi inter illos, qui actiones in ea habent, est æquissimum. Nec tantum hoc procedit in licitis, sed & illicitis collegiis. *l. Collegia.* 3. *pr.* D. *de Colleg. & corporib.* Ratio dubitandi. I. Non pertinet ad singulos ullo modo, quod est universitatis: non ergò singuli quid sibi solvi postulare possunt. *l. Sicut.* 7. §. 1. *D. h.* II. Solutâ Ecclesiâ res ecclesiasticæ non dividentur inter fratres, qui in ecclesia sunt, sed cedent sacris usibus aliis, vel Fisco. Vide Gloss. *in d. l. Sicut.* §. 1. *arg. l. Commissa.* D. *de publican. & vectigal. adde arg. l. Cum loca.* 36. D. *de religios.* Idem & de bonis civitatis statuendum, ut ea sublata, ejus bona referantur ad principem vel fiscum aut eos, quibus Princeps ea addicit. Ita Byzantiorum sub Severo, Urbe ipsa jure civitatis destituta, agri Perinthiis sunt donati. Idem in Brutiorum oppidis, quod Annibali favissent, aliisque multis civitatibus factitatum est.

Ex tit. C. et D. de negot. gest.

8. Non peccat, qui negotia alterius bona fide gerit: ac cuilibet id permissum est, imò & impositum, uti

uti docet nos sacer codex. Non enim quisque sua tantùm, sed etiam, quæ sunt aliorum, spectabit. Paul. *in Epist. ad Philipp.* 2. *v.* 4. Charitas à Deo nobis demandata idem exigit. Paul. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 1. 2. 5. *verb. non quærit quæ sua sunt.* Iura nostra ex æquitate desumta idem docent *l.* 1. *D. h.* §. 1. *Inst. de obligat. quæ ex q. contr. nasc.* Omnibus modis, nisi lex vel justa ratio obstet, licet alterius conditionem facere meliorem. *l. Solvendo.* 39. D. *h. l. servus ea.* 7. D. *de serv. Exportand.* Ratio dubitandi. I. Non tantum Sacro codice est illicitum alienis rebus sese immiscere. *Syrach.* 3. *v.* 22. *& seqq.* 2. *ad Thessalon.* 3. *v* 11. *Rom.* 12. *v.* 3. 16. sed & Iure Civili. *l. Culpa.* 36. D. *de Reg. Iur. l. Idem juris.* 8. §. 1. *vers. cùm affectare.* D. *ad l. aquil.* ac Canonico *c. non est sine.* 19. *de Reg. Iur. in* 6. Semper, potest iis objici culpa, qui scientes in alieno quid agunt. §. *Ex diverso.* 30. *inf.* D. *de Rer. divis.* II. Morycho sunt stultiores, qui forts agunt, aliena curant, & domesticorum negotiorum sæpe sunt negligentissimi. Erasm. *in adag.* Adeoque, uti ipsa stultitia reprehenditur, ita & reprehendendi curiosi alienarum rerum inspectores: III. Imò nulla datur actio talibus, *l. Si servus.* 27. §. *Si olivam.* 25. D. *ad l. aquil.*

9. Licet quis præsens ignoret vel absens sciat sua negotio geri, non tamen videbitur esse mandatum, sed gestio negotiorum. Mandatum enim non est ex sola scientia, sed consensu. Huc facit textus *in. l. Si quis absentis.* 2. *verb. licet ignorantis.* D. *h.* Sin autem fuerit Dominus in ipso negotio præsens, & sciens suo nomine quod geri non contradixerit, non dubito, quin tacitum mandatum intervenerit. *Exerc. nostr.* 18. *Th.* 14. *vers.* Vide. Tim. Fabr. *disp. anniverſ. ad* §. 1. *Inst. de oblig. q. ex. q. contract. nasc.* Petr. Fabr. *in l.* 60. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi I. Ubique fit mentio absentium. *l.* 1. 2. D. *h.* §. 1. *Inst.* ubique ignorantium *d.* §. 1. *Inst. l. Si quis absentis.* 5. *D. de Obligat.* II. Qui scit, sive absit sive præsens sit, habetur pro consentien-

te, si non contradixerit. *l. Si, ut proponis.* 5. *C. de nupt. Junct. pr. Inst. eod.* Ita *in l. certi juris.* 5. *C. de Locat. conduct.* pro eodem accipiuntur voluntas ac scientia. Ita scientia & consensus comparantur *in l. Nemo videtur.* 145. *D. de Reg. jur.* Ita qui non prohibet pro se quid fieri, mandare creditur *l. Semper.* 60. *D. de Regul. Iur.*

10. Curator, qui Tutor vel pupilli vel furiosi bona administravit ut curator, non potest negotiorum gestorum actione conveniri vel agere. Debet enim separari necessarium à voluntario officio, quod quis amico præstat: inter Tutores, curatores & negotiorum gestores nulla dicitur esse similitudo. *l. Tutori.* 20. *C. h.* præterea, cum detur tutelæ utilis vel directa. *l.* 1. *§.* 2. D. *de contrar. tut. vel util. act.* rejicitur negotiorum gestorum actio in hac causa: cum enim ordinaria competit ex causa necessitatis, vix solet dari negotiorum. *l. Heredes* 25. §. *Non tantum.* 16. D. *famil.* Excisc. *l. Si quis putans.* 6. §. *Servo.* 2. D. *Comm. divid.* Vide Donell. 15. *Comment.* 15. Ratio dub. I. *Ex l. Ait. prætor.* 3. §. *Et si furiosi* 5. *D. h.* II. *Ex l. Curatorem.* 6. *l. Curatoris.* 17. *C. h.* III. *Ex d. l. Ait prætor.* 3. §. *hac actione.* 10. D. *h.* Vide Cujac. *in paratitl. C. h.* Bocer. *class.* 3. *disp.* 17. *Thes.* 4. *lit. C.*

11. Executor sententiæ datus in meo negotio, si dolosè fuerit versatus, tenetur mihi actione negotiorum gestorum. *d. l. Ait prætor.* 3. §. *si executor.* 8. *D. h.* Ibid. Vide Gloss. Vital. 1. *var. lection.* 12. Donell. 15. *Comm.* 15. Ratio dubitandi. I. Datur hoc casu actio de dolo. *l si pignora.* 5. *D. de Eviction.* Ubi autem doli actio competit, alia omnis cessat. *l.* 1. *§.* 3. *D. de dol. mal.* II. Executori non est animus gerendi negotii huic vel illi, sine quo non est actio negotiorum gestorum. *l. si pupilli.* 6. *§. sed & si.* 6. *D. h.* sed ut pareat ei, qui eum executioni præposuit, ac sic magis ex necessitate officii quam ultro: ut autem detur negotiorum gestorum actio, desideratur ut ultrò gerantur negotia. *§.* 1. *Inst. de obligat. q. ex quas. contr. nascunt.* Vide

Anton. Fab. *in rational. ad d. l. Ait. prætor.* 3. §. *si executor.* 8.

12. Cum meum negotium ut meum, animo me obligandi est gestum & id ratum habuero, possum conveniri & convenire actione mandati: retrotrahitur enim per ratihabitionem consensus, qui negotii gestionem secutus est, ad prius tempus. *l. fin. C. ad SC. macedon. l. semper.* 60. *D. de Reg. Iur. l. Licet.* 56. *D. de Iudic. l. Donationes.* 25. *C. de donat. int. vir. & uxor. c. ratihabitionem.* 10. *de Reg. Iur. in* 6. Ratio dubitandi. I. Ex *l. si pupilli.* 6. §. *sed si ego.* 6. §. *Item quæritur.* 9. *& seq. l. Pomponius.* 9. *D. h. l. si is, qui.* 50. *D. mandat. l. Ei, qui servo.* 7. *C. quod cum eo, qui in al. potestat.* Vide Anton. Fab. *in rationalib. ad. d. l. si pupilli.* 6. §. *Item quæritur.* 9. Pac. *centur.* 2. *antinom. quæst.* 53. Vide D. Bus. 5. *subtilit.* 6. Annon præstat distinguere inter scientem & ignorantem Dominum? Vide Fabr. *ad d.* §. 1.

13. Si Negotia aliena gerenda mandavi, eaque gesta sunt, datur mihi & contra me mandati, Domino verò & contra cum negotiorum gestorum *d. l. si pupilli.* 6. §. *si quis ita.* 4. *D. l. si mandato.* 14. *C. h.* Ratio dubit. I. In mandantum nulla datur actio, quia mandatum non constitit, cum, ut alteri quid fiat vel detur, alteri quis quid faciat vel det, non possimus stipulari vel ullum per contractum efficere. *l. stipulatio ista.* 38. §. *alteri.* 38. *D. de verbor. oblig.* §. 3. 4. 19. *Inst. de inutil. stipulat. l. Quæcunque.* 11. *D. de Oblig. & action.* II. Datur hoc casu contra mandantem actio negotiorum gestorum, *l. si mandavero.* 22. §. *si curator.* 10. *D. mandat.* Ergò non mandati.

14. In gestione negotiorum voluntariâ est præstanda diligentia exactissima. §. 1. *in fin. Instit. de obligat. quæ ex quasi. contract. nasc. l.* 10. §. 1. *D. h. l. si mater.* 24. *C. de usur.* Et cum in mandato eadem diligentia sit adhibenda. *l.* 13. *l. in re mandata.* 21. *C. mandat.* dubium nullum est, quin & in hac causa. Adde hisce *l.* 2. 18. 21. §. *fin. l.* 37. §. 1. *D. h.* Vide

Vult. 1. *discept*. 15. *&* D. Tim. Fab. *ind*. §. 1. *disp. anniverſ. diſp*. 25. *lit. c.* Si quis autem accedat ad geſtionem neceſſitate rerum, quæ perituræ alias erant, id poſtulante, ſubveniendum eſt, ut tantum geſtor teneatur ob dolum. *d. l. Ait prætor*. 3. §. 9. *D. h.* Præſtat itaque, ut, qui geſturus eſt negotia in commodum amici ſui, antequam ſe rebus ejus immiſceat, in teſtatum redigat, quanta ſit neceſſitas in rebus ſui amici, ut quis eas gerat: vel aliter judicem adeat, ut is negotiis aliquem præficiat. Ratio dubitandi. I. Tantum tenetur geſtor de levi culpa. *l. Tutori*. 20. *C. h.* II. Ratio & communis regula in contractibus hoc ſuadet, ut de lata geſtor conveniri tantum poſſit: cum negotia gerantur in commodum ac utilitatem domini. *vid. l. ſi ut certo*. 5. §. *Nunc*. 2. *D. Commodat*. III. Requiritur tantum ut diligens ſit geſtor, non diligentiſſimus. *d. l. ſi pupillus*. 6. §. *fin. D. h.* Paul. 1. *ſent*. 4. IV. Tutor præſtat levem tantum culpam. *l. Quicquid*. 7. *C. arbitr. tutel.* Majorem verò Tutor ob utilitatem pupillorum debet adhibere diligentiam, quam geſtor, qui majoris ejuſque, qui rerum ſuarum non ſatagit, negotia pio animo adminiſtrat. V. Nemo invenietur, qui alterius negotia eſt adminiſtraturus, ſi negotiorum geſtor teneretur exactiſſimam curam adhibere. Nec ſanè cuiquam officium ſuum damnoſum eſſe debet. *l. ſi ſervus*. 61. §. *Quod verò*. 5. *D. de furt. l. ſed ſi quis*. 7. *D. Teſtam. quemadm. aper.* VI. Tantum culpam tenetur præſtare negotiorum geſtor. *l. Fidejuſſor*. 32. *verſic. negotiorum. D. h.* VII. Imò tunc tantum tenetur negotiorum geſtor de leviſſima culpa, cum alius diligentior ſe obtulerit. *arg. d.* §. 1. *Inſt. in fin l. ſi pupilli*. 6. §. *fin. D. h.* Vide Arum. *Exercit*. 15. *ad Inſtit. Th*. 11. Heig. *ad d.* §. 1. *Inſt.* Tholoſan. *lib*. 20. *ſyntagmt. Iurid. c.* 2.

15. Amicus, qui ad alterius abſentis negotia amicitię oſtendendę cauſa gerenda accedit, ſi probare non poſſit, quod rerum neceſſitate coactus ſe negotiis immiſcuerit, tenetur etiam de culpa leviſſima. Nuſquam enim

enim inter amicum vel similem & non amicum distinguitur. *l. si quis absentis.* 5. *D. de oblig. & action.* Ratio dubitandi. Imò ex causa amicitiæ & affectionis distinguitur, ut, qui affectione ductus negotia administravit, teneatur de lata tantum culpa sive de dolo. *l. Ait prætor.* 3. §. *Interdum.* 9. *D. h.*

16. Verissima est doctrina, quam ponit Bartolus. *in l. Tutori.* 20. *C. h.* Ut, si negotiorum gestor inceperit quædam gerere & posteà ea omiserit, de illis, quæ omisit, teneatur, quod ea non gesserit. *l. in commodate.* 17. §. *si ex facto. D. commodat.* Et si non inceperit, verum accesserit, ut omnia gesturus, teneatur etiam reliquorum nomine, quæ gessit. *arg. l. Pomponius* 15. *& l. seq. D. h.* sin autem non accesserit ut omnia gesturus, nec inceperit & pòst omiserit, non tenebitur de aliis, quæ non gessit, nisi contemplatione ejus destiterit ab administratione alius, qui voluisset gerere omnia. *d. l. si pupilli.* 6. §. *videamus. fin. D. h.* Vide Arum. *d. Exercit.* 15. *Thes.* 12. Ratio dubitandi. Non debet attendi, an contemplatione gestoris quis abstinuerit, ut is, qui non gessit, propter non gesta debeat teneri. I. Cum facta ab alio & inter alios aliis non possint præjudicium facere. *l.* 1. *C. Res inter al. acta vel judicat. aliis non nocere.* II. Cum *in d. l. Tutori.* 20. *C. h.* simpliciter dicatur, sufficere amico in negotiorum gestione in paucis consuluisse. III. Imò *in d. l. si pupilli.* 6 §. *fin.* quæ allegatur in contrarium, non indicatur, quod, cum alius abstinet, debeat qui aliqua gessit propter non gesta simpliciter teneri; verum additur, si ea, quæ non sunt gesta sint talia, ut diligens ea quoque gessisset. Non itaque aliàs tenebitur eo casu, quo alius abstinuit, quam si is, qui aliqua gessit, non gessit ea, quæ vir diligens & bonus propter connexitatem vel aliam causam administrasset.

17. Alimenta, quæ mater suis liberis subministravit ac impensas in liberorum bona erogatas non potest mater repetere, si quidem materna pietate id fecerit.

vet ad h tit ff. n. 16.

rit. *l. Alimenta.* 11. *C. h.* Non verò eſt in facili explicare, utrum mater probare debeat animum repetendi, an verò liberi pietatem maternam ac erogationem eſſe ex materna pietate factam. In dubio, cum liberi ſunt ſatis locupletes, ſentio repetitionem matri non eſſe denegandam. Nec enim mater tenetur alere liberos, qui ſe poſſunt exhibere. *l. ſi quis à liberis.* 5. §. *ſed ſi filius.* 7. *D. agnoſcend. & aliend. lib.* Nec præſumitur velle ſuum jactare. *l. cum de indebito.* 25. *D. de cond. indebit.* Et in re obſcura ſemper magis repetitioni, quam adventitio lucro eſt favendum. *l. Non debet.* 41. §. 1. *D. de Regul. Iur.* Accedit quod præſtet contra liberos pro matre reſpondere, liberis a. frænum injici, ne ex bonitate matris inſolentius ſe gerant: & maxime cavendum, ne inter liberos inæqualitas oriatur, ſi fortè aliquibus ſint præſtita alimenta, aliquibus non. Ratio dubitandi. I. Ex. *d. l. Alimenta.* 11. *C. h.* ubi 1. De alimentis eſt reſcriptum, quod non poſſint repeti, cum mater ex materna pietate ea præſtet. Non enim additur conditio, ſi ea præſtiterit ex affectione, ſed ratio, quia ea præſtit. 2. De impenſis, quod tunc demum poſſit mater repetere, ſi oſtenderit eas animo repetendi eſſe factas: adde *l.* 1. *C. h.* II. Ex *l. Neſennius.* 34. *D. h.* ubi fit mentio proteſtationis vel rationum & in eas illationis. Si itaque non ſit facta proteſtatio de repetendis, vel ſi alimenta & quæ ſunt expenſa, non referantur in rationes, nihil poterit repeti. III. Cum ſubeſt aliqua ratio pietatis, non datur repetitio. *l. Cum is qui Panphilium.* 31. §. *Mulier.* 2. *D. de Condict. indeb.* In hac autem cauſa ſemper eſt pietas vel ratio pietatis. IV. Quod naturale eſt, maximè eſt præſumendum; nemo enim contra naturam quid agere poteſt credi. At, ut mater educet ſuo ſumtu, id omnimodò eſt naturale. *pr. Inſt. de Iur. nat. gent. & civil.* Quibus addendum, quod parentes liberis, non liberi parentibus theſaurizent. 2. *ad Corinth.* 12. *v.* 14. *C. cum. Apoſtolus.* 6. §. *prohibemus. v. non. debent. x. de cenſib.*

sib. c. Prædicator. 64. *vers. Non debent. caus.* 16. *quæst.* 1. Vide Sichard. ac DD. *in d. l. Alimenta.* 11. D. Bus. *in d.l. Nesennius.* 34. Sand. *lib.* 2. *Decision. Frisicar. tit.* 8. *defin.* 3. Colerum. *de aliment. lib.* 1. *c.* 6. *& lib.* 3. *c.* 5. *n.* 20. *& seqq.*

18. Alimenta aliasque impensas, factas in personam vel rem patris, filius potest repetere, licet de iis restituendis non convenerit, si pater solvere possit: nisi animus donandi possit à patre ejusve heredibus probari. *l. Si filius.* 12. *verb. si non donandi animo &c. C. h.* ubi Bartol. Alexand. Huc faciunt textus *in d. l. Non debet.* 41. §. 1. D. *de reg. jur.* 1. *ad Corinth.* 12. *v.* 14. *d. l. Cum de indebito.* Ratio dubitandi. I. Liberi tenentur alere parentes. *l. Competent.* 2. C. *de alend. lib. & parentib. l. fin. §. ipsum.* 5. C. *de bon. q. liber.* Si itaque aluerit patrem filius, officium fecit, & quicquam repetere nequit. *arg. l. Ex duob.* 27. *in fin.* D. *h.* Et, cum non tantum alimenta præstare, sed & aliis parentum necessitatibus liberos succurrere est justum *l.* 1. *C. eod.* injustum esset, si ob eam causam daretur actio ad id repetendum quid ab iis, quibus vitam & omnia sua debent. II. Cum nomine alimentorum nihil possit recuperare pater, licet filius possit solvere, nulla causa erit, quare filio sit permissum re petere quid à patre: cum correlatorum idem sit jus. *l. fin. C. de indict. viduitat. toll.* III. Nec obst. *d. l. si filius.* 12. *verb. si non donandi.* quia si verbum, *Si*, accipiatur secundum Ioannem veterem Glossatorem & alios pro *quia*, sensus hic erit: Filius non repetet, quia animo donandi sumtus fecit. Vel, manente particula, *Si*, in propria sua significatione, res sic explicabitur, quod pro regula sit recipiendum, filium repetere non posse, quodque animus donãdi præsumatur ob debitum naturale, quo filius est obligatus patri, nisi filius possit demonstrare, se animo negotium gerendi debita patris nonnulla exsolvisse. IV. præstat distinguere inter debita modica & magna. *arg. l. utrum donatio.* 47. *in fin.* D. *de donat.*

inter vir. & uxor. Modicum enim non ſolet reſtitui *arg. l. ſcio.* 4. D. *de reſtit. in integr.* Vid. Coler. *de aliment.* 3. *c.* 5. *n.* 32. *ſeq.*

19. Vitricus, qui paterno affectu privignas aluit, ſeu mercedes aliquas pro hiſce expendit in magiſtros, ejus erogationis nullam habet repetitionem: Si vero, ut repiti turus ea, quæ in ſumtum miſit, aliquid erogavit, actio negotiorum geſtorum eſt parata. *l. Si paterno.* 15. *C.h.* Sin autem ambigitur, utrum paterno affectu alimenta & ſumtus alios præſtiterit, an repetendi animo, magis eſt, ut cenſeatur animo repetendi id egiſſe: ne videatur ſuum jactare. *d. l. Cum de indebito.* 25. D. *de probation.* Capra. *conſil.* 105.*n.*1. Maximè verò hæc conjectura valet, ſi privignæ ſint divites, vitricus non adeò locuples, & ſi magnæ ſint impenſæ. Garſias *tractat. de Expenſ. c.* 4. *num.* 24. vel ſi privignæ inſerviverint vitrico, & eo nomine nihil à vitrico poſtulaverint. *arg. l.* 18. §. *Poſſunt.* 2. D. *commod.* Vide Harprecht. *in* §. 1. *Inſtit. de oblig. ex q. contr. num.* 26. Coler. *de aliment. lib.* 3. *c.* 2. Ratio dubitandi. I. Vitricus eſt loco patris, privignæ loco filiarũ Cujac. 9.*Obſerv.* 18. Pater non poteſt repetere, ergò nec vitricus. II. Manifeſtè probatur per *d. l. Si paterno.* 15. C.*h.* vitricum non poſſe recuperare ſumtus, niſi probaverit animum repetendi: quia inquit Gordianus, tunc actionem negot. geſtor. habere demum locum, ſi, *ut repetiturus*, quid erogaverit. III. In dubio ob odium ſecundarum nuptiarum matris magis favendum privignis, patre ſuo orbatis, quam vitrico. *l.* 1. 2. 6. *C. de ſecund. nupt.* IV. Honorabilius eſt ipſi vitrico, ut præſumatur pro affectu paterno: quæ verò ad honorem alicujus ſpectant, maximè præſumi ſolent. Vide Sichard. *in d. l. Si paterno.*

20. Qui, ut Domino reſtituat, rem emit ab hoſte, à latrone vel ab alio, à quo Dominus non poterat eam recuperare, actionem neg. geſt. habet ad reſtitutionem precii ac ejus, quod intereſt: imò & habet reten-

tentionem, donec Dominus eum à sua parte indemnem præstiterit. De re emta textus est *in l. Nam & Servius.* 21. D. *h. l. Ab hostibus.* 2. *l. Liber captus.* 17. C. *de postlim. revers.* Vid. Ayal. *de jur. & offic. bell. lib.* 1. *c.* 5. Ratio dubitandi. Si, quod per furtum vel vim ablatum est, dominus recuperet, solvitur à Domino precium. *l. Si mancipium.* 23. *C. de Rei vindicat. l. incivilem.* 2. *C. de furt.*

21. Si maritus sumtum fecerit in ægram uxorem curandam, nihil potest repeti, *Nec datur actio negot. gestor.* cum ob affectionem, tum ob necessitatem juris *l. Quod in uxorem.* 13. *C. h. l. si cum. dotem daret.* 22. §. *sin autem.* 8. *D. solut. matrim. junct. arg. l.* 1. *D. de Rit. nupt. l. si id quod.* 28. §. *si quas.* 2. *D. in fin. verb. inter conjunctos maximo affectu. D. de donat. int. vir. & uxor.* Impium est constante matrimonio non alere uxorem. Distinguunt nonnulli inter dotatam & indotatam: & rursus inter indotatam sic ægrotantem, ut sit marito inutilis ad obeunda domestica munera, aut, ut sit aliquatenus utilis: illo casu putant non teneri maritum, modo bona uxor habeat alia, vel parentes possint sustinere sumtus: hoc utique. Mihi ea distractio displicet propter arctissimum conjugii vinculum. Est enim in eo prosperorum ac adversorum, divini ac humani juris consortium. *d. l.* 1. *D. de rit. nupt.* Huc quoque facit textus *arg. l. in rebus.* 18. §. *possunt.* 2. *versic. cibariorum. D. Commod.* Ratio dubitandi. I. In dotata non est alenda nec curanda. *arg. d. l. si cum dotem.* 22. §. *sin autem.* Ubi necessitas alendi desumitur ex dote, quam fœmina contulit. II. Indignum est, ut, cum uxor habet bona & nullam dotem marito constituit, alatur, magno sumtu mariti: maxime, cum nec uxorem indotatam, cum dotem possit dare, teneatur maritus domi habere. *l. si donaturus.* 5. §. 1. *versic. maritus. D. de cond. caus. dat. caus. non secut.* Et frustra sibi quid fieri petit, qui quod honestum est, ipse non facit. *l. Iulianus.* 13. §. *offerri.* 8. *D. de action. Emt. l. Ædiles.* 25. §.

fin. D. de Ædil. Edict. ? II. Cum parentes non teneantur ſuos liberos, qui ſe ſuſtentare queunt, alere, non erit juſta ratio, cur maritus uxorem in morbo, per quem ea redditur inutilis marito, alat. *d. l. ſi quis à liberis.* 5. §. *ſed ſi.* 7. *D. de alend. liber.* Major ac magis naturalis ratio eſt in liberis à parentibus alendis. *pr. Inſt. de jur. natur. gent. & civil.* quam in uxore alenda.

22. Maritus, qui in funus uxoris quid impendit, jure convenit ejus ſumtus nomine patrem, ad quem dos reditura eſt. *d. l. Quod in uxorem.* 13. *verſic. In funus. C. h.* Alias, ſi apud ipſum dos ſit remanſura, fruſtra agit: cum impenſa funeris æs alienum dotis ſit. *l. Impenſa.* 18. *D. de religioſ. & fun.* Bald. Alexand. *in d. l.* 13. Undè & concludo, quod, ſi dos ſit reditura ad alium quam patrem vel marituam, b[i]eo debeant reſtitui ſumtus funeris. *arg.* 29. *d. l. Quod in uxorem & d. l. Impenſa. Et l. Si mulier.* §. 1. *D. de Relig.* Si autem non ſit dos, æquè pater convenietur, vel heredes, mulieris. Et, ſi non habuerit heredes: maritus ſibi imputabit. *l. Quod ſi nulla dos eſſet.* 18. D. *de religioſ. & ſumt. funer.* Ratio dubitandi. I. Videtur maritus ſumtus funeris feciſſe ex affectione, ideoque ſi non ſit in contrarium proteſtatus, non recuperabit eos. *l. Et ſit quis* 14. §. *Sed interdum.* 7. *D. eod. de relig.* Quod & indicare videtur. *d. l. Quod in uxorem* 13. *verb. ſi quaſi recepturus erogaſti.*

23. Geſtor negotiorum etiam repetit id, quod utiliter geſſit, licet res, in quam quid impendit, perierit, ſive licet negotium non habuerit effectum. *l. Sed an ultro.* 10. §. 1. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Principali ſublato pereunt omnia acceſſoria *l. nihil dolo.* 129. §. 1. *l. cum principalis.* 178. *D. de Reg. Iur.* Res verò ipſa, in quam ſumtus ſunt facti, eſt principale, negotia verò accidens aliquod vel acceſſorium. II. Nemo dixerit bonæ fidei poſſeſſorem, ſi res perierit, poſſe ſumtus repetere, niſi ſit poſſeſſor hereditatis. *l. plane.* 39. *verſic. plene. D. de hered. pet.* quandoquidem hereditas tanquam univerſitas, incrementum ac decremen-

men-

mentum habet: Atqui negotiorum gestori minus juris est tribuendum quam rei singularis possessori, qui suum curat alienum ignorans: cum gestor curet & sciat esse rem alterius. III. Debet utilitas durare, ut quis agere possit *l. Si pro patre.* 10. *§. versum autem* 6. D. *de in rem verso. l. aliud.* 71. *pr. vers. sicut pervenisse D. de verb. signif.* IV. Ex sola utilitate datur negotiorum gestorum actio gestori. *l. Si quis absentis.* 5. D. *de oblig. & actio. l.* 2. D. *de negot. gest.* verum Dominus, cum res interierit, non habet commodum ex gestis negotiis & impensis ab alio factis.

24. Negotiorum gestor, si in suos usus pecuniam convertat, ad maximas usuras se obligat. *l. Qui sine.* 38. *D. h.* Ubi Anton. Fab. *in rationalib.* Pessimè enim facit, qui sub amicitiæ prætextu sine mandato ad alterius negotia convolat, atque lucrum ex ejus pecunia captat. Gloss. *in d. l. Qui sine.* Ratio dubitandi. Tutor, qui pecuniam in suos usus convertit, non maximas, sed legitimas usuras, quæ sunt ordinariò secundum leges cuilibet impositæ, prout explicatur *l. Eos.* 26. *C. de usur.* præstat. *l. Tutor.* 7. *§. Pecuniæ.* 4. *§. quæ autem sunt.* 10. *D. de administrat. Tut. l.* 1. *Cod. de usur. pupillarib.* Tutor verò & negotiorum gestor *in d. l. Qui sine. verbis: Cujus tutelam negotiav. administravit.* in hac causa comparantur. Ita Socius simpliciter præstat usuras, si in suos usus converterit nummos. *l.* 1. *§.* 1. D. *de usur.* Et non dabitur ratio diversitatis, cur aliter in socio, qui communia gerit negotia, sit statuendum, quam in negotiorum gestore. Ita & Mandatorius tantum ordinarias solvit hoc casu usuras *l. Idemque* 10. *§. Si procurator.* 3. *versic. quod si non exercuit.* D. *mandat.* Non ergò alias negotiorum gestor, quia utriusque est eadem ratio.

Ex tit. C. & D. de Calumniatorib.

25. Definitum est *l. hæc actio.* 4. D. *h.* Actionem ex

edicto de calumniatoribus heredi non competere, quia ſufficere ei debet, quod eam pecuniam, quam defunctus dedit, repetere poteſt. Ratio dubitandi. Abſonum hoc videtur: Nam ſi hæc actio referatur ad heredem ejus, qui læditur per calumniam, dici poteſt, quod Heres ſuccedat etiam in actionem pænalem, quam defunctus potuerat movere. §. *Non ſolum.* 1. *verſic ſed heredibus. Inſt. de perpet. & temporal. action. l.* 1. §. *hoc interdictum.* 44. D. *de vi & vi armat.* Ergò & hanc movebit cum actio non alia in qualitate ac modo competat heredi, quam defuncto. *l. ult. & t. t. C. de hered. action.* Si verò referatur hic textus ad heredem ejus, qui dedit ad calumniandum, uti & verba videntur indicare, nulla actio poteſt heredi dari, quia nec defuncto, qui ipſe turpiter fuit verſatus, competere poterat, propterea, quod utriuſque turpitudo hic verſatur, & dantis ac accipientis. *l. Vbi autem & dantis.* 3. *& ſeq.* D. *de condict. ob turp. cauſ.*

EXERCITIUM XX.

Reſp. WILHELMO BRANDWYCKIO, DOMINO DE BLOCKLAND, Dordraco-Batavo.

Ex tit. D. de reſtitutionib. in integr.

THESIS PRIMA.

RESTITUTIO in integrum magis dici poteſt remedium extraordinarium, quam ordinarium. Subvenit enim Prætor, quoties æquitas poſtulat, ac, quæ ſolemnis ac ordinarii juris ſunt, mutat. *l. Divus.* 7. *princ. D. h.* nec non reſcindit ea, quæ ſummo jure valent. Vide Arum. *diſp. ad D. Theſ.* 1. Maurit. *de reſtitut. c.* 2. *n.* 8. *& ſeqq.* Hinc eſt, quod regulariter non competat reſti-

restitutio, quoties est ordinarium remedium. *l. Item, si.* 14. §. *In causæ.* 2. *D. de eo quod met. caus. l.* 1. §. *Ait Prætor.* 4. *D. de dol. mal. l. In causæ.* 16. *D. de minorib. l.* 1. *C. de restit. in int. minor. l. Quos retrahi.* C. *si advers. libert.* Hinc etiam contra jus civile dicitur introduci. Duaren. *c.* 1. *h.* Walther. 1. *Miscellan.* 10. Ratio dubitandi. I. Convenit omnis restitutio æquitati ac juris communis & naturalis regulis, quæ dictant, neminem esse locupletandum cum alterius injuria. *l. Iure naturæ* 206. *D. de regul. Iur.* Iudicem oportere æquitatem habere ante oculos. *l. Quod si Ephesi.* 4. *in fin. D. de eo quod cert. loc.* stricti juris non esse habendam rationem. *l. Placuit.* 8. C. *de Iudic.* ac in specie, metum ac dolum, cum excludant consensum, non posse comprobari. *l. nihil consensui.* 116. D. *de Regul. Iur.* Vide Zas. *lib.* 1. *Responsor. c.* 20. *n.* 7. 8. II. Potest & concurrere restitutio minoris cum condictione incerti. *d. l. in causæ.* 160. §. *Pomponius.* 2. D. *de minorib.* De dolo vel ob eum restitutio, cum mandati actione. *l.* 1. *C. de dol. mal. junct. l. si mandatu.* 59. §. 1. D. *Mandat.*

2. Cùm plenior est restitutio & plus commodi habet, arbitror & eam non esse denegandam, licet alia possit actio institui, quæ ordinaria est. Ita video admitti Restitutionem ob metum, licet vindicatio habeat locum. *l. Metum.* 9. §. *volenti.* 4. D. *Quod met. caus.* petitio vel hereditatis. *d. l. Item si* 14. §. *In causæ.* 2. *versic. si is, cui vis. D. eod.* Non enim remedia juris sic sunt comparata, ut unum, ex quo est minus, tollat alterum, ex quo majus haberi potest emolumentum, sed, ut quod semel petitum est vel peti potest jure ordinario, non petatur alio vel extraordinario. Huc faciunt textus in *l. si actum sit.* 43. *l. sed si ex causa furtiva.* 47. D. *pro soc. l. Prædia.* 28. *in fin. D. de action. Emt. in l. Qui servum.* 34. §. *hinc de colono.* 4. *D. de oblig. & act.* §. *fin. Inst. si quadrup. pauper. feciss. dicat. l. Nunquam.* 2. §. *Quæsitum est.* 3. *D. de privat. delict.* Hinc concludo, quod si minor curatorem non habens in venditione suæ rei

ſit deceptus ultra dimidium, poſſit reſtitui contra ipſam venditionem, quamvis hoc caſu paratum ipſi ſit beneficium ex *l. Rem majoris* 2. C. *de reſcind. vendit.* Cui conſonans eſt ratio juris; Quod favore eſt conſtitutum, quibuſdam caſibus ad læſionem illorum nolumus inventum videri. *l. Quod favore.* 6. C. *de legib. c. indultum.* 17. *c. Quod ob gratiam.* 61. *de Reg. Iur. in.* 6. *ubi Dyn.* Vide Sfort. Odd. *de reſtitut. p.* 1. *q.* 17. *ubi latè.* Ratio dubitandi. Tam manifeſti ſunt textus, qui docent per remedium ordinarium excludi extraordinarium in *l.* 1. §. *ait.* 4. *D. de dol. l. cauſæ.* 16. *D. de minorib.* ut nemo dubitare poſſit. Et textus in *d. l. ſi actum & reliquis*, non loquuntur de concurſu remediorum ordinariorum cum extraordinariis ac in ſpecie reſtitutionibus in integrum, ſed cum aliis ordinariis. Nec ex ratione aliqua probabili contra expreſſos textus in *d. l.* 16. *&c.* eſt concludendum. II. Minor non poteſt reſtitui ex tali venditione, de qua ſuprà, cum deceptus eſt ultra dimidium, quia jure communi eſt uſus, & ſic non circumſcriptus. *l. fin. C. de reſtitut. in integr. minor.* Et ſi non ſit circumſcriptus, nequit petere reſtitutionem. *l. Minoribus.* 5. *C. eod. l. non omnia.* 44. D. *de minor.* Vide Franciſc. Cald. in *l.* 3. *C. eod. verb. intra legitimum tempus. n.* 10.

Ex tit. C. ubi & apud quem cogn. in int. reſt. agitand.

3. Iure civili illi tantum poſſunt reſtituere, quibus eſt Iuriſdictio. *l. fin. C. ubi & apud quem.* Secundum mores Hollandiæ, à ſuprena Curia impetratur reſtitutio & cognitio de ejus cauſa relinquitur competenti judici, ut notavit *Merul. in prax. Holland.* Arbitri verò non poſſunt de hac cauſa cognoſcere, ne quidem incidenter. *d. l. fin.* Maurit. *d. tractat, c.* 40. Ratio dub. I. Imò ad Arbitros pertinent reſtitutiones. 1. Cum arbitria adinſtar judiciorum ſe habeant. *l.* 1. D. *de recept. arbitr.* Imo, quia

quia ex voluntate partium procedunt, fortiora habent jura. II. Cum expresso textu juris canonici evincatur, ad Arbitros posse incidenter causas restitutionum trahi. *c. Causa.* 9. *h.* Ius verò canonicum hic sequi oportet. 1. quia id posterius est jure civili: jus vero posterius maximè spectandum est. *l. fin. D. de. Const. Princ.* 2. quia magis ad praxin nostri temporis est accommodatum. 3. quia agit de casu jure civili nominatim non expresso *arg. c.* 1. *x. de novi oper. nunciat.* 4. quia & idem in praxi observatur. Vid. Bus. *in l.* 1. *D. h.* post Wurmser. III. Cum *in d. l. fin.* Arbitris non denegetur, quod possint incidenter de restitutionibus dicere sententiam. Unde rectè infertur, quod id iis concessum videatur. 1. Ex natura regulæ, quæ est de genere prohibitorum. *l. mutus.* 43. §. 1. D. *de procurat.* Quicquid non est prohibitum, est concessum. 2. Quia & alias in incidentibus tribuitur potestas judicandi, quæ directò est minimè permissa. *l. si idem.* 11. §. 1. D. *de Iurisdict. l.* 1. *C. inf. de ord. Iudic. l. Quoties.* 3. *C. de Iudic.* 3. Quia ea, quæ ex consequentia fiunt aut incidunt, actum non vitiant ac fieri possunt, quamvis expresse facta actum vitiarent. *l.* 1. *D. de author. tut. l. Nonnunquam.* 52. D. *de condit. & demonst. l. actus legitimi.* 77. D. *de Reg. Iur.* Intereſtque omninò, ne causæ connexitas dividatur. *l. nulli.* 10. *C. de Iudic.* & lites, judicia ac judices multiplicentur. *l.* 1. 2. D. *Quib. de reb. ad eund. judic. eat.* Vide Sfort. Odd. *d. tractat. quæst.* 32. *n.* 78. *ait.* 8. *Cyn. Castrens. in d. l. fin. C. h.*

4. Ad quæstionem, in quo foro agitanda sit cognitio restitutionis in integrum, non simpliciter potest responderi. Arbitror peti restitutionem posse, si in rem, hoc est, adversus possessores detur (uti fit in actione quod metus causa, quæ in rem est scripta. *l. Metum.* 9. §. *fin. D. quod metus caus.* vel ob ætatem, casu. *l. in causæ cognitione versabitur.* 13. §. 1. *D. de minor.* Vel cum ob absentiam rescissoria proponitur actio. §. *Rursus ex diverso.* 5. *Inst. de action.*) ibi, ubi res est vel reus domici-

lium habet *l. Actor. fin. C. ubi in rem actio exerc. deb. l. Quod legatum.* 38. D. *de judic.* Vide Grivell. *decis. dolan.* 129. *n.* 14. Si verò in personam competat, ibi, ubi domicilium habet reus. *l. Quoniam ea.* 2. C. *h.* nec restitutio in personam concepta, erit proponenda in loco contractus, quo quis est læsus, si lædens alibi habeat domicilium. *d. l. quoniam.* 2. Ita docent Balduis, Castrens. vide Baccov. D. *h. c. ubi & coram quo magistr. n.* 4. *vers. sed enim ipsi.* Potest & per modum contradictionis eo loco, quo est actio proposita, moveri. *arg. l. si idem* §. 1. D. *de Iurisd. l. Papin.* 8. §. *filius.* 13. D. *de inoffic. testam.* Ratio dubitandi. I. Expressis verbis & quidem generalibus datur forum in domicilii loco. *d. l. Quoniam.* 2. II. Omnis restitutio est ex facto; quoties ex facto oritur actio, est in personam. §. 1. *Inst. de action* Vide Cujac. *ad tit. C. h.* Covarruv. I. *Resolut.* 4. *n.* 1. II. Annon potius in agitanda restitutionis causa sequi oportet naturam actionis amissæ: ut, si sit realis, in ea sequamur rescriptum in *d. l. actor. fin. C. ubi in rem act. exerceri.* si personalis fuerit, sequamur domicilium rei. Uti D. Sand. *decis. frisicar.* 1. *tit.* 15. *defin.* 1. sentit, & Duaren. *ad h. t.* sentire author est? III. Potest & in loco contractus proponi, licet reus alibi habeat domicilium, modò deprehendatur in loco contractus. 1. quia generaliter receptum est, quod locus contractus det observantiam fori, si contrahens ibi inveniatur. *l. Heres.* 19. §. 1. *& seqq. & ibi* DD. D. *de Iudic.* 2. quia qui petit restitutionem, arguit factum adversarii, atque per hoc in personam agit ex eo, quod ibi est factum, quocirca est necesse ut ejus loci judicem adeat. est enim restitutio nihil aliud, quam examen contractus eo in loco initi. Examen autem illud ibi optimè haberi potest ac debet *arg. l.* 1. *& t. t. C. ubi de ratiocin.* 3. quia & condictio syngraphæ ob non numeratam pecuniam potest in loco contractus institui. *l. In contractibus.* 14. §. *fin. pr. C. de non num. pecun.* Vide Covarruv. *d.* 1. *resol.* 4. *n.* 1.

5. Re-

5. Reſtitutionem dat non minor magiſtratus contra majorem. *l. Minor.* 18. *pr.* D. *de minorib.* Abſurdum enim eſſet, ut minor reſcinderet acta à majori. Poteſt verò quis contra ſuam, prædeceſſoris ſui & inferioris judicis ſententiam dare reſtitutionem. *l. in cauſa cognitione & ſic.* 16. §. *fin.* 12. *fin. l. ſeq. l. Præſides.* 42. D. *eod.* Adverſus ſententiam Delegati à principe, ſolus princeps reſtituit. *d. l. minor.* §. *pen.* Ratio dubit. I. Licet minori contra majoris judicis ſententiam reſtituere, cum in reſtitutione non agatur de jure ſententiæ ejuſque prærogativa ac imperio in alterum judicem, ſed de jure agentis ad reſtitution. vel de adverſarii calliditate *l. præfecti.* 17. *D. eod.* qua de re coram omni judice poteſt agi. II. Adverſus ſuam nemo reſtituit 1. quia non licet cuiquam judici errorem corrigere; ſemel enim dixit ſententiam. *l. Iudex.* 55. *D. de re Iudicat.* 2. non licet cauſam remittere ad eundem judicem in appellatione. *l. Eos, qui* 6. C. *de appellat.* Eſt autem eadem ratio in appellando, quæ in reſtituendo. *l. Præſes.* 42. D. *de minorib.* III. Non poteſt ſucceſſor adverſus prædeceſſoris ſententiam reſtituere: quia ſucceſſor ſequi, non mutare debet ea, quæ prædeceſſori placuerunt. *l. Qui in jus.* 177. D. *de Reg. Iur.*

Ex tit. Codic. Etiam per Procuratorem cauſ. in integr. reſtitut. ag. poſſe.

6. Poteſt etiam agi per procuratorem cauſa reſtitutionis, ſed non aliter quam ex ſpeciali mandato. *l. Illud nullam.* 25. §. 1. *D. de minorib.* nec ſufficit, ſi quis alleget generale mandatum de univerſis negotiis gerendis. *d.* §. 1. quandoquidem agendum eſt de reſcindendo aliquo, quod valide erat actum. Ita nec cognati nec affines ſine mandato in hac cauſa admittuntur, niſi minor ita vivat, ut bonis ei interdici debeat. *l. Patri.* 27. *pr. verſ. Ex qua* D. *eod.* Solus pater excipitur, qui etiam pro invito filiof. poteſt agere, cum &

intersit ejus ob peculium. *d. l. patri. pr.* Ratio dubitandi. I. Potest universorum bonorum procurator omnia facere quæ ipse dominus, & tenetur conditionem domini in omnibus reddere meliorem, *l.* 60. *§. fin.* D. *mandat.* ergò & petere restitutionem. II. Indefinitè in *l. un.* C. *h.* dicitur per procuratorem causam restitutionis agi posse: Indefinitè itaque hoc est accipiendum est, cum leges Codicis, ut posteriores, corrigant priores. *l. fin.* D. *de constit. princ.* III. Imò nullum in hac re sufficit mandatum, cùm minor ipse comparere & petere debeat. *l. Omnes.* 2. *verbis: Ipsi per se. C. de his qui ven. æt. impet.* IV. Imò nec pater potest restitutionem pro suo filio, cum Patris interest ratione peculii, petere. *l. Denique* 3. *§. sed utrum.* 4. D. *de minorib.*

Ex tit. Codic. In integr. restitutione postulata ne quid novi fiat.

7. Cum petita est restitutio in integrum ex verisimiliter justa causa suspenditur omnis executio. *l. un. C. h. l. si causa.* 32. *C. de Transact.* Id verò sic accipio, ut id non tam juris sit ordinarii, quam dependeat ex officio judicis *arg. d. l. si causa.* 32. *verb. causa cognita* Interim in dubio judex erit pronior ad suspendendam executionem, ex eleganti ratione: Melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. *l. fin. versic. melius. C. in quib'. caus. restitut. in integr. necess. non est.* Vide Mynsing. 1. *observ.* 48. Donell. 21. *Comm.* 1. Maurit. *d. tractat. c.* 29. & 30. Ratio dubitandi. I. Malitiis non est indulgendum. *l. in fundo.* 38. D. *de Rei vindic.* Si executio suspenderetur, ex sua malitia haberet commodum: Ex ac malitia peti restitutio præsumitur *c. suscitata.* 6. *versic. Ne verò per excogitationem. x. h.* Vid. Menoch. 1. *præsumt.* 74. II. Ob illiquidum non debet retardari liquidum. *l. Existimarunt.* 21. *D. de reb. credit. l. fin. C. de compensat.* Bartol.

tol. *in l. Si se non.* 4. §. *condemnatus pen. D. de re judic.* III. Exceptiones, post sententiam oppositæ, non possunt impedire executionem sententiæ. *l. fin. C. de ordin. cognit. c. auditis.* 4. *&c. c. literis.* 5. *x. h.* IV. Obstat. *l. Satis apertè.* 2. *C. ad l. Corn. de fals.*

Ex tit. Cod. de temporib. in integr. restit.

8. Quadriennii tempus restitutionibus est præscriptum. *l. fin. C. h.* non tantum ob ætatis facilitatem, sed & ex alia justa causa: in majoribus idem obtinet. *d. l. fin.* Majores hic habere quadriennium intelligimus, & ex metu & ex omni restitutione, exceptâ causâ doli. *l. fin. C. d. dol. mal.* Sunt enim restitutiones & similia juris remedia potius amplianda, quam restingenda, quandoquidem favorem habent. *c. Odia. de Reg. Iur. in* 6. Et deinde textus *in d. l. fin. C. h.* est adeo generalis, ut ad omnes restitutionum species referri possit. Subjicitur etiam hic titulus omnium restitutionum generibus. Vide Gœdd. *disput.* 9. *ad D. Thes.* 2. *lit. c.* Ratio dubitandi. I. Non est correctio admittenda, nisi ea probari possit. *l. sancimus.* 19. *C. de Testam.* Non verò potest probari in omni restitutione tempus esse mutatum, sed videtur per *d. l. fin.* hoc tantum indicari, quod ex edicto de ætate & in specie de absentia tantum detur quadriennium: Nam per majores intelligimus eos, qui restituuntur ex edicto. *Ex quib. caus. major.* ut & series titulorum in Codice innuit. II. Non debet excipi actio de dolo, cum, si generaliter sint accipienda verba *in d. l. fin.* etiam ex iis ad actionem de dolo quadriennium possit referri, quandoquidem titulus de temporibus in integr. restitut. omnibus subjicitur restitutionum speciebus. III. Nulla debet esse distinctio inter actionem de dolo & eam quæ est de metu *l. Item si.* 14. §. *Eum, qui metum.* 13. *D de eo quod met. caus.* Itaque si de dolo tantum debeat

agi intra biennium, ſecundum *d. l. fin. C. de dol.* debet & de metu, ergò de ſola actione de dolo non poterit eſſe exceptio.

9. Si minori tempore fiat læſio (uti ſit in præſcriptione rei mobilis, ad quam tantum requiritur triennium. *pr. Inſt. de uſucap.*) æquè quadriennium competit. Loquitur enim textus *in d. l. fin. C. h.* generaliter ac indiſtinctè. Idemque exprimitur in *clement. un. h. t.* Vide Maurit. *d. tract. c.* 42. Ratio dubitandi. I. Per *l. Ait prætor.* 10. §. *ſi conditionalis.* 23. *verſic. ſi tamen erat. D. de his, quæ in fraud. credit.* II. Per *l. Sed & ſi.* 26. §. *pen. D. Ex quib. cauſ. major.* III. Abſurdum eſt, ut plus temporis ſit in acceſſorio ac extraordinario quam in principali ac ordinario beneficio juris: Ordinarium tempus in rebus mobilibus uſucapiendis triennium eſt & ſi detur quadriennium poſt reditum ac jam factam uſucapionem, plus temporis indulgeretur. Vide Jaſon. *in §. Rurſus.* 5. *Inſt. de actionib.*

Ex tit. C. & D. de eo, quod met. cauſ.

10. Cauſæ reſtituendi in integrum ſunt vel generales, ex æquitate, quotiens ea Prætorem movet. *l. Divus.* 7. *D. de reſt. in int. l.* 1. *l. ſed & ſi.* 26. §. *fin. D. Ex quib. cauſ. major. in integr. reſtituant.* vel ſpeciales; metus dolus, ætas, abſentia &c. Id verò & in cognitionem circa reſtituendi cauſam venit, quod non audiri debeat, qui integrum reſtitui poſtulat ob minimam rem, ſi majori ſummæ vel rei fiat præjudicium. *l. ſcio.* 4. *D. de in int. reſtitut.* Id ita non eſt ſimpliciter accipiendum, quod non ſoleat jus dici de modico, Modicum enim in jure exacte attenditur, ut in furto. §. *Gallinarum.* 16. *Inſt. de rer. diviſ.* & in aliis *l.* 1. §. *Illud.* 10. *D. de conjungend. cum emancip. liber. ejus. l. ſi proprietarius.* 22. *in fin. princ. verſ. Eadem. D. de damn. infecte.* ſed, quod reſtitutio non debeat fieri ob rem minimam, ſi ei, qui

eam

eam petit, alia in re majus præjudicium ea adferat. Huc facit textus in *l. Rem majoris. 21. D. de Exception.* Ratio dubitandi. I. Non datur actio ob modicum. *l. Res. bona 54. D. de contrah. emt. l. Et ideo. 23. D. Locat. cond. Auth. nisi breves. C. de sentent. ex brevic. rec. l. si quis 9. §. fin. & ll. seqq. D. de dol. mal. l. omnino. 12. D. de impens. in rem dot. fact.* Tiraquell. *de judic. in reb. exig. ferend.* II. Probrosum nimis est, ut quis ob res exiguas ad judicium convolet, ac homines ob eas sustineant attritiones *Nov. 73. c. oportet. 8. in fin.* Vide Arumæ. *disp. 6. ad D. Thes* 2. D. Buf. *ad d. l. scio. 4.*

11. Actio quod metus causa est in rem scripta. *l. Metum. 9. §. fin. D. h.* Adeoque datur non tantum contra eum ipsum, qui metum intulit, sed & contra quem libet possessorem. *d. l. 9. §. 1. fin. l. Item si. 14. §. in hac. 3. D. h.* Adeo quidem, ut possessor, qui metum nullum intulit, si non restituerit ad interlocutionem, in quadruplum condemnetur. *d. l. Item si. §. in fin.* Ratio dubitandi. I. Hæc actio est ex delicto, ergo in personam. *§. 1. Inst. de action.* Imò *in §. Præterea. 31. versic. in personam Inst. eod.* in personam esse dicitur. II. Pœna nunquam est, ubi non est delictum: *l. sancimus. C. de de pœn.* Possessor autem non deliquit. Imò, qui rem furto vel rapina ablatam restituere cogitur, nihil unquam pœnæ nomine solvit: sufficit n. si amittat rem sine precio. *l. Incivilem. 2. C. de furt.* Furti autem ac rapinæ causa improbior est, quàm metus; cum is, qui metum infert, sæpè solvat precium *l. si vi vel metu 3. C. h.* ac in eo, qui per metum quid fecit, sit aliquis consensus. *l. si mulier. 21. §. pen. D. h.* at in furto ac rapina nunquam precium interveniat, nunquam sit ullus consensus.

12. Ut Edicto de metu sit locus, requiritur, 1. Ut sit atrox. *l. Continet. 3. §. 1. D. h.* non vanus, non infamiæ. *l. metum. 5. & seqq. D. h.* Quis autem sit atrox, à Iudice æstimandum est. 2. Ut sit præsens. *d. l. metum. 9. D. h.* Non sufficiunt minæ. Ratio dubitandi.

I. Imò

I. Imò est infamiæ sufficit. *l. Isti quidem.* 8. §. *Quod si.* 2. *D. h.* II. Imò non tantum metus præsens facit edicto locum, sed & futurus. *l.* 1. *D. h.* III. Imò ipse metus nihil habet præter minas: uti si quis, minetur occidere vel ædes incendere *l. f.* §. 1. *D. h.*

13. Contractus bonæ fidei ipso jure est nullus, si dolus ei causam dederit. In genere verissima est regula *in l. nihil.* 116. *D. de regul. Iur.* ubi nihil tam consensui est contrarium, quam vis atque metus, quem comprobare est contrà bonos mores: ac magis tollit metus consensum, quam dolus. Dolus autem, contractui bonæ fidei causam dans facit contractum ipso jure nullum. *l. Et Eleganter.* 7, *versic. Hoc enim. D. de dol. mal.* Hinc est quod causam dotis metus faciat ipso jure nullam. *l. si mulier.* 21. §. *si dos.* 3. *D. h.* Vide Cujac. & Bus. *in d.* §. *si dos.* Cæterum, si metum passus ob utilitatem velit agere ex hoc edicto, non est id ei denegandum. Ratio dubitandi. I. Ubique fit mentio etiam in venditionibus rescindendi. *l. si vi vel metu.* 3. *& seqq. C. l. metum.* §. *volenti.* 4. *l. si mulier.* 21. §. *si metu.* 4. *l. fin.* §. 1. *D. h.* II. In metu est consensus, ergo & actus valet. *d. l. si mulier.* §. *si metu.* 5. *D. h.* III. Vbi est exceptio, ibi actio. *l.* 2. *D. pr. Inst. de Except.* ob metum datur exceptio. *d. pr.* Vide Robert. 3. *animadv.* 3.

14. Qui ex metu quid vendidit, non aliter restitutionem obtinet, quam restituto precio quod accepit ab emtore metum inferente. *l. si per vim.* 4. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. si per impressionem. pen. C. h.* II. Datur metum passo Rei vindicatio. *d. l. metum.* 9. §. *volent.* 4. *D. h.* in vindicatione autem non redditur precium. *l. Mater. tua.* 3. *l. mancipium.* 23. *D. de Rei vindic.* nec *in furto. l. incivilem.* 2. *C. de. furt.* III. Jus, quod habet, id is qui sine judice possidet amittit *l. Extat.* 13. *D. h.* Itaque æquum est, ut amittat precium, quod solvit metum inferens.

Ex

Ex tit. C. & D. de dolo malo.

15. Dolus dans causam contractui bonæ fidei, reddit ipso jure nullum contractum *l. Et eleganter.* 7. *versic. hoc enim.* D. *h. l. Ea verò.* 3. §. *fin.* D. *pro soc.* Nihil enim tam contrarium est bonæ fidei, quæ contractus sustinet, quam dolus ac fraus. *d. l. Ea verò.* 3. §. *fin.* Vide Cujac. Costal. Buf. *in d. l. Et eleganter.* Gail. 2. *Obserat.* 2. Incidens verò per actionem ex eodem contractu vindicatur & purgatur. *d. l. Et eleganter.* 7. §. *non solum. l. Iulianus.* 13. §. 4. & 5. *D. de act. Emt.* In contractibus verò stricti juris, sive dederit contractui causam sive in eum inciderit, parit vel actionem cum sunt plenè perfecti ac consummati, vel exceptionem, si læsi conveniantur. *l. si quis cum aliter.* 36. D. *de verbor. Obligat. l. Dolo.* 5. *C. de inutil. stipulat.* Ratio dubitandi. I. Non est distinguendum inter bonæ fidei ac stricti juris contractus, cum hodiè secundum mores pari passu ambulent. Imbert. Rupell. *in Enchir. c. de Evict. an lic. si lis non sit denunt. in fin.* II. Etiam ex jure civili statuitur in hac causa non manifesta satis differentia, cum ubique fiat mentio rescissionis: Et nominatim *in l. si dolo adversarii.* 5. C. *de rescind. vendit.* quæ agit de dolo causam dante contractui venditionis, qui est bonæ fidei. §. *Actionum.* 28. *Inst. de action.* Adde textum in *l. Ex emto.* 11. §. *si quis virginem.* 5. *l. Iulianus.* §. *per contrarium.* 5. §. *si quis colludente.* 27. D. *de act. Emt. l. Tres fratres.* 35. *D. de pact. l. si res æstimata.* 12. §. 1. *D. de Iur. dot.* III. Non solet esse nullitas in bonæ fidei judiciis ob dolum, sed fieri reformatio ac reductio ad arbitrium viri boni. *l. Majoribus.* 3. *C. commun. utriusque judic. l. In proposita.* 78. *junct. l. seq.* D. *pro. soc. l. si quis.* 9. D. *h.* Vide Coras. 1. *Miscell. d.* Robert. 3. *animadv.* 1. 2. 3.

16. Doli actio est personalis §. *Præterea.* 31. *versic. in personam. Inst. de action.* non in rem scripta *arg. l. Sed & ex dolo.* 15. §. *Item Si quid.* 2. D. *h.* Est enim opus, ut in hac

hac actione designetur persona quæ dolum fecit, quod in metu est diversum. *d. l. Sed & ex dolo.* 15. *§. fin.* D. *h* Nec potest dici actio in rem esse scripta, nisi id probetur per legem. In rem ut sit scripta actio, id est attribuẽdum beneficio legis. Verum est arbitraria. *d. §. præterea.* 31. *l. arbitrio.* 18. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Edictum de dolo malo confertur cum Edicto de metu. *d. l. Item, Si cum.* 14. *§. Eum.* 13. *D. quod met. caus.* Quod itaque in uno receptum est, ad alterum est extendendum, cum ex textu, tum ex paritate rationis: utraque enim famosa & extraordinaria ad restitutionem pertinens ob delictum. II. Exceptio doli non personæ sed rei cohæret. *l. Exceptiones.* 7. *§.* 1. *D. de Exception.* cujus autem qualitatis est exceptio, ejus & actio, cum ex eadem causa actio & exceptio profluant. *l. Palam est.* 2. *D. de Except. dol. ac met.* III. Uti edictum de metu in rem est conceptum, hoc modo: *Quod metus causâ gestum est, ratum non habebo. l.* 1. D. *Quod met. causa.* Ita & Edictum de dolo malo: Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit & justa causa esse videbitur, judicium dabo. *l.* 1. *§.* 1. D. *h.* In heredes datur actio de dolo, quatenus sunt facti locupletiores. *l. In heredem.* 26. D. *h.* ergò & in alium, qui ex illa re commodum habet, ne quis cum alterius damno fiat locupletior. *l. jure naturæ.* 206. *D. de Reg. Jur.* Et consequenter contra quemlibet possessorem.

17. Non datur actio de dolo, si alia sit, sive extraordinaria, sive ordinaria *h. l.* 1. *§.* 1. *& §. Ait.* 4. D. *h. l.* De. *dolo.* 2. C. *h.* modo non sit æque famosa, uti, quod metus causâ *d. l. Item. si cum* 14. *§. Eum* 13. D. *h.* Id adeo verum est, ut nec possit dari, si ab alio res servari possit. *d. l* 1. *§. fin. & ll. seqq.* D. *h.* vel exceptio doli possit competere. *l. fin.* D *h.* Vide. Donell, 15. Comment. 40. & *in tract. de præsc. verb. c.* 16. *& seqq.* Sichard. *in d. l. de dolo.* 2. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. *C. h. junct. l. Si mandatu.* 59. *§.* 1. D. *mandat.*

II. Ex

II. Ex *l. Si legatarius.* 23. D. *h. junct. l. Error.* 9. *C. ad l. Falcid. l. Si per ignorantiam.* 6. *l. Fideicommissum.* 7. *C. de cond. Indeb.* III. Ex *l. Si fidejussor.* 19. D. *h. junct. l. Mora.* 32. §. *fin.* D. *de usur. l. Mora* 88. *in fin.* D. *de verbor. obligat.* Vide Fab. 2. *Conject.* 12. Duar. *ad. l.* 49. D. *de verbor. oblig.* IV. Ex *l. Servus tuus.* 20. D. *h. junct. l. cum à te pecuniam.* 25. D. *h.* V. Ex *l. naturalis.* 5. §. *Quod si.* 5. D. *præscript. verb. junct. l. Solent.* 15. *l. Si tibi.* 22. D. *eod.* VI. Ex *l. Repeti.* 5. §. *fin. in fin.* & *l. seq.* D. *quib. mod. usuf. amittit.* VII. Imo & huic actioni est locus, licet res esse possit salva ac servari ab alio. *l. Etiam in his.* 3. & *t. t.* C. *Si tutor vel curat. interven.* VIII. Cum ex eadem causa procedant doli actio ac exceptio *l. Palam.* 2. *D. de Except. doli.* est absurdum, ut actio ob exceptionem, quæ possit competere, cesset. Vide Bartol. *in l. fin. D. h.* Cyn. & Castrens. *in d. l. De dolo.* 2. C. *h.*

Ex tit. C. & D. de restit. minor.

18. Minor læsus duo probare tenetur. 1. Ætatem. 2. Læsionem. *l. Si minorem.* 4. *l. Minoribus.* 5. *C. h. l. Cum te.* 9. *C. de probation.* Æquissimum id est ob regulam: Incumbit actori semper probatio. *l. Ei incumbit.* 2. D. *l. Actor.* 23. *C. de probation.* etiam tunc, cum agitur de tempore, quod quis pro sese allegat. *l. Matrem.* 17. C. *eod.* Vide Menoch. 2. *præsunt.* 50. *Donell. in d. cum te.* 9. Ratio dubitandi. I. Favor ætatis postulat, ut ab onere probandi relevetur. Est enim minor inter eas personas, contra quas non quibus, licet agant, est probandum *l. Cum de indebito.* 25. §. 1. *D. de probation.* II. Qui ex contractu agit, tenetur probare eum contractum cum omnibus suis qualitatibus *d. l. Ei incumbit.* & maxime quidem, quod adversarius fuerit aptus ad contrahendum. *l. Qui cum alio.* 19. D. *de Regul. jur.* Unde & consequenter, si actor ex negotio cum aliquo gesto, non doceat eum, cum

voet. ad h t. n. 12: 13.

quo

quo egit, Majorem fuiſſe, non poterit audiri. III. Imò partes ſunt ejus, qui cum minore contraxit, demonſtrare minorem ex ea cauſa eſſe locupletatum, *l. Sine herede. 32. §. Interpoſito. 4. verb. neque in rem ſuam quicquam verſum eſſe probetur. D. de adminiſtrat. tutor. l. patri. 27. §. 1. verſic. Item ex diverſo. D. h. l. 1. C. Si adverſ. credit.* Adde *l. Civitas. 27. D. de reb. Credit. junct. l. Rempublicam. 7. C. de jure reipubl.* Vide Pinell. *in l. 2. c. de reſcind. vendit. part. 3. c. 1. n. 30. & ſeqq.* Salicet. *in d. 1. C. ſi adverſ. creditor.*

Ex tit. C. de fidejuſſorib. minor.

19. Fidejuſſoribus non ſubvenit reſtitutio minoris, ideoque, cum ea petitur, non tantum contra eos, qui cum minore contraxerunt ſed & fidejuſſores ipſorum deſiderabitur. *l. In cauſæ cognitione. 13. D. de Minor.* ne eo modo qui contrahunt cum minore decipiantur. *d. l. In cauſæ. 13.* Ratio dubitandi. I. Sublato principali, corruit acceſſorium. *l. Cum Principalis. 178. D. de Regul. jur. l. lex vectigali. 31. D. de pignorib.* fidejuſſio autem eſt acceſſio ad principalem obligationem. *§. Fidejuſſores. 5. verſic. nam eorum. Inſt. de Fidejuſſor.* II. Expreſſi ſunt textus. 1. in *l. fin. in fin. D. de uſur. rei judic.* Ubi beneficium juris tributum condemnatis etiam datur fidejuſſoribus. 2. in *l. Si pupillus. 89. D. de acquir. vel amitt. hered. l. Minor. 51. D. de procur. l. Si tutor. 2. §. 1. D. de adminiſtr. tutor.* 3. In *l. Stichum. 95. §. Quod vulgo. in fin. D. de ſolut.* 4. In *l. Si Titius. 48. §. 1. D. de fidejuſſ.* III. Iura rebus cohærentia, competunt fidejuſſoribus *l. Exceptiones. 7. §. 1. D. de Except.* hæc verò cauſa non perſonæ, ſed rei cohæret. Eſt enim reſtitutionis beneficium jus reale, cum detur heredibus, licet ſint ii majores. *l. Minor. 18. §. fin. D. de minor.* & ob læſionem tantum competat. Iura autem ac beneficia, quæ ad heredes tranſmittuntur, ſunt privilegia cauſæ. Uti & illa, quæ ad læſionem pertinent.

Ex

Ex tit. C. Si tutor vel curator intervener.

20. Subvenitur minoribus læsis, licet Tutor vel Curator intervenerit. *l. Etiam in his*, 3. *& t.t. C. h.* Id procedit & in iis; quæ in judicio, & in iis, quæ extra judicium sunt gesta *l. Minoribus*. 2. *C. h.* Imò & adversus sententiam latam ex justa defensione tutorum vel curatorum *l. Cum & minores*. 4. *C. si advers. rem judicat.* Ratio dubitandi. I. Cum detur ordinarium judicium tutelæ *l.* 1. *&. t. D. de tutel. & ration. distrah.* non licet convolare ad extraordinarium restitutionis. *l. in causæ cognitione*, 16. *pr. D. de minorib.* II. Absurdum est, ut fiat Restitutio, cum Tutor vel Curator intervenit. Eo enim modo nemo cum minoribus eorumq; Curatoribus ageret: Quoties autem ex restitutione futurum est, ne quis sit contracturus cum iis, cessat restitutio. *l. Quod si minor*. 24. §. 1. *D. eod.* III. In Extrajudicialibus quidem negotiis id admitti posset, sed non potest tolerari, cum, justâ defensione à curatoribus factâ, sententia contra minores est lata. 1. propter authoritatem rerum judicatarum, quas non convelli publicè interest, *l. servo invito*. 65. §. *Cum prætor*. 2. *D. ad SC. Trebellian.* 2. quia justè habetur id, quod ex prætoris decreto vel authoritate judicis quis habet *l. Iustè*. 11. *D. de acq. vel amitt. poss.* idemque excludit omnem restitutionem. *l. Ait prætor*. 7. §. *sed & si ei*. 2. *in fin. D. de minorib.*

Ex tit. C. Si in commun. eademque caus.

21. Quamvis minor pro portione sua in re communi possit implorare restitutionis auxilium, tamen majoribus ad communicandum Edicti perpetui beneficium, minoris socii ætas patrocinari non potest. *l. un. C. h.* Id sic accipiendum, ut, licet majores non restituantur, possit tamen contractus venditionis in to-

tum reſcindi, ſi is minori aliique qui prædium commu-ne emerat, minore ex ſua parte reſtituto, velit rece-dere à toto contractu, quod partem emturus non eſſet *l. Tutor.* 47. §. 1. *D. de minor.* licet de eo antè non proteſtatus fuiſſet. Ratio dubitandi. I. Pupilli pri-vilegium prodeſt majori *in l. ſi communem.* 10. *D. Quem adm. ſervitut. amittant.* II. Iniquum eſt, ut eadem cauſa diverſo jure cenſeatur; ut quod reſcribitur ad unum, id non ad alium, qui communem cum eo, ad quem eſt reſcriptum, habet cauſam, pertineat. *l.* 1. *C. de diverſ. reſcript.* ut cauſæ connexitas dividatur. *l. Nulli* 10. *C. de Iudic.* Adde hic textum *in l. ſi poſt. mortem.* 10 *§ fin. D. de bon. poſſ. contr. tabb. l. loci corpus.* 4. *§. ſi fun-dos.* 3. *D. ſi ſervit. vindic.* III. In confeſſo eſt, quod ſi minor ſit inter eos, qui litem communem ſunt habituri, prima inſtantia ad ſupremum Tribunal alios poſſint vocare *l. un. C. Quando Imper. int. vid. junct. d. l. nulli.* Cur ergò non hac in cauſa beneficium minoris proderit aliis? IV. Nemo dubitat, quin victoria ab uno ex pluribus appellante reportata etiam aliis non appellantibus proſit *l.* 2. *D. Si unus ex plurib. appellav.* Cur non & uno reſtituto, reliqui reſtituentur? V. Si in totum non reſcindatur communis cauſa, abſurda hæc orirentur, 1. ut, ſi maritus minor adverſus contra-ctum, à ſe & uxore majore initum, cum tertio, reſtitue-retur, uxori reſtitutione denegatâ, maritus non poſſet manere indemnis ratione communionis bonorum vel quæſtus, qui eſt in ſtatutis locorum ubique, 2. ut, ſi ma-ritus quoque reſtitueretur contra conſenſum, quem uxori accommodavit, contractus ab uxore initus i-pſo jure eſſet invalidus. Vide Sand. *lib.* 1. *deciſ. fri-ſic. t.* 15. *defin.* 4. VI. Hoc quoque abſurdum ori-tur ex hac ſententia, ut quis aliquandò cogatur invi-tus eſſe in communione: quod leges fieri nolunt. *l.* 5 *C. Comm. divid.* Reſtituto eorum minori alius ſuccede-ret. Videri ergò poſſet minorem non tam reſtituen-dum eſſe contra eum, cum quo contraxit, quam con-

tr.

tra illos, qui una cum minore contraxerunt cum tertio: ita ut magis minor eximatur, quam ei restitutio detur ad contractum pro sua parte rescindendum. *arg. l. Si Titius.* 48. §. 1. *D. de fidejussor. l. Fundus.* 64. *D. de contrah. Emt. l. Proprium solum.* 5. *verbis : adjectio itaque vicini pro supervacuo habenda est. D. Commun. prædior.*

Ex tit. Cod. si advers. venditionem.

22. Minor, qui juravit spontè, se inviolabiliter contractum servaturum, non restituetur. *Auth. Sacramenta. C. h.* Idem procedit si, jurejurando corporaliter præstito, caverit, se de cætero non esse controversiam facturum *l.* 1. *C. h.* Huc facit. *Psalm.* 15. Non n. tanti esse debet commodum restitutionis quanti est salus. Ratio dubitandi. I. Aperiuntur hic fenestræ, tantumnon januæ ad fraudandos minoris, contra *l.* 1. *D. de minor.* Eadem enim minores facilitate & dolo adversarii jurant, quâ contrahunt in suum detrimentum. Hinc in Hispania secundum *Pinell. part.* 3. *c.* 1. *ad l.* 2. *C. de rescind. vedit.* Quem. Tulden. *ad h. t. n.* 1. allegat in Galliis, & in Belgio, secundum Gudelin. *lib.* 3. *de jure noviss. c.* 14. *versic. Non immorabor*, ejusmodi juramenta rescinduntur vel sublata sunt. II. Cum juramentum sequatur naturam ejus contractus, cui adjicitur. *l. fin. C. de non numer. pecun.* & ipse contractus possit rescindi, rescindetur & juramentum. III. Si contractus non valeat, nec valebunt ea, quæ sunt secuta. *l. Non dubium.* 5. *C. de legib.* Ac deindè, cum juramentum hoc contra publica privilegia fiat, non potest ullius esse momenti. *l. Iurisgent.* 7. §. *Et generaliter.* 16. *D. de pactis.*

Ex tit. si adversus delictum.

23. Non datur restitutio in delictis, siquidem dolo malo sint commissa. *l. Si ex causa judicati.* 9. §. *nunc vi-*

dendum. 2. *l. Auxilium.* 37. §. 1. *D. de minor. l.* 1. *fin. C. h.* Malorum enim mores infirmitas ætatis non excusat. *d. l.* 1. Legesque non decipientibus sed deceptis subveniunt. *l. Et primò.* 2. §. 3. *D. ad SC. Vellejan.* Is non potest expectare ullum beneficium à jure, qui ipse in leges committit. *d. l. Auxilium. in fin.* Nec hic distinguo inter leviora & graviora delicta: sed 1. inter ea, quæ pugnant cum jure naturali & ea, quæ adversantur tantùm positivo. 2. inter ea, quæ dolo & ea quę culpa committuntur. *d. l.* 1. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Datur mitigatio pœnæ si non plena remissio vel restitutio contra delictum. *d. l. Auxilium.* 37. §. *verb: nisi quatenus ætatis miseratio interdum ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.* Huc facit textus *in l. Fere in omnibus.* 108. *D. de regul. Iur. l. Aut facta.* 16. §. *persona.* 3. *in fin. D. de pœn.* II. Imò solet in totum minoribus remitti pœna. *l. si adulterium.* 38. §. *Fratres.* 4. *D. ad l. Iul. de adult: l. fin. C. h.* quo facit generalis regula *in l. Ait prætor.* 7. *pr. D. de minorib.* III. Imò solet distingui inter graviora ac leviora, propter *d. l. si ex causa. jud.* §. *nunc.* 2. *vers. sed si. l.* 1, §. *accusationem. in fin D. ad SC. Turpillian. d. l. Auxilium.* 37. §. 1. IV. Non tantum delinquitur dolo sed & lata culpa. Venit enim nomine doli lata culpa. *l. Magna.* 226. *D. de verbor. signif. l.* 1. §. 1. *D. si mens. fals. mod. dix. l.* 1. §. *Non alias.* 2. *D. si is, qui testam. lib. ess. juss. fuer. l. si fortuito.* 11. *D. de incend. ruin. & naufrag.*

24. Si confessus sit crimen minor, nisi probabilis innocentiæ subsit præsumtio, non audietur contra eam restitui volens. In genere enim definitum, in delictis non dari restitutionem, ne quidem in confessione *d. l. Auxilium.* 37. §. 1. *verbis: Nulla est pœna adulterii deprecatio, si se adulterum minor confiteatur.* Huc facit textus *in l. Inde Neratius.* 23. §. *fin. & l. seq. D. ad. aquil.* Nec enim minor præsumitur ad sese gravandum quid esse confessus. Vide Francisc. Sarmient. 3. *selectar. Interp. c.* 13. Fach. 1. *Controvers.* 72. Non autem con-

festim

festim convolabit Iudex ad condemnationem, sed in omnes exquiret circumstantias, &, si omnibus expensis judex dubitare possit, utrum vera sit confessio an ejus revocatio, pronior erit ad dimittendum ex ratione *l. Absentem* 5. *D. de pœn.* sed non sine pœna, propter temerariam suam confessionem. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Certum.* 6. §. *in pupillo.* 5. *D. de confess.* II. Ex *d. l. si ex causa judicati.* §. *nunc videndum.* 2. *versic.* Ubi datur restitutio adversus inficiationem, & ob eam non punitur minor: ergò & ob confessionem, quia utriusque in hac re est eadem ratio. III. Res fragilis, periculosa &, quæ veritatem sæpe fallat, est minoris confessio. Nam vel minaci vultu ac asperiori Iudicis sermone perterritus, vel lenioribus ejusdem verbis spe aliqua remissionis vel mitigationis facta, captus ex animi inconstantia ac facilitate inducitur ad falsam confessionem. IV. Facit pro hac sententia regula generalis *in l. Ait prætor.* 7. *pr. D. de minor.* Contra quam cum expressè nihil possit probari, subveniendum est: cum regulæ stetur, quandiu contrarium non docetur. DD. *ad l.* 1. *D. de Regul. Iur* Vide Angel. *in d. l. Certum* 6. §. 5. *D. de confess.* Tessaur. *dec.* 161. *in fin.* Maurit. *d. tractat. c.* 158.

25. Non satis convenit inter juris Interpretes, utrum minor adversus contumaciam, quam ipse commisit, sit restituendus, cum, sc. evocatus legitimis edictis non comparuit. Censeo sic esse respondendum, ut, si sit vocatus ad actum, quem ipse explicare potest ac debet, denegari debeat restitutio. Ita, E.G. si fuerit ad judicem vocatus, ut curatorem ad litem sibi eligat, vel ad adversarii intentionē audiendam compareat legitime, & ob contumaciam sit datus curator, licet postea velit alium eligere, non debet audiri. Sin autem fuerit ad ipsam causam vocatus sine curatore, non erit contumax. *l. Contra.* 54. *D. de re Iudic.* Ratio prioris est, quandoquidem in dolo est, cum in eo negotio, quod ipse gerere potest & in quo idem potest quod major, non paret judici *l. Non potest.* 199. *D. de Reg. Iur. arg. l. Inju-*

riarum. 13. §. 1. *&* §. *si quis* 2. *D. de injur. junct. arg. l. Auxilium.* 37. *in fin. D. de minorib.* Hinc etiam concludo, quod minor, si delatione Iurisjurandi facta cum ipse heres rogatus esset restituere secundum casum *in* § *fin. Inst. de fideicommiss. hereditat. l. fin. fideicommiss.* & per contumaciam noluerit jusjurandum præstare, recte possit condemnari ad hereditatem ex fideicommisso restituendam, & condemnatus postea nequeat restitui. Vide casum huc pertinentem in Sande. *decis. frisicar. lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 18. Posterioris est ratio, quia minor non est citandus simpliciter ad causam, cum legitimam non habeat personam standi in judicio. *l. in rebus.* 2. *& fin. C. Qui legat. stand. in jud. person. hab. v. non.* sed curator: Ideoque si sit citatus non est contumax, cum ex vitiosa citatione non sequatur contumacia. *arg. l. Quotiens vitiosè.* 6. *D. Qui satisd. cogant.* Et, si curator sit contumax, contra eam contumaciam, quia nihil ei potest imputari, restitui potest. Si quidem enim contra sententiam in qua Curator eum defendit, restitui mereatur, multo magis restituetur, cum contumax fuerit Curator: huc facit. *l. Minor.* 8. *D. de minoribus.* Ratio dubitandi. I. Non videtur minor unquam fieri contumax, sive sit actus, quem ipse potest expedire, sive sit is, qui ab eo geri nequit: Loquitur enim textus *in d. l. Contra.* 54. *pr. D. de Re judic.* generaliter ac indefinite. II. Ob contumaciam curatoris non opus est ut minor restituatur, cum, quando non est defensus in lite, sententia sit ipso jure nulla. *d. l. Contra.* 54. *l. pen. C. si advers. rem judic.* III. Imò semper sunt adversario sumtus in litem facti restituendi & nunquam minor ab iis est liberandus, per *l. Intra utile.* 39. §. 1. *versic. Respondi. D. de minorib.* Nec enim debet contumacia minoris vel curatoris minorisque beneficium nocere adversario. *l. Factum.* 155. *D. de Reg. Iur. l. Nec avus.* 4. *C. de Emancip. liberor.* Vide Fachin. *lib.* 8. *cont.* 104. *&* 10. *controv.* 2.

EXER-

EXERCITIUM XXI.

Resp. PHILIPPO AB AERSSEN, Hagâ-Batavo.

De reliquo jure restitutionum, arbitris compromissariis. &c.

Ex tit. Cod. Si advers. usucap.

THESIS PRIMA.

COntra eos, qui res minorum tenent, si usucapione dominium acquisierint, restitutionis auxilium minoribus decerni debet. *l. un.* C. *Si advers. Usucap.* Id non tantum obtinet in minoribus natis. *d. l. un.* sed & posthumis. *l. Etiam ei.* 45. *pr.* D. *de minorib.* Nec est necesse ut minores ea in causa probent læsionem, quandoquidem ex ipsius actus facie ac re ipsa ea resultat. DD. *in l. Sancimus. fin.* C. *In quib. caus. rest. in integr. non est necessar.* Mynsing. *cent.* 4. *observ.* 16. *versic. Porro quod dictum est.* Ratio dubitandi. I. Ipso jure sunt minores hoc casu tuti, cum iis non possit objici præscriptio longi temporis *l. Non est incognitum.* 3. C. *Quibus non objic. long. temp. præsc.* Et si ipso jure se tueri possint non datur restutio. *l. In causæ cognitione.* 16. *D. de minorib.* Imò nulla temporis præscriptio ipso jure currit contra minores, excepta temporis longissimi, *d. l. Sancimus. fin. C. In quib. caus. in integr. rest. non est necessaria.* Ubi elegans additur ratio: quia melius est eorum jura intacta servari, quam post causam vulneratam remedium quærere. *l. un. C quand. sint Iud. unic. se vind. lic.* Vide de hac quæstione Duaren. *in d. l. fin.* Gothofred. *in d. l. un.*

2. Adversus præscriptionem conventionalem ex contractu majoris, cui minor successit, descendentem (E.G. Si major sub lege commissoria fundum ven-

vendiderit, cui deinde heres minor successit, & si satisfactum non fuerit venditori intra statutum tempus, res in alium transferatur) non restituetur minor. Ita definitum est priori parte *legis. Æmilius.* 38. *D. de minorib.* ex sententia prætoris & præfecti urbi, & quidem rectè *arg. l. fin. C. Si advers. vendit. pign. l. apud Iulianum.* 3. *pr. versic.* Ideoque D. *Ex quib. caus. in possess. eat.* Adde *l. Si intra.* 8. *in fin. C. de non numer. pecun.* verum si ipse minor in hanc præscriptionis necessitatem suo facto se conjecerit, audiendus est. *arg. l. ait prætor.* 1. D. *de minorib. junct. arg. l.* 1. *& seq. C. Si ad vers. vendit. pignor.* D. Sand. *decis. frisicar. lib.* 1. *tit.* 15. *defin.* 5. *circa fin.* Ratio dubitandi. I. Ex omni causa restituitur minor. *d. l. ait prætor.* 7. Non tantum in damno sed & lucro. *d. l. arg.* 7. *hodie.* 6. *l. non omnia.* 44. D. *de minorib.* Ergo & ex hac, de qua in contrarium textus certus dari nequit II. Imo contra sententiam antè positam est textus *in d. l. Æmilius.* 38. *vers. Imperator.* D. *de minor.* ad quam non est respondendum, ut quidam dixit, Imperatorem motum rutilantibus Rutilianæ provocantis oculis contra jus respondisse.

3. Minor, si consanguineus ejus vendiderit rem immobilem, quam, quia ea à majoribus minoris profecta erat, retrahere potuerat, restituetur, contra eam omissionem. Huc facit argumentum deductum ex *l. Si in emtione.* 35. *pr. D. de minorib.* ac ratio, quia est restitutio concedenda, quoties minor vel quod habuit omisit, aut quod acquirere potuit omisit. *l. Non omnia.* 44. D. *de minorib. l. pen. C. eod.* Ratio dubit. I. Hæc sententia minori largiretur ansam decipiendi: posset enim si rei precium cresceret, agere ad retrahendum, si id imminueretur, emtori rem relinquere. Iura autem errantibus ac imprudentibus, non fallentibus juvenibus subveniunt. *l. Si is, qui minorem.* 2. *C. si minor major. se dix.* II. Non potest re distracta alii concedi restitutio, sed tantum integrâ *l. Quod si minor.* 24. §. *Scævola.* 2. D. *de minor.* Cum verò nemo ad retrahendum legi-

legitimo tempore procedit, addicitur plenè emtori. & quidem publica authoritate, ob quam restitutio cessat. *d. l. ait prætor.* 7. §. *Sed & si ei. versic. Quid tamen.* D. *eod.* III. Cum minor jure majorum hoc casu utatur, non habet locum restitutio. *l. fin.* C. *eod.* Majoribus autem omnibus hæc lex dicitur, ut ad retrahendum veniant intra certum diem. IV. Imò ei non nocet hoc tempus ipso jure & consequenter non opus habet restitutione. *l. fin.* C. *In quib caus. in integr. rest. non est necessar.* Add. *c. un.* §. 4. *versic. si minori.* & §. *seq. si de feud. defunct. content. sit inter domin. & agnat. c. constitutus.* 8. *x. de in integr. restitut.* V. Annon præstat distinguere inter damnum & lucrum: ut quidem in lucro, non in damno currat minori præscriptio. Vide Panormit. *in d. c. constitutus.*

Ex tit Cod. Qui & advers. quos.

4. Liberis non datur restitutio contra parentes ex eorum facto, non tantum in causa famosa. *l. Non debet.* 11. §. 1. D. *de dol. malo.* sed in alia qualibet. *l. fin* C. *h.* quia id pugnat cum reverentia, quam liberi suis parentibus præstare jure coguntur *l. liberto & filio.* 9. D. *de obseq. parentib. junct. l. honori.* 2. *l. parens.* 5. §. 1. *ll. seqq.* D. *eod.* Vide Arum. *disp. ad pandect.* 6. *Thes.* 15. Bus. *add. non debet. n.* 1. & *seqq.* Ratio dubitandi. I. Expressum est *Nov.* 155. *c.* 1. filium contra matrem restitui. II. Datur restitutio filio contra patrem, cui filius est condemnatus. *l. Si cum paterf.* 2. C. *si advers. rem judicat.* vel cui filius in donatione consensit. *l. fin. in fin.* C. *si advers. donation.* Vid. Bartol. *in d. l. fin.* C. *In quib. caus. rest. in integr. necess. non est.*

5. Minor contra minorem non solet restitui. *l. verum.* 11. §. *Item quæritur.* 6. D. *de minorib.* Non enim datur privilegiato contra privilegiatum restitutio: Et in pari causa est melior conditio possidentis: verum in hac re respondet Ulpianus. *d. l.*

verum 11. §. *Item quæritur*. 6. inſpiciendum eſſe, quis captus ſit: proindè ſi ambo capti ſint, verbi gratia, minor minori pecuniam dedit & ille perdidit, melior eſt cauſa ejus, qui accepit, vel dilapidavit vel perdidit. Ratio dubitandi. I. Abſurdum eſt, iniquum ac perniтioſum, ut is, qui ſobriè res ſuas egit, patiatur damnum, is verò, qui dilapidavit vel perdidit & qui vel dolum vel culpam commiſit, commodum ſentiat. Sunt enim adjuvandi rerum ſuarum ſatagentes: *arg. l. Vt perfectius*. 2. *verſic. ſed ſit aliqua.* C. *de annal. Except.* Nec malitiis eſt indulgendum. *l. In fundo*. 38. D. *de Rei vindicat*.

voet ad tit de minor. n. 50.

6. Iuris Doctor, in contractu læſus, reſtituendus eſt. *arg. l.* 1. D. *de minorib. l.* 1. C. *h.* magis quam Mercator, qui alias diligens paterfamilias eſt *d. l.* 1. C. *h.* Imo quam & Decurio. *d. l.* 1. *C. h.* Solent enim juris Doctores peritiſſimi, rerum gerendarum eſſe ignari. *Cyn. in d. l.* 1. Vide Fach. 3. *controv.* 5. Sarmient. 3. *Selectar. interpret. c.* 12. *n.* 5. *& ſeqq.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Neceſſarium*. 2. §. *Servius*. 43. D. *de orig. jur.* Qui textus licet loquatur de peritia juris, debet tamen & ad alias cauſas referri, cùm olim JCti non tantum de jure, ſed de aliis negotiis ad uſum quotidianum pertinentibus, reſponſitaverint, ut 3. *de Orator.* teſtatur Eloquentia pater. II. Vix eſt, ut non propriam turpitudiem alleget JCtus, qui, cum gravitas ac conſtantia morum eum deceat, contractibus, à ſua profeſſione alienis, non debet ſeſe immiſcere & vult reſtitui. Imò eſt culpandus, ſi ſeſe immiſceat vel alterius prudentioris conſilio non ſit uſus: Uti enim ignorantia juris nocet imperito, ſi, cum conſulere potuerit Iuriſperitum, id non fecerit. *l. Regula*. 9. §. *Sed juris ignorantiam*. 3. D. *de jur. & fact. ignorant.* ita magis juriſconſulto, ſi peritiores contractuum non conſuluerit, ne deciperetur: audiet enim aliàs ſibi occini cum opprobrio ex *l. Incivilem*. 2. *C. de furt.* diſce cautius mercari.

Ex

Ex tit. Cod. si sæpius in integr. rest. postul.

7. In una eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, nisi novæ defensiones prætendantur, posci sæpe rescriptum est. *l. pen. l. fin. C. h.* & ibi DD. Ratio dubitandi. I. In eadem hereditate potest iteratò fieri restituti. *l. aut prætor.* 7. §. *Restitutus.* 9. D. *de minorib.* cui è diametro obstat textus *in l. fin.* §. *fin. versic. Non autem C. de bon. quæ liber.* II. Licet appellare bis. *l. un. C. Ne lic. in una ead. caus. tert. provocar.* Cur ergò non bis postulare restitutionem, quæ nullo favorabilior est appellatione.

Ex tit. C. si min. se major. dixer.

8. Qui juravit bona fide se esse majorem cum minor esset, non restituitur, nisi instrumentis ostenderit se minorem tempore contractus fuisse. Itaque si per testes ætatem minorem posteà velit docere, non audietur. *l. si alterius.* 3. *C. h.* Hanc ipsam constitutionem cum & sit singularis, non puto esse extendendam ad actus nullitatis. Siquidem enim actus ipso jure sit nullus, utputa, si minor habens curatorem fundum vendiderit. *l. si curatorem.* 3. *C. de in integr. restit. minor.* & minor juraverit se esse majorem, arbitror nihil effici, cum juramentum sequatur naturam ejus actus, cui additum est. *l. fin. C. de non numer. pecun.* ac etiam is, qui cum minore contraxit, sibi imputare debeat, quod non exactius in qualitatem minoris inquisiverit, cum eam scire potuisset. *l. Qui cum alio.* 19. *D. de regul. Iur.* Ratio dubitandi. I. Non debet minor in hac re fides haberi testibus, cum sunt tales, qui omni gratiæ ac potentatui fidem judiciariæ religioni debitam possunt præponere. *l. Eos.* 4. *C. de Testib.* quam instrumentis. 1. Propter *l. in exercendis.* 15. *C. de fid. Instrum.* 2. Quia non testimoniis, id est instrumentis, sed testibus credendum. *l. Testium.* 3. §. *Idem Divus.* 3. *D. de Testib.*

II. Imò

II. Imò debet textus *in d. l. si alterius. 3. C. h.* extendi ad actus jure nullos. 1. Propter generalitatem verborum in fine & rationem. 2. Quia etiam juramentum confirmat actus per se & ipso jure nullos, uti receptum in eo, quod mulier tuta SCto Velliano præstat & simil. 3. Quia generatim inquit Alexander Imp. *l. 1. C. si advers. vendit.* Si minor corporaliter præstiterit jusjurandum, se neque perfidiæ, neque perjurii autorem futurum. Facit huc textus *in c. Cum contingat. 28. x. de jurejurand. c. Quamvis. 2. de pact. in 6.* Vide Sfort. Odd. *de tractat. q. 24. ait. 14.*

Ex tit. Cod. de his, qui ven. ætat. impetrav.

9. Qui veniam ætatis impetravit, ei non subvenitur, si læsus sit, nisi res immobiles sine decreto alienaverit vel hypothecæ dederit sine decreto. *l. Eos, qui. 3. C. h.* An autem, qui veniam petiit, posteà observans se non esse satis aptum ad res suas tuendas, restitui possit adversus impetrationem, non satis est expeditum. Pronior sum in eam sententiam, quod sit adjuvandus. Est enim impetratio in commodum introducta ac consequenter non retorquebitur in odium ac detrimentum. *l. Quod favore. 6. C. de legib.* Nec enim beneficia cuiquam oneri esse oportet, sed est omnibus permissum favorem pro se introductum remittere *l. pen. C. de pact.* Vide Gloss. Bartol. Fulgos. *in l. 1. C. h.* Ratio dubitandi. I. Impetratio veniæ est beneficium ac favor à Principe delatus: cuilibet est concessum per se & ex se beneficiis ac favoribus suis renunciare *d. l. pen. C. de pact.* Non ergo opus est restitutione. Non est enim necesse, ut petam restitutionem in eo, quod jure meo possum. *l. in causæ. 16. D. de minorib.* II. Impetratio veniæ est nihil aliud quam abbreviatio ætatis minoris, & probationem diligentiæ ac honestatis mo-

morum continet talem, ut quis sit factus major *l. Omnes 2. C. h.* Major autem non potest petere restitutionem. Vid. Alberic. *in d. l.* 1. *C. h.* III. Expressis verbis Impr. *in d. l.* 1. *C. h.* negat restitutionem: addita hac ratione, ne hi, qui cum minore contraxerunt; sive ut ibi dicitur contrahunt, principali auctoritate circumscripti esse videantur. IV. Minor, qui statum mutavit, non restituitur. *l. si ex causa judicati.* 9. *§. Papinianus.* 4. *versic. quoniam res.* D. *de minorib.* Qui verò ex minore fit major ac sub curatore esse desinit, statum aliquatenus mutat. V. Annon præstat distinguere, utrum publicè ac palam sit facta impetratio, an privatim ac non ita notoriè? Vide Sfort. Odd. *quæst.* 23. *art.* 10.

Ex tit. C. de Reputationib. quæ fiunt. in judic. in integr. restitutionis.

10. Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro: & ideò quicquid ad eum pervenit ex contractu, debet restituere. *l. un. pr. C. h.* Adeoque Invenis, qui precium pro fundo vendito accepit, tenetur reddere, non a. omne precium, quod ei est annumeratum est, sed quatenus ex ea pecunia factus est locupletior: verum emtor jubendus est prædium cum fructibus restituere. *l. patri.* 27. §. 1. *in fin. D. de minorib.* Itaque si totum precium dilapidaverit minor, ut ex eo nihil in rem ejus sit versum, nihil restituet. *l. sine herede.* 32. §. *Inter. posito.* 4. *D. de administ. tutor.* Ita autem minori in reputatione facienda consulitur, ut nunquam excusationem ullam inveniat dolus. *d. l. un.* §. *fin. C. h.* Ratio dubitandi. I. Iniquum est, ut emtor omnes fructus cogatur restituere, minor verò non omnem pecuniam, quæ ipsi est numerata si partem consumserit. Consumtioni vel dilapidationi nullum est præsidium dandum, sed coarctandi sunt juveniles calores. *l. fin. §. Ipsum.* 5. *versic. melius. C. de bon. quæ liber.* II. Per beneficium minoris non debent

debent alii detrimento vel injuria affici. *l. Nec avus.* 4. *C. de Emancipat. liberor.* III. Expresse responsum est ex æquissima ratione *in l. Quod si minor.* 24. §. *Restitutio.* 4. D. *de minorib.* 1. Restitutionem ita faciendam esse, ut unusquisque in integrum jus suum recipiat 2. Si in vendendo fundo circumscriptus restituetur, jubere prætorem, ut Emtor fundum cum fructibus reddat & precium recipiat sc. omne quia indefinitè JCtus loquitur. 3. Precium à minore esse reddendum: nisi tum emtor dederit, cum eum perditurum, non ignoraret: sicuti fiet & in ea pecunia, quæ ei mox consumturo creditur. Itaque non spectatur, quid minor dilapidaverit, sed quid ei sit numeratum tanquam perdituro. IV. Etiam *in l.* 1. *& fin. C. si adversus Transact.* rescriptum est non tantum minorem adjuvari sed & ejusdem adversarium, ut utrinque recipiantur, quæ habuerunt. V. Quotiens minor dilapidat, dolo facit, ergò semper precium restituere tenetur, quia quod dolo facit & consumsit, habendum est ac si extaret. *d. l. un. in fin. C. h.*

11. Si hic casus incidat. Minor non habens curatorem fundum vendidit, conqueriter de læsione & eam in precio intervenisse probare potest: emtor verò agnoscens aliquam læsionem sine dolo malo factam, offert justi precii suppletionem ex arbitrio viri boni, ut rem retineat. Quæritur, utrum Emtor audiri debeat, ac minor. Hunc magis audiendum esse arbitror quoties ei efficax est ob læsionem actio ad restituendum. *d. l. Quod si minor.* 24. §. *Restitutio.* 4. *versic. Itaque verbis: iubeat prætor emtorem &c.* D. *de minorib.* cui consonat *l. patri.* 27. §. 1. *versic. Item ex diverso. D. eod.* Facit huc textus *in. l. Siquidem.* 11. *C. de præd. & al. reb. minor* Vide Cyn. *in d. l. Siquidem.* 11. Castrens. *in l. non interest.* 5. *C. de his quæ vi met. caus. gest. sunt.* Ratio dubitandi. I. Ubi læsio deest, ibi frustra petitur restitutio: probanda enim necessariò est læsio. *l. minoribus.* 5. *C. de Restit. in integr. minor d. l. Quod si minor.*

nor. 24. §. Restitutio. 4. vers. Itaquesi in v. f. circumscriptus. l. Verum. 11. §. sciendum. 3. D. eod. II. Si alia ratione sit consultum minori, non est recurrendum ad hoc extraordinarium remedium. *l. In causæ. 16. D. eod.* III Est fortissima probatio à simili *in l. Si res. 12. §. si mulier. 1. versic. Enimvero. D. de jure dotium.* Vide. Gloss. Bartol. Bald. Salic. *in d. l. siquidem. 11. C. de præd. & al. reb. min.*

12. Non satis expressè est definitum legibus, utrùm minor, cum de reputatione facienda quæstio incidit, teneatur probare in rem suam quid non esse versum, an adversarius, minorem factum esse locupletiorem probilior mihi semper visa est sententia eorum, qui contra minorem responderunt: Is enim docere debet se læsum esse. 1. locupletiorem non esse factum. Huc faciunt textus in *l. 1. C. h. & l. Quod si minor. 24. §. restitutio. 4. D. de minorib.* Si quidem enim sese læsum esse allegat contra eum est præsumtio, quod suum non jactasse sit credendus. *l. cum de indebito. 25. D. de probat.* Vide D. Busium in *l. verum. 11. num. 4. & seqq. D. de minorib.* Gloss. ac Bartol. in *l. 1. C. si advers. creditor.* Ratio dubitandi. I. Adversarius, est actor in reputandis iis, quæ ad minorem pervenerunt: probare ergò debet. *l. Ei incumbit. 2. D. de probat.* II. Minor est ex iis personis, quæ non debent probare, sed quarum adversario incumbit probatio. *d. l. Cum de indebito. 25. §. 1. D. de probation. 3.* III. Huc pertinet rescriptum manifeste huic rei conveniens, in *l. 1. C. si advers. creditor.* quod non tantum ad mutuum, sed ad omnem contractum pertinet, uti, & *l. fin. C. eod.* quemadmodum inscriptio indicat: Creditoris enim vocabulum est latissimum *l. Creditores. 10. & seqq. D. de verbor. significat.* IV. Expressi pro hac re sunt textus *in l. prædiorum. 10. in f. l. si prædium 16. C. de præd. ac aliis reb. minor. l. sine herede. 32. §. Interposito. 4. D. de administrat. tut. l. patri. 27. §. 1. vers. Item ex diverso. D. de minorib.* Adde *argument. ex l. utrum.*

23. *princ.*

23. princ. in fin. D. de petit. heredit. l. si pro patre 10. §. *versum autem.* 6. D. *de in rem verso.* Vide Fachin. 2. *Controvers.* 46. *post varios.*

Ex tit. C. & D. Ex quib. caus. major. in integr. restituant.

13. Cum usucapio est cæpta tempore absentiæ, ob quam datur restitutio, & perfecta est plenè post reditum, non privabitur reversus in totum restitutione, sed moderatum est ratione absentiæ tempus concedendum. Nec male censuerunt Bartol. Bald. Salicet. *in l. Quod tempore.* 3. C. *de restitut. milit.* tanto minus temporis ad restitutionem concedendum esse, quanto diutius ante usucapionem completam læsus post reditum fuit domi, per *d. l. Quod tempore.* 3. *& l. pen.* C. *Quib. non objic. long. temp. præscript.* Sic fiet, ut tempus præsentiæ noceat ac absentiæ non obsit. Alias enim si statim post reditum esset agendum vel post impletam usucapionem, non competeret hoc casu quadriennium, quod leges ob absentiam indulserunt. *l. fin.* C. *de temporib. in integr. restitut.* Ratio dubitandi. I. Respondet Ulpianus *in l. Ab hostibus.* 15. §. *fin.* D. *h.* Restitutionis auxilium locum habere in reverso, non quandoque, sed ita demum, si intra modicum tempus, postquam rediit, hoc contigit; id est, dum hospitium conducit, Sarcinulas componit, quærit advocatum: Is enim, qui differt, non est audiendus. Adde *l. Non enim* 16. *D. eod.* Vbi inquit Paulus, ita demum esse restituendum, qui rediit, si temporis augustiâ non potuerit litem contestari. Ad hæc omnia cum brevius tempus, quam quadriennium, sufficiat, frustra de quadriennio dando disputatur. II. Datur tunc tantum quadriennium, cum usucapio est tempore absentiæ completa. *l. 1. versic. Item si quis quid usu. D. h. §. Rursus. 5. Inst. de action.* Vide Cujac. 19. *observat.* 15.

14. Non est sufficiens causa restituendi majorem contra

præscriptionem longi vel longissimi temporis, si is nihil aliud alleget, quam se ignorasse rem suam præscribi. Hac de re neminem dubitare permittunt textus *in l. fin. verbis: Nulla scientia vel ignorantia exspectanda. C. de præscript. longi tempor. l. un. versic. Et nullus eis ad eas. C. de transform. usucap.* Nunquam requiritur scientia, sed tantum bona fides, justus titulus, tempus legitimum possessionis continuatio ac apta rei, quæ usucapienda est, qualitas. Vide latius Dominic. Arum. *disput. ad* D. 6. *Thes.* 24. Busium. *in l. sed et si.* 26. §. *fin. n.* 1. *&* 2. *h.* Fachinæ. 1. *Controvers.* 69. Ratio dubitandi. I. Ignoranti ubique subvenitur *l. si fidejussor.* 29. *pr. versic. ubi vero. D. mandati.* & si agatur de re sua amittenda non tantum error in facto, sed & in jure non nocet. *l. Error juris.* 8. *D. de Iur. & fact. ignorant.* II. Fit in specie mentio scientiæ requirendæ in usucapione vel præscriptione, *l. si aquam.* 2. *verb. eo sciente C. de serv. & aq.* ubi verba, eo sciente, conditionē habent, cum per duos ablativos absolutos efferantur. *arg.* §. *fin. Inst. de nupt. l* 109. *D. de condit: & demonst. l.* 63. D. *Ad l. Falcid.* III. Videtur JCtus *in l. Et Atilicinus.* 35. *D. de servit. præd. rustior.* ignorantiam habere pro sufficienti causa restituendi, cum cessante negligentia aut culpa detur restitutio: In ignorantiâ nec est negligentia, nec verè culpa. IV. Tantum Ignorantia Juris non impedit præscriptionem. *l. sicut.* 3. *in fin. C. de præscript.* 30 *vel* 40 *annor.* undè sequitur, facti ignorantiam impedimento esse. Vide. Sfort. Odd. *d. tractat. quæst.* 8. *art.* 9. Maurit. *d. tractat. c.* 57. *& seqq.*

15. An paupertas ac similes causæ justæ sint, relinquendum est Iudicis arbitrio. Potest enim sæpè fieri, ut justæ esse videantur: quo casu recurrendum est ad generalem clausulam; si qua mihi justa causa videbitur. *l. sed & si.* 26. §. *fin. junct. l.* 1. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Non est consultum, ut quid Iudicis potestati subjiciatur. 1. Ne ea judex abutatur. 2. Ne desit necessitas parendi. *l. Non quicquid.* 40. *pr. D. de Iudic.*

Oportet autem in omnibus esse necessitatem parendi: Frustra enim alias sunt leges. II. Per se & ipso jure meretur restitutionem. *l. Si procuratorem* 8. §. *Quod ad actionem*. 8. *versic. Quid tamen si Paupertas*. D. *Mandat*. Maximè verò id admittendum est in iis, quæ sine sumtu & expensis non possunt expediri. Vide Odd. *d. tractat. quæst.* 11. *artic.* 9. Maurit. *dict. tractat. c.* 362.

16. Non impeditur restitutio absentis Reip. causâ, sive reliquerit domi vel non reliquerit Procuratorem. *d. l. sed & si.* 26. §. *fin. D. h.* Nec hoc responsum locum sibi vindicat tantùm in absentia Reip. sed & in quavis alia justa, uti apparet ex contextu ac serie *d. §. fin. & ll. seqq.* Vide D. Arum. *d. disp.* 6. *Thes. ult.* Rat. dub. I. Denegatur restitutio iis, qui domi Procuratorem reliquerunt, *l. Is, qui Procur.* 39. *D. h.* II. Imò illi, qui procuratorem reliquerunt, tantùm possunt restitui ad appellandum *l. f. D. de rest. in int* Ergò non absolutè quoad causam.

De gratiosa Principis restitutione.

Princeps ex sola gratia ac sine causa nec minorem nec majorem ut negotium ritè gestum rescindatur restituendi & tempus restitutionibus præscriptum prolongandi habet facultatem. Ius enim quæsitum nemini potest auferre. *l. Rescripta*. 7. *C. de prec. Imper. offer.* Vide *exercit. nost.* 9. *Thes.* 19. Verum ex justissima ratione potest aliquem restituere famæ, ut aboleatur effectus juris infamiæ & facti. Item potest fieri ab eo restitutio ad honores, ad ordinem, ad omnia, quæ quis habuit, etiam ad bona, quę delinquentes propter delictum amiserunt. *l.* 1. D. *de sentent. pass.* ut & ad patriam potestatem §. 1. *Instit. quibus mod. patria potest., solvit.* Ad postulationes *l.* 1. §. *Deinde* 9 *& seq.* D. *de postuland.* Ratio dubitandi. I. Non est ademtum Principi restitutionem gratiosam concedere in prolongando tempore restituendi, 1. cum ipse dederit quadriennium ex suo lubitu. *l. fin.* C. *de Temporib*

porib. in integ. restit. Potest & ei aliquod tempus addere. 2. Iudex potest prorogare tempus ad solvendum *l. si debitori meo.* 21. D. *de Iudic.* Non ergò denegabitur principi, ut tempus restituendi proroget. II. Princeps non potest abolere infamiam facti, quia ea consistit in opinione hominum ac animis: quibus non potest lex politica præscribi. III. Si concedat princeps, ut delinquens ad bona ab aliis occupata redeat, adimit jus aliis quæsitum, quod fieri non posse certum est. Vide latè de gratiosa restitutione Sfort. Odd. *d. tractat. quæst.* 91. & *seqq.*

Ex tit. C. & D. de alienat. judic. mutand. caus.

17. Cum miles postulabat suo nomine litigare de possessionibus, quas sibi donatas esse dicebat: Responsum est, si judicii mutandi causa alienatio facta fuerit, priorem dominum experiri oportere: ut rem magis, quam litem in militem dominus transtulisse credatur. *l. Cum miles.* 11. *D. h.* Id non in milite tantùm, sed & quolibet alio actore duriore adversario recipiendum est: Est enim eadem in aliis, quæ est in milite ratio. Ratio dubitandi. I. Datur ex hoc edicto in factum actio in id quod interest alium adversarium non haberi, non ergò ipse adversarius, qui rem transtulit, ad agendum potest compelli: pendet enim id ex voluntate adversarii, utrùm velit ipse judicium pati vel accipere, an verò velit contra se agi ex hoc edicto. *l. Quia etiam.* 3. §. *fin.* D. *h.* II. Non habebit hoc casu actio in factum ex hoc edicto locum, quia nec miles hic, nec adversarius ipse, qui ante fuit dominus, actionem ullam habet. *l. fin. C. ne liceat proeentiorib.* Expresse idem confirmatur per *l. fin. D. h.*

18. Iudices compromissarii, sive Arbitri esse nequeunt cum effectu servi, pupilli, furiosi, surdi muti, Iudices dati in eadem causa. *l. Pedius* 7. §. 1. & *ll. seqq.*

D. h. Minores 20. annis. *l. cum lege Iulia.* 41. D. *h. Fœminæ. l. fin. C. h.* Possunt autem servi consentientibus partibus sententiam dicere efficacem, cum liberi sunt facti. *l. Sed si in servum.* 9. D. *h.* Iudices autem hodie ex moribus & secundum jus canonicum rectè in arbitros eligi possit *c. cum tempore.* 5. *c.* Cum *olim.* 7. *c. Ex parte. & ibid.* Gloss. *x. h.* Bald. *de arbitr. q.* 2. Si autem ex hisce prohibitis quis sit assumtus una cum aliis, qui jure esse possunt arbitri, alii cogendi non sunt dicere sententiam. *d. l. Pedius.* 7. §. 1. Ratio dubit. I. Servus potest esse prætor. *l. Barbarius.* 3. D. *de officio Prætor.* Ergò & Arbiter: minus enim est arbitrum esse, qui privato jure eligitur, quam præturâ fungi. II. Etiam de jure civili possunt Iudices esse arbitri, quia & ipsi prætores non prohibentur. *l.* 1. §. *Et post.* 9 D. *de oper. nov. nunciat.* III. Major 18. annis potest esse Iudex consentientibus partibus *c. Cum vigesimum.* 41 *l x. de offic. & potest. Iudic. delegat.* Imò & ea ætate minor. Si partes in eum consenserint. *l. Quidam consulebat.* 57. D. *de Re Iudicat.* vel si Princeps ei dederit Magistratum: Princeps enim, dum ei magistratum dat, omnia gerere decernit. *d. l. Quidam.* 57. Vide Ant. Fabr. in *d. l. Cum l. Iudic.* 41. IV. Expressum est *c. Dilecti.* 4. *x. h.* etiam in mulierem habentem jurisdictionem validè compromitti posse: non itaque simpliciter prohibebitur fœmina Arbitrium recipere. V. Si quis sit electus in Arbitrum cum eo, qui arbiter esse nequit, cogetur sententiam dicere, cum servi persona pro supervacuo habenda sit. *l. proprium solum* 5. D. *Commun. prædior. l. l. Fundus ille.* 64. D. *de contrah. Emt.* nec conqueri potest de ulla iniquitate is, qui eo casu compellitur. *arg. l. Si Titiusc* 48. D. *de fidejuss. l. Qui cum alio.* 19. D. *de Reg. Iur.*

19. Parvi refert, integræ famæ sit arbiter, an ignominiosus. *d. l. Pedius.* Paterfamilias, an filiusfam. Imò & admittitur filiusfam. in re patris. *l. Sed & Filiusfam.* 5. *& seq.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Arbiter e ligi-

eligitur quasi vir bonus. *l. Labeo. 3. verſ. verum quoniam.* D. *h.* II. Non eſt juſta ſententia expectanda ab homine probroſo: Mali enim Corvi malum ovum, & ab improbo eſt iniquitas, ſecundum vetus dictum Hebræorum. III. Splendor ac honeſtas rei obſtat. IV. Infamis non eſt legitimus teſtis *l. Teſtium.* 3. *D. l. Eos.* 5. *C. de teſtib.* Nec adſeſſoris munere fungi poteſt. *l. Liberti.* 2. D. *de Offic. Adſeſſor.* Nec poteſt poſtulare. *l.* 1. §. *Ait prætor.* 8. *D. de poſtulando.* Multo minus poteſt eſſe Arbiter, qui imaginem Iudicis habet. *l.* 1. *D. h.* §. 1. *Inſt. de action. l. Rem non novam.* 24. §. *Patroni.* 1. *C. de Iudic.* V. Filiusf. nequit eſſe in re patris arbiter, cum nemo ſibi vel ſuis jus dicat. *l. Qui Iuriſd.* 10. D. *de Iuriſdict.* & filii cauſa & vox, ſit cauſa & vox patris.

20. Ab arbitrorum ſententia non datur appellatio. *l.* 1. *C.* & ibi. DD. *l. Non diſtinguemus.* 32. §. *Cum quidam arbiter.* 14. *verbis: Etiamſi appellari non poteſt.* D. *h.* Nam compromiſſum magis eſt conventio, quam verum Iudicium: Et ubi non eſt verus judex verique judicis ſententia, ibi nec appellatio. *l.* 1. *D. de appellat.* verum, ſi iniqua dicta eſt ſententia, datur reductio cauſæ ad judicem. *l. pen. pr. verſic. Sin autem* C. *h.* Vide Gail. 1. *Obſ.* 150. *n.* 8. Ratio dubitandi. I. Probatur expreſſis in eam rem textibus, appellationem fieri poſſe & oportere. *l. Arbitro* 9. *& ſeq. D. qui ſatiſd. cogant.* Ubi Bartol. *l. fin.* D. *quib. appellar. non lic.* II. Idem poſtulat juſta ratio: ſunt enim arbitria ad formam Iudiciorum redacta *d. l.* 1 *d. l. Non diſtinguemus.* 32. §. *Item, ſi quis Roma.* 9. *in fin. D. h.* III. Definitum eſt, quod ſequi oporteat ſententiam Arbitrorum, licet ſit injuſta. *l,* 76. *D. pro ſoc. l.* 17. §. 2. *D. h.* non ergo vel appellatio vel reductio datur. IV. Si concedatur Reductio, idem fit per eam, quod per appellationem: unde & appellationis ſpecies dicitur. *d. l. Non diſtinguemus.* §. *cum quidem.* 14. *in fin. D. h.* Itaque cum nominis ſono hæc duo differunt, non re, nimis ſubtiliter inter hæc diſtinctionem ponimus: cum leges

non verbis ſed legibus ſint impoſitæ. *l. 2. in fin. C. comm. de legat.* V. Satius eſt diſtinguere inter arbitros Iuris, quos eligi jubent Leges vel Statuta. Cujac. 9. *Obſ.* 23. Mynſ. 4. *Obſ.* 68. *n.* 6. 10. & eos, qui voluntariò eliguntur. IV. Iure canonico appellatio conceditur *c. ſane* 34. *c. ſtatutum.* 38. *& ſeq. cauſ.* 2. *quæſt.* 6.

21. Reductio datur ad ſimilitudinem appellationis. *Authent. hodiè. C. de appellat.* ad decendium. *d. l. pen. pr. verſ. Sin autem. C. h.* Quo tempore elapſo non agetur ulterius. *d. verſic. Sin autem.* Vide Fachin. 8. *Controverſiar.* 95. Parlador. 2. *Rer. quotidian. c. fin.* 8. quem allegat D. Sand. 1. *friſic. deciſ. t.* 14. *defin.* 3. ubi inquit Curiam Friſicam ſequi hanc ſententiam. Ratio dubitandi. I. Debent dari triginta anni ad introducendam reductionem, quoniam jus reductionis ad arbitrium viri boni eſt perſonale, quod præſcribitur tantùm 30. vel 40. annis. *l. Sicut.* 3. *& ſeqq. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Gail. 1. *Obſervat.* 150. ubi monet ita judicaſſe Cameram Imperialem. Vide Coſtalium in *d. l. Societatem.* 76. *D. pro ſoc.* II. In dubio aſſumitur minus lædens: minus verò lædunt 30 anni. Poteſt & *d. l. pen. verſ. Sin autem* ſic accipi, quod proviſionaliter, non finaliter ſententia Arbitrorum ſit executioni mandanda, ſi neuter reductionem faciat.

22. Reductio non fiet ad Arbitrorum, nec ad Succumbentis, qui reducit, nec ad Ejus, contra quem fit reductio, nec ad ſupremum Tribunal vel ad Principem, nec ad ejus loci, quo ſententiam dixerunt Arbitri, ſed ad eum judicem, qui remoto arbitrio eſſet ordinarius. Huc facit textus in *l. Si quis rem.* 30. *in fin. verbis: lite apud Iudicem ſuo ordine peragenda. D. h.* ac ratio: quia cum arbitria ſint juris privati & ab iis non poſſit appellari, debet reductio, ne publici juris ordo præter intentionem agentium turbetur, vel quid ordinario judici detrahatur, fieri ad ordinarium. Dum enim, quis reducere ſatagit, rem omnem ad ſtatum,

in

in quo fuit ante arbitrium redigit. Qui itaque initiò judex erat adeundus: idem & arbitrio rejecto. Vide Covarr. 2. *Resolut.* 12. *n.* 19. Mynſ. 2. *Obſ.* 61. Gail. 1. *Obſ.* 149. *n.* 2. *& ſeqq.* Teſſaur. *deciſ.* 14. Fachin. 8. *controv.* 34. Grivell. *Deciſ. dolan.* 1. *n.* 5. alioſque quos DD. paſſim allegant. Ratio dubitandi. I. Hæc res ſpectat ad arbitrorum judicem: Fit enim appellatio ad ſuperiorem Iudicis ejus, qui ſententiam dixit. *l.* 1. *D. de appellat.* & reductio eſt ſpecies appellationis. *d. l. Non diſtinguemus.* 32. §. *cum quidam.* 14. *in fin.* D. *h.* Vide Afflictum. *Deciſ.* 51. II. Magis ſpectat judicem ejus, qui obtinuit, quia reducens eſt in cauſa reductionis actor, adverſa,ius, contra quem reductio fit, eſt reus. Regula verò eſt perpetua: actor ſequatur forum Rei. *l. fin. pr. C. ubi in rem act. exercer. deb.* Deindè cauſa reſtitutionis, quæ huic eſt ſimilis, eſt agitanda in foro ejus, contra quem petitur reſtitutio. *l. Quoniam.* 2. *C. ubi & apud quem cognit. in integr. reſtit. agitand. ſit.* Vide Covarruv. 2. *Reſolution.* 12. *num.* 2. III. Præſtat ad Iudicem loci, in quo ſententia eſt lata reduci cauſam: quia ubi contractus eſt celebratus, ubi quis eſt læſus, ibi eſt forum competens. *l. Hæres.* 19. §. 1. *& ſeqq. D. de Iudic.* Et quidem id juſtiſſimum eſt, cum per electionem arbitrorum videantur partes ab ordinario foro receſſiſſe. IV. Maximè reductio pertinet ad ſupremum Tribunal: cum in dubio variorum foro ſatius ſit ad ſupremum Iudicem procedere: ſic fiet, ut omnes exceptiones ac lites facilè perimantur, quod legumlatoribus & judicibus ſerio agendum eſt. *pr. Inſt. de pœn. tem litig. l. Exiſtimaverunt.* 21. *D. de reb. Credit.* Id apud Friſios eſſe receptum teſtatur Sand. *lib.* 1. *d. tit.* 14. *defin.* 2. *deciſ. friſicar.* Cujus Iuris hoc fundamentum eſt, quia cum appellatio ceſſat, ſupplicationem tantùm fieri oportet ad Principem vel eum, qui ejus loco judicat, ut revideatur. *l. Si quis adverſus.* 5, *& Authent. Quæ ſupplicatio. C. de precib. Imp. offerend.*

23. Non est dubitandum, quin à Iudice, ad quem reductio est facta, si in causa sententiam dixerit, possit appellari: concessum enim est omnibus & in quavis re appellare. *c. Omnis.* 3. *c. ad Romanam* 6. *et* 8. *caus.* 2. *quæst.* 6. *l. Et In majoribus.* 20. *C. de appellat.* ac nusquam exceptio in hoc judice datur. Regulæ autem est standum, donec de exceptione constet. Gail. 1. *Observ.* 149. *in fin.* Boër. *Decis.* 284. *n.* 6. Covarr. 2. *resolut.* 12. Bald. *in l. un. C. ne lic. in un. ead. caus. tert. Provoc.* Ratio dubitandi. I. Ad hunc judicem tanquam virum bonum fit reductio: ab eo autem, qui ut vir bonus judicavit, cùm Deus tantum sit cordium inspector, non potest appellari. Menoch. 1. *quæst. arbitrur.* 70. *n.* 9. 10. 11. II. Successit hic judex in locum arbitri: ergò ab eo, uti & ab ipso arbitro *l.* 1. *C. h.* appellari non potest. Vide Bartol. *in l.* 1. *D. de legat.* 2. *in fin.*

24. Reductione factâ sistitur executio & sententiæ & pænæ, quæ compromisso est compreheusa: quia ea est similis appellationi, quâ pendente nihil est innovandum. *t. t. D. nih. innov. appell. interposit.* Non enim constate potest, an malè reductio sit interposita, antequam à Iudice id fuerit pronunciatum. Reducens utitur suo jure, & consequenter non facit injuriam vel pæna est coërcendus. *l. Gracchus.* 4. C. *ad. l. Iul. de adulter.* Vide Grivell. *decis. dolan.* 1. *n.* 8. *& seqq.* Boër. *d. dec.* 284. *n.* 24. Fabr. *Cod. suo Sabaud. h. defin.* 8. Id verum esse assero, nisi convenerit, ut executio procedat non obstante reductione. *l.* 1. §. *si quis ante sententiam.* 3. *D. A quib. appell. non lic.* Vide D. Sand. *d. tit. defin. fin.* Ratio dubitandi. I. Reductio non est vera appellatio: ergò nec effectum appellationis suspensivum eidem tribui oportet: verum, cum ex pacto fiunt compromissa, necesse est ut is, qui agit, provisionaliter satisfaciat pacto ac solvat promissam pœnam, *l. Iulianus.* 15. §. *offerri.* 8. *D. de action. Emt.* Nunquam

quam enim auditur, qui à sua parte non implevit, quod promisit. *arg. l. Quæro.* 54. §. 1. D. *locat. conduct.* Vide Fachin. 10. *controv.* 93.

Ex tit.. D. Naut. Caupon. stabular.

25. Responsum est *in l.* 1. §. *fin. & l. seq. D. h.* In hoc edicto non tantùm factum nautarum, sed & vectorum, & viatorum esse præstandum: deinde *in l. Et ita de facto.* 3 *Hæc autem.* 4. D. *h.* hanc actionem & in heredem & perpetuò dari, & rectè: debent enim ea, quæ nautarum custodiæ sunt commissa fideliter ab iis custodiri. Ratio dubit. I. Ex hoc ipso edicto actio non datur ab factum vectorum vel viatorum. *l. licet.* 6. §. *in factum.* 3. D. *h l. un.* D. *Furt. adv. adv. naut.* II. Non datur in heredes. *l. fin.* §. *fin.* D *h.* III. Non est rei persecutoria. §. *f. Inst. de Oblig. q. ex quas. ex delict. nasc.*

EXERCITIUM XXII.

Resp. JACOBO AB HEEMSTRA, Harlingâ-Frisio.

Ex parte secunda. D.

Ex Tit. C. & D. de Iudic.

THESIS PRIMA.

IUdicium aliquandò pro processu, aliquandò pro actione accipitur, aliquandò aliter. Cum pro processu, est legitima controversæ causæ in judicio, sive coram judice, disceptatio. Duaren. *c.* 1. *h.* Wesembec. *paratitl. D. h. num.* 5. Cum actionem significat, est jus persequendi in judicio quod sibi debetur. *l. nihil aliud*, 51. D. *de Oblig. & actionib.* & ibi gloss. &

DD. Ius accipi oportet pro remedio, quo re ac ipso actu obtinemus ab adversario, coram judice, quod nobis præstandum est. Atque hæc definitio est generalis tam reali quam personali judicio conveniens. Ratio dubitandi. I. Iudicium est nihil aliud, quam jurisdictio, uti indicat proprietas vocabuli. Unde Hostiensis in *summa h. t.* dicit esse officium judicis. Vide Sichard. *ad rubric. C. h.* II. Iudicium, cum actio dicitur, est formula agendi. *arg. l. necessarium* 2. §. *Deindè*. 6. D. *de orig. Ius.* Vide Forster. *disp. ad Inst.* §. 1. D. *action. & ibi* Schickhard. III. Rectius dicitur actio facultas sive agendi potentia. *l. 2. verb: facultas agendi.* D. *de eo, quod cert. loc. Si pupill.* 6. §. *fin. verb: conveniendi eos judicio facultatem non habuit.* D. *de negot. gest. l. pure.* 5. §. *fin. verb. actor in sua potestate habet, quandò utatur jure suo.* D. *de doli mal. & met. except.* Et magis, quia nemo habet actionem, qui non habeat potestatem & facultatem agendi. IV. Non tantùm actione petimus quæ nostra sunt & ab alio detinentur, quæque alii nobis debent: sed & ea quæ populo competunt. *l. 1. l. pen.* D. *de popular. act.* quæque ad publicam vindictam pertinent. *l. 1.* D. *de crimin. stellion. t. t. C. quand. civil. act. crimin. præjud.* V. Malè definitio hæc actionibus applicatur realibus, quandoquidem in realibus non debetur, ad quod agitur, sed nostrum esse dicitur. *l. Quintus Mucius.* 27. §. *argento.* 2. *l. Scribit Quintus Mucius.* 34. D. *de aur. & arg. legat.* Vide hanc definitionam eleganter explicantem D. Timæum Fabr. *disput. anniversar.* 27. *Thes.* 1. *ad princ. Instit. de action.* Gœdd. *ad l. Creditores.* 10. *& seqq. & in l. Bonorum.* 49. D. *de verbor. signif.*

2. Olim alio sensu ac modò dictum judicium ordinarium vel extraordinarium, quam hodiè. Hodiè ordinarium est, quo ordinarius modus procedendi observatur; Extraordinarium, quo de plano proceditur ac præter citationem necessariasque probationes reliquæ processus solemnitates non anxie attenduntur.

De

De extraordinario est textus *in Clement. sæpe contingit. 2. De verbor. signific.* Vide Bartol. *in Extravag. Ad reprimendum. verb. summariè.* Ratio dubitandi. I. Hodiè omnia judicia sunt extraordinaria. *§. fin. Inst. de Interdict.* II. Non est utile reipubl. ut de plano procedatur, cum conveniat partes plenissimè audiri, ne per nimiam festinationem omittantur pleniores probationes & consequentur alteruter ex litigantibus per sententiam injustè latam lædatur. Si in ulla re, maximè in judiciis, festinatio præpropera est periculosa & Reip. noxia. III. Ordinarius procedendi modus nimis magnam injicit remoram, adeo ut lites fiant immortales: studio autem omnibus esse debet, ut lites ac earum moræ amputentur *arg. l. Existim. 21. D. de reb. credit.*

3. Criminale judicium est, quo ad pœnam corporalem aut relegationem reo infligendam aut ad multam pecuniariam fisco applicandam agitur: Civile, quo actor sibi aliquid adjudicari petit. *§. in summa. 10. Inst. de Injur.* & ibi DD. *l. fin. D. de furt.* Duaren. *1. disput. 35. Clar. §. fin. quæst. crimin. 1.* Ratio dubitandi. I. Rectius criminale est publicum judicium, quod vigor publicæ disciplinæ postulat: Civile, est privatum *arg. l. Locatio. 9. §. Quod illicitè. 5. D. de publican.* II. Multis locis actioni criminali, sive crimini actio ad pecuniariam multam, quæ fisco cessura est, opponitur: *l. si is, qui ademtis. 3. C. si pendent. appellat. mors interven. l. Gajus. Sejus. 22. D. ad SC. Syllan.* Si verò opponatur, idem esse nequit, secundum regulam: separatorum diversa est ratio, diversum jus, & ab uno separato non ad, sed contra aliud, deducitur argumentum. Nicol. à Middelb. *loc. leg. à separat.*

Ex tit. C. Qui pro sua Iurisd. jud. dare darive poss.

4. Cœcus judicandi officio rectè fungitur. *l. Cæcus. 6. D.*

6. *D. de Iudic. l.* 1. *§. secundo loco.* 5. *versic. Quamvis autem. D. de postuland.* Id verò extendo, ut & ab initio possit dari judex. Vide Duar. 1. *disp.* 23. Etiam hodiè, modò non tam in magistratum, quam ad judicandi munus eligatur. Magis morum probitatem, eruditionem, consilii ac mentis integritatem, quam oculorum sensum attendi oportet. Solet ut plurimum visus defectum præstantia animi in aliis supplere. Hotom. *disput. feudal. c.* 13. Ratio dubitandi. I. Potest manere & relinqui in functione Iudicis, sed non de novo ad eam eligi & maximè cum hodiè ipsimet magistratus soleant judicare. *l.* 1. *§. secundo.* 5. *vers. Quamvis.* II. Sententiæ sunt ex scripto recitandæ: aliàs enim sunt nullius momenti. *l. Hac lege.* 2. *l. statutis generalibus.* 3. *C. de sentent. ex brevic. recitand.* Cœcus verò nec scribere nec legere novit. III. Multa sunt, quæ à cœco expediri nequeunt, uti, si examinandus sit delinquens vel alius litigans, & attendendum sit, quo gestu, quo vultu, qua animi trepidatione, qua constantia quid afferatur vel negetur. *l. De minore.* 10. *§. pen. D. de quæstion.* vel si in finibus regundis aut simili negotio oculari inspectione sit opus, inutilis est cœcus ad hæc. Is verò est judex dandus, qui omnes sui muneris partes explere potest. Unde & Torquatus, cum suis non posset prospicere, existimavit absurdum & conjunctum esse cum decrimento Reip. si alienis oculis publico consuleret. IV. Surdi, muti prohibentur dari Iudices. *l. Cum prætor.* 12. *§. non autem.* 2. *D. de Iudic.* Nullo ergò jure potest admitti cœcus, cum hic regulariter soleat etiam ratione excusationis à muneribus conferri cum muto, surdo. *l. un. C. Qui morbo.* Vide Robert. 3. *sentent.* 23.

5. Legum imperitus non rectè assumitur in ordinem Iudicum. *Nov.* 82. *præfat. vers. Non enim existimavimus.* Ubi addit Impr. *vers. Quomodo.* Quomodò non maximum erit vitium reipubl. non eis, qui ex se quid

quid agendum sit sciant, lites tradere & sine re eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ ipsos in judicando eloqui decet. Huc facit formula *in l. Rem non novam.* 14. *pr*. C. *de Iudic.* quâ jurato Iudices futuri promittere coguntur, sese omnimodò cum veritate ac legum observatione judicium esse dispositurós. Huc faciunt textus *in l. Necessarium.* 2. *§. Servius.* 43. *D. de orig. Iur. Proœm. Inst.* §. *fin. l. Non quicquid.* 40. §. 1. *D. de Iudic. l. Præses.* 27. *l. Cum prolatis.* 32. *D. de Re judicat. l. si cum inter.* 2. *C. quand. provoc. non est necess. l. ult. ff. de var. et extraord. cognit. pr. Inst. de oblig. quæ q. ex malef. nasc. l. Iudices.* 9. *l. Certi juris est.* 17. *C. de Iudic. Exod.* 18. *v.* 17. *& seqq. Actor.* 26. *v.* 3. Imperitus ita de jure, ut cœcus de coloribus solet judicare. Vide Donell. 17. *Comm.* 24 Ratio dubitandi. I. Præstat distinguere inter magistratum & judices datos. Ita & olim Equitibus, hominibus militaribus *d. l. Certi juris.* 17. *C.h.* judicia commissa, iique per assessores suos judicabant. Vide Hotomann. *illust. quæst.* 28. Cujac. *in. l. Nov.* 82. II. Observatum sæpius, quosdam ex impetu naturæ optima ratione judicare ac eos, qui Iurisperiti audiunt, multis parasangis superare judicio ac dexteritate. III. Consuetudo communiter recepta reclamat.

6. Minor octodecim annis non potest esse judex: nec valet sententia ab ipso lata. *l. Quidam consulebat.* 57. *D. de re Iudicat.* Huc facit. *l.* 1. §. *Initium.* 3. *vers. pueritian. verbis. quia moderatam hanc ætatem ratus est ad procedendum in publicum. D. de postul.* Vide Cujac. 17. *Observat.* 30. Ratio dubitandi. I. Inutile est reip. ut cui ætas & consilium non est satis constans, sit aliis judex. Nec licet argumentari à postulante, qui alterius desiderium jussu & periculo alterius coram Prætore proponit vel contradicit alterius petitioni, ad officium Iudicis publica authoritate deferendum. II. Cum minor suo nomine non

non habeat legitimam personam in judicio standi. *l. In rebus. 2. C. Qui legit. pers. stand. in jud. hab. vel non.* non poterit præesse judicio, & judicium regere. III. Iudicare est munus publicum. *l. Quippe judicare.* 78. *D. de Iudic. l. fœminæ.* 2. *D. de Regul. Iur.* Ad munera verò publica non potest admitti minor 25. annis. *l. Ad rempublicam.* 8. *D. de muneRib. & honorib. l. non tantùm* 11. *D. de decurion. l. sextumdecimum.* 2. *D. de vocat. muner.* vel si admittatur, suffragium nullum habet. *l. Spurii.* 6. §. 1. *D. de Decurionib.* IV. Possunt esse Iudices ante 18 annum: Impuberes enim soli prohibentur, *l. Cum prætor.* 12. §. *non autem.* 2. *vers. Et impubes. D. de Iudic, d. l. Fœminæ.* 2. §. *Item impubes.* 1. *D. de Regul. Iur.* Idem confirmatur. *d. l. Quidam consulebat.* 57. *D. de re judic.* ubi princeps puberem quencunque potest ad Magistratum promovere & consequenter, ut omnia, quæ gesturus est, valeant, decernere. V. Absurdum est, minorem esse judicem, quia, si litem suam faciat imperitè judicando, secundum *l. fin. D. de var. & extraord. cognition.* judicium reddetur elusorium, si contra sententiam à se latam ex imperitia, in integrum restituatur.

7. Forum quisque habet, ubi est domicilium: quod in actionibus, sive eæ sint in rem, sive in personam dentur, *l. actor.* 3. *C. ubi in rem actor. exercer. deb.* Domicilium verò est non ex solo destinatione, sed ex re & habitationis facto. *l. Domicilium.* 20. *D. ad municipal.* Habitare autem ibi quis dicendus est, ubi se ita instruxit, ut eo in loco se collocasse dicatur. *l. Adsumtio.* 6. §. *viris.* 2. *D. eod.* id est, ubi quis Larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: Undè cum profectus est, peregrinari videtur: quod si rediit, peregrinari jam desiit. *l. Cives quidam.* 7. *D. de incol.* Vel quo se quis tanquam in sedem suam recipit. *l. pupillus.* 139. §. *Incola.* 2. *D. de verb. signif.* Ubi Gœdd. Id est, ubi vitæ habet sua tabernaculum.

Vide

Vide Coler. *de proceß. execut. c. 1. p. 2. n. 23. & seqq.* Althus. *Dicæoleg. lib. 3. c. 1. n. 15. & seqq.* Ratio dubitandi. I. Non tantum ex habitationis actu, sed & ex origine quis habet domicilium, quod naturale vocant. *l. senatores. 11. D. de Senator. l. 1. l. Origine. pen. C. de municip. & origin. lib. 10.* II. Nihil facit habitatio *l. libertus. 17. §. sola domus possessio. 13. D. ad muncipal.* III. Non sola habitatio, sed destinatio domicilium facit. Animus enim est præcipua causa rei alicujus acquirendæ. *l. Quemadmodum. 8. D. de acquir. ut amitt. possess. l. si eo pecuniam. 18. D. de Reb. credit.* IV. Decenno acquiritur domicilium, non ergò ipso habitationis actu. *l. Nec ipsi. 2. C. de incol.* V. Domicilium non tantum est ex habitatione, sed & ex possessione majori bonorum parte. *l. senatores. 2. C. ubi senator. & clariss.* VI. Non sufficit habitatio, sed & disideratur, ut eodem in loco, quis rerum ac fortunarum suarum summam habeat. *d. l. Cives. 7. C. de incol.*

8. Domicilium quis potest habere pluribus locis: si scilicet ubique sit ita instructus, ut & ibi habitare videatur. *d. l. adsumtio. 6. §. viris in fin. 2. D. ad municipal.* Ita, qui pluribus locis negotiatur scil. ut in omnibus officinam habeat vel ut ex aliis sufficientibus causis conjici possit eum ibi habitare negotiandi causa, non est dubitandum, quin idem & varia habeat domicilia. *l. Labeo. 5. in fin. D. Eod.* Ratio dubitandi. I. Domicilium est ex facto. *d. l. Domicilium. 20. D. Eod.* Nemo autem diversis in locis simul esse & quid facere potest. *§. Inter absentes. in fin. 11. Inutil. stipulat.* Huc facit, quod nemo duorum vicem possit sustinere. *l. si plures. 9 vers. mandifficile. D. de pact.* II. Nemo potest diversis locis summam rerum ac facultatum, ex qua æstimatur domicilium. *d. l. Cives. 7. C. de incol.* habere, ideò nec diversis in locis domicilium. III. præstaret dici, tales, qui variis in civitatibus negotiationes exercent, nusquam habere domicilium, cum tantum transitoriè mercatura fiat, & non exerceant ibi nego-

negotia, ut habitent vel dum habitant, verum ibi habitant, ut negotientur: Præcipuum itaque in hac causa est negotiari, consequentia tantum est habitare. Non autem consequentia spectanda est. *l. 1. D. de authorit. tutor.* sed id, quod præcipuum est & propter quod aliud fit.

9. Domicilium quis mutare ac alio transferre potest liberrime suo arbitrio. *d. l. Domicilium. 20. l. Nihil est impedimento. 31. D. ad municipal.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Incola. 34. D. eod.* II. Incolam vel Civem esse, est juris publici: In publicis privatus nihil potest ex sua voluntate & solo suo facto. *arg. l. Ius publicum. 38. D. de pact.* III. Uti & incola nemo fieri potest nisi ex consensu publico, ita nec desinere. *arg. l. Nihil. 35. D. de Reg. Iur.* Est enim magistratui eo in loco jus quæsitum, quod ei non potest adimi sine proprio facto. *l. Id quod nostrum 11. D. de Regul. Iur.* IV. Expressè cautum est legibus, Domicilium primum durare, licet aliò sit translatum *l. senatores. 11. D. de senatorib. l. 1. l. origine. pen. C. de Incol.* habetur n. id, quod alibi est, pro adjectione. *d. l. senatores. 11.* V. Si hoc permitteretur, fieret aliis injuria, quia lis alibi esset terminanda.

10. Filiusfamilias ibi habet domicilium, ubi ipse sibi constituit. *l. placet. 3. & seq. D. ad municipal.* Potest enim ex omnibus causis obligari uti paterfamilias, & ideo cum eo agi tanquam cum patre fam. potest. *l. Filiusfam. 39. D. de oblig. & act. l. Tam ex contractibus. 57. D. de Iudic.* Ratio dubitandi. I. Ubi non est voluntas, non est constitutio domicilii: Velle autem filiusf. non creditur. *l. velle. 4. D. de. Regul. Iur.* II. Filius cum patre in iis, quæ acquiri possunt, est una eademque persona. *§. si quis alii. 4. in fin. Inst. de inutil. stipulat.* III. Imò simpliciter filius non tantum sequitur conditionem patris sui, quem legitimum habet. *l. Cum legitimæ. 19. D. de statu hom.* vel matris, si pater ei justus non fuerit. *l. Lex. naturæ. 24. D. eod.* sed & originem sive ejus domicilium *d. l. 1. §. Qui ex duobus.*

bus. 2. *verf. fi ex patre. D. ad municip. l. Filios.* 3. *C. de municip. & origin. lib.* 10. Et, fi pater legitimus fit, originem ac domicilium matris. *l. Ejus qui.* 9. *D. eod.* vel fi pater fit legitimus, & privilegium habeat matris origo: Uti Ilienfibus, Delphicis nec non Ponticis *in d. l.* 1. §. *Qui ex duobus. verf. nifi fortè. d. l. Ejus, qui.* 9. permiffum fuiffe JCtus teftatur.

11. Contractus tribuit abfolutè forum, ubi eft fimpliciter initus, nulla facta mentione, ut alibi fieret folutio. *l. heres.* 19. §. 1. *&* §. *fin. l. feq. D. de Iudic. Novell.* 69. *c.* 1. Tacite enim videtur contrahens amplecti confuetudinem loci, in quo contraxit *l. fi fundus* 6. *D.* Eviction. *l. femper in ftipulationibus.* 34. D. *de Reg. Iur.* D. Althuf. *lib.* 3. *Dicæol. c.* 1. *n.* 27. Et uti unum quodque debet diffolvi eo modo, quo eft colligatum. *l. Nihil.* 35. *D. de Reg. Iuris*, fic & ibi folvi oportet & judicialis conventio fieri ad folvendum ibi poteft, ubi negotium eft geftum. Verum conveniri nemo poteft eo loco, nifi ibi fuerit inventus. *arg. d. l. Heres.* 19. *pr. D. de Iudic. c.* 1. *verf. contrahentes. de for. comp. in* 6. *Quod praxit obfervat.* Coler. *part.* 2. *de proceff. Execut. c.* 1. *n.* 17. 18. Gail. 2. *Obfervat.* 36. *n.* 14. Si autem exprefsè fe fubjecerit judici loci, quo contractus eft celebratus, fuoque foro renunciaverit. Covarr. *practicar. quæft.* 10. *num.* 4. *&*. Vel in loco contractus bona habeat. *arg. d. l. Heres.* 19. §. 1. poffunt vel requifitoriales ad judicem debitoris pro eo, citando ad locum contractus, mitti Covarr. *d. c.* 10. *d. n.* 4. Mynf. 2. *Obferv.* 5. Coler. *d. tr. de proc. Exec. part.* 3. *c.* 7. Vel arreftum bonis injici. Vide D. Buf. *in. l.* 1. *n.* 7. *D. de Iudic.* Ratio dubitandi. I. Non poteft quis conveniri ubi contraxit, nec ubi eft de contractu inftrumentum fcriptum, fed ubi eft domicilium. *l. Exigere.* 65. *D. de Iudic.* II. Non fpectandum eft an quis contraxerit, fed an quis tabernam vel res is, qui contraxit, in loco contractus habeat, atque ita non ex folo contractu. *d. l. Heres.* 19. §. *Proindè* 2. *verfic. Num quid dicimus D. de judic.* III. Imò

X de-

debitor est remittendus ad locum contractus, licet alibi habeat domicilium; quia exactior & facilior probatio potest haberi eo loco quam alibi. *l.* 1. 2. *C. ubi de ratiocin.* IV. Præstat sequi distinctionem, quæ est *in Novell.* 69. *c.* 1. 2. scilicet inter præsentem ac absentem. Vide Donell. 17. *Comment.* 14.

Ex tit. C. In quib. caus. militant. for. præscript. non utant.

12. Milites in causis civilibus & in criminalibus coram Magistro militum rectè conveniuntur. *l. Magisteria.* 6. *C. de Iurisdict. omnium judic. l. De militibus.* 9. *D. de custod. reor. l.* 1. *C. de Exhib. reis.* Exceptio ejusque explicatio in civilibus est *in l. un. C. h.* Ratio dubitandi. I. Milites, apud quos crimen contractum esse ostenditur, & accusantur & damnantur. *l. fin. D. de accusat.* II. Desertores militiæ cum elogio ad suum ducem sunt mittendi à Præside: præterquam, si quid gravius admiserint in ea provincia, in qua reperti sunt Ibi enim eos plecti, ubi facinus est admissum Divi Severus & Antoninus rescripserunt. *l. Desertorem.* 3. *pr. D. D. de re militar.* Adde *l.* 1. *C. ad l. Cornel. de sicar* III. Ubicunque inveniuntur, sunt puniendi. *l. Qu cum uno.* 4. §. 1. *D. de Ramilita.* IV. Præstat hic locum dari præventioni: quia res est dubia, ne huic ve illi fiat præjudicium. D. Sand. *lib.* 1. *decis. frisic. defin.* 4 V. Praxis. & consuetudo contrariatur.

Ex tit. C. Quand. Imp. inter pupill. viduas, &c.

13. Si pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati, debiles vel alii fortunæ injuria miserabiles judicium Principis oraverint, id est alios ad supremum Tribunal vocaverint, præsertim cum alterius potentiam perhorrescunt, coguntur eorum adversarii copiam sui exa-
min

mini Principis sive supremi Iudicis facere. *l. un. C. h.* Hæ verò personæ ad principis Tribunal vocari nequeunt, licet & Princeps id fieri voluerit *d. l. un.* De minore licet hic nihil sit expressum, tamen eundem *h. l. un.* comprehendi certum est, cum & sit miserabilis persona. *arg. l. 1. pr. D. de minorib.* cum & ratio *in d. l. un.* satis pro minore militet, praxisque communis id receperit. Ratio dubitandi. I. Iura singularia ad alios extendi non possunt. *l. Quod verò. 14. & seqq. D. de legib.* Maximè si sint beneficia tributa personis *l. 1. in fin. D. de Constit. Princip.* II. Minores sibi possunt eligere Curatores paris potentiæ cum adversario, per quos defendantur. *l. 2. §. 4. D. Qui pet. tutor.*

14. Nomine viduarum in hac causa venire etiam virgines cœlibes ostendit 1. ratio fragilitatis sexus ac formidatio adversarii in lite. *d. l. un.* 2. Textus *in l. Malum. 242. §. Viduam. 3. D. de Verbor. signif. 2. Eclog. 2. c. 242.* Vide Bart. Alber. Fulgos. *in d. l. un.* Azon. *in summa. C. h. n. 6.* Guidon. Pap. *decis. 566. n. 2. versic. Quia secundum.* Ratio dubitandi. I. Communis usus vocabuli obstat: nemo unquam virginem dixerit viduam: morem autem communem in sermone sequimur. *l. In stipulationibus. 34. D. de Reg. Iur. l. labeo 7. §. Servius. 2. D. de supell. legat. l. Non aliter. 69. D. de legat. 3.* II. Nostro jure separatur virgo à vidua. *§. Item lex. 4. verb. virginem vel viduam. Inst. de public Iudic.* III. Plurimi ex practicis & doctissimi ita sentiunt. Menoch. 2. *de arbit judic. quæst. tit. 2. cent. 2. cas. 166. n. 8.* Covarruv. *practic. quæst. c. 7. n. 2.* Gail. 1. *Observ. 1. n. 42.* Rebuff. *in d. l. malum, 242. §. viduam.* Vult. *in d. l. un. n. 6. 7.*

15. Sive pupilli ac viduæ sint divites, sive pauperes, non distinguitur in hac causa *c. ex parte. 15. x. de for. comp.* Verba enim sunt *in d. l. un.* & ratio legis satis manifesta ac certa pro divitibus. Vide Tessaur. *decis. 177. n. 3.* Gail. 1. *obs. 1. n. 40.* Menoch. *d. l.* Roland. à valle. 1. *Consil. 76. n. 44. & seq.* Ratio dubitandi. I. *In d.*

l.un. agitur de miserabilibus ex fortunæ injuria. Locupletes verò tales non sunt: quippe ditioribus maximè abblandita est Fortuna. II. Ex *cap. Significantibus* 38. *x. de offic. & potest. delegat.* Vide, Roland. à vall. 2. *Cons.* 10. *n.* 12. *& seqq.*

16. Mulier, quæ habet maritum prodigum, furiosum, fatuum minorem, proscriptum aut ad triremes condemnatum, fruitur etiam beneficio *d. l. unic.* Quia paria sunt, non habere vel inutilem habere maritum. *arg. c. Inter corporalia.* 2. *versic. Sed neque istud. x. de translat. Episcop. l. quotiens.* 6. D. *Qui satisd. cogant.* Vide Gail. D. *observ.* 1. *n.* 44. Ratio dubitandi. Privilegia ac constitutiones singulares non excedunt personas privilegiatas *l. Quod verò.* 14. *D. de legib. l.* 1. *in fin. D. de Constit. princip.*

17. Pupilli, minores, si iis sit actio cessa & procuratores in rem suam sint facti vel à Creditore majore sint scripti heredes non prohibentur beneficio *d. l. un.* frui, modò bona fide sit facta cessio. Ratio enim hujus privilegii hoc ipso casu locum habet. Ratio dubitandi. I. Non possunt hoc beneficio frui ex persona authoris, quia qui transfert jus suum, nihil amplius transfert, quam ipse habet. *l. nemo plus* 54. D. *de Reg. jur.* Non ex persona sua, quia qui in jus, dominiumve alterius succedit, ejus jure uti debet. *l. Qui in jus.* 177. D. *eod.* Nec quisquam potest esse melioris conditionis, quam autor à quo jus transiit. *l. In his quæ.* 175. §. 1. *junct. l. Nemo plus.* 120. *l. Aliud* 160. §. *fin* D. *eod.* uti & in Fisco, qui maxima habet privilegia receptum est *l. Fiscus, cum.* 6. D. *de jur. Fisc. l. In facto* 60. §. 1. *De de cond. &* Demonstrat. Denique nec ex facto ac cessione Creditoris: propterea quia ut debito non potest cum detrimento Creditoris pacisci. *l. Debitorum* 25. *C. de pactis.* Ita nec Creditori obligationi naturam ac conditionem mutare est concessum, ut nominatim de heredibus est responsum. *l. stipulationum* 2. §. *Ex his.* 2. *vers. non enim, D. de verbor. Oblig.*

18. Etiam eſt permiſſum miſerabilibus cauſam, de qua lis eſt inchoata, evocare ad ſupremum judicem. Eſt enim textus *in d. l. un.* & ratio generalis: Beneficia Principum ampliari & extendi convenit. *l. Benef.* 3. *D. de conſtit. princip.* ac regulariter ſolet Iuriſdictio principis cum aliis omnibus inferioribus concurrere. Facit & hoc privilegium ad vitandam proceſſuum multiplicationem. Vide Teſſaur. *d. deciſ.* 177 *n.* 6. *poſt varios.* Idem & admittendum arbitor, licet miſerabilis medium aliquem judicem in appellando ab inferiore prætereant, & ab infimo rectâ ad ſupremum Tribunal provocent. Vide Teſſaur. *d. deciſ.* 177. *n.* 7. Ratio dubitandi. I. Ubi cæptum eſt judicium, ibi finiendum eſt. *l. ubi acceptum.* 30. *D. de judic.* Nemini eſt permiſſum indefinite poſt litem conteſtatam declinare ordinarium judicem. *l. nemo poſt.* 4. *C. de Iuriſd. omn. l. apertiſſimi.* 16. *C. de Iudic. l. Sed et ſi.* 52. *D. eod Nov.* 53. *c.* 3. II. Beneficia non poſſunt ita explicari, ut vergant in alterius injuriam. *l. Nec avus.* 4. *C. de Emancip. liberor.* verum, ſi hæc Theſis, uti concepta eſt, admittatur, adverſarius ſumtu moleſtiaque afficietur, facietque jacturam temporis, ac Iudex contemtui habebitur.

19. Fœminæ luxurioſè viventes & Pauperes, qui ſua culpa in paupertatem inciderunt, hoc ipſo *d. l. un.* Privilegio gaudent: non enim diſtinguitur. Ratio dubitandi. I. Non eſt concedendum Juris beneficium iis, qui in leges committunt. *l. Auxilium.* 37. *in fin. D. de minorib.* II. In *d. l. un.* datur tantum iis beneficium, qui fortunæ injuria miſerabiles ſunt: Non ergò luxurioſis, turpibus ac prodigis: quia non ex injuria fortunæ, ſed malitia ſua ſunt miſeri.

20. Renunciare huic privilegio non poſſunt viduæ, vel pupilli licet & tutor authoritatem interponat: eſt enim hoc ipſum miſericordiæ cauſa conceſſum. *d. l. un.* ibi Sichard. *n.* 5. Teſſaur. *d. dec.* 177. *n.* 5. Ratio dubitandi. I. Quilibet poteſt renunciare ſuo favori. *l. pen. C. de pact.* Pupilli quoſvis contractus poſſunt ce-

lebrare. *pr. Inst. de author. tutor.* Ut & viduæ ac pauperes. Ergo & rectè renunciant. II. Viduæ possunt renunciare SCto Vellejano. *l. fin. §. pen. D. ad SC. Vell.* Possunt donare res suas. *l. sed si ego.* 4. §. 1. *D. eod* quod est perdere. *l. fil. usfam.* 7. *D. de donat.* Multo ergò magis poterunt privilegium istud, quo nihil ex rebus suis amittunt, negligere eique renunciare: magis, cum SCti Vellejani beneficium sit ex causa publica, *l.* 1. *D. ad SC. Vellejan.* hoc verò juris privati *arg. d. l. un. verb. cogantur.* III. Est in arbi rio ac potestate miserabilium simpliciter, utrum uti velint beneficio. *d. l. un.* & coram Principe vel supremo senatu agere judicio, an verò admittere, ut in suis causis ordinarius Iudex disceptator sit litis. Siquidem autem hæc res sit arbitrii eorum, nullo jure renunciatio impedietur. Vide Accurs. Vult. *in d. l. un.*

21. Miserabilis contra miserabilem ex eadem absolutè causa non potest uti hoc privilegio. Communis ac trita est regula: Privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio. *arg. l. Verum.* 11. §. *pen. D. de minorib. & ibi* Mornach. *l. sed & milites.* 8. *pr. D. de Excusat. tut.* Vide Covarr. *practic. quæst. c.* 6. *n.* 4. *& seqq.* Christin. *ad h. tit. decis.* 166. *n.* 7. Si diversa sit causa, videndum, ab utra parte sit potior causa privilegii: is verò, cui potior est causa, privilegium habebit, non is, cui non tam urgens est: Uti si fœmina pauper actura sit contra divitem, pupillus contra minorem potentem. Fœmina pauper ac pupillus fruentur hoc beneficio: fortius enim est duplex vinculum simplici. §. 2. *Inst. de adopt.* Ratio dubitandi. I. Privilegium hoc simpliciter ac sine ulla distinctione competit. II. Est expressus in contrarium textus *in l. fin. D. Ex quib. caus. major. in integ. restit.* Vide Anton. Fabr. *C. ad h. tit. definit.* Bourit. *de de offic. Advoc. c.* 14.

De

De foro studiosorum.

22. Studiosi non tantum habent forum, quod iis tribuitur *in Authent. Habita. l. ne fil. pro patr.* sed & apud Principem sive supremum senatum. Jure enim, cum de privilegiis eorum agitur, omnia iis sunt beneficia tribuenda, quæ miserabilibus. *arg. d. Auth. habita. versic. Quis enim eorum non misereatur.* Vide Menoch. *arbit. jud cent.* 1. *cas.* 65. *n.* 26. Ratio dubitandi. I. Lex *un. C. quand. Imp. int. pup.* loquitur de pupillis, viduis ac similibus qui sunt debiles ac morbo fatigati ac fortunæ injuria, hoc est, ex paupertate vera miserabiles: Tales dici nequeunt studiosi. Nec obst. *d. Auth. versic. Quis enim eorum.* cum iis verbis exaggeratio tantum fiat hyperbolicè & fictè. Nec enim locutiones hyperbolicè adeò exactè & pro veris solent assumi. II. Cum *in d. Auth.* speciale ac privilegiatum tribuatur forum, ad hoc tantum recurrendum est. *arg. l. in toto jure.* 80. *D. de Reg. Iur.* ne privilegiorum ac privilegiatorum fiat confusio.

Ex tit. C. ubi de criminib. agi oport.

23. Criminum accusationes intentari possunt variis locis, vel ubi inchoata, vel ubi perpetrata, vel ubi domicilium habent delinquentes, vel ubi iidem reperiuntur. Ubi inchoata vel commissa sunt. *l.* 1. *C. h. l.* 1. *C. ubi Senator. vel clarissim.* ut ibi sit exemplum pœnæ, ubi delicti fuit: & quia facilius haberi ac certiores esse possunt probationes, ubi delinquerunt. Ubi Domicilium habent *l.* 2. *C. h.* quia omnes actiones in personam, quales sunt eæ, quæ sunt ex delictis, in loco domicilii moveri possunt. *l. Actor. fin. C. ubi in rem act. exercer. deb.* Ubi iidem reperiuntur, ne facinerosi impunè latitandi ullibi habeant occasionem: & congruit bono ac gravi Præsidi & consequenter omni

magiſtratui, ut pacata ac quieta provincia ſit, quam regit; quod non difficile obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus careat, & ne quis delinquens latere poſſit, conquiret delinquentes. *l. Congruit.* 13. D. *de offic. Præſid.* Nec diſtinguendum eſt, undè ſint, modò facinerosis hominibus purgetur provincia. *l. Præſes provinciæ.* 3. D. *Cod. Novell.* 8. *c. Quod autem primitus.* 12. *pr.* Vide Vultej. in *d.* 1. *n.* 36. *& ſeqq.* C. *h.* Donell. 17. *Comment.* 16. *verſic. hucuſque ergò.* Covarruv. *practic. quæſt. c.* 11. *n.* 13. Tulden. *in h. t. C.* Ratio dubitandi. I. Semper ibi ſunt conveniendi delinquentes, ubi reperiuntur, quia, ut abſentes condemnari nequeunt in criminibus gravioribus. *l. abſentem.* 5. D. *de pœn.* *l.* 1. D. *de requirend reis.* ita nec conveniri. Nam fruſtra quis convenitur, qui nequit condemnari, & contra quem executio ſententiæ fieri nequit. II. Forum ibi tantùm eſt, ubi domicilium habent delinquentes: Cum in genere actor teneatur ſequi ſorum Rei. *l. Iuris ordinem.* 2. C. *de Iuriſdict. om. Iudic.* & reſcriptum ſit. *l. In criminali.* 5. C. *Eod.* in criminali judicio accuſatorem ſequi Rei forum oportere, ac in ſpecie in *l. fin. C. h.* tantum ibi accuſandos eſſe Reos, ubi degunt, ut & in *l. Sancimus.* 29. C. *d. Epiſcop. audient.* III. Imò ibi ſemper conveniendi ac puniendi, ubi delictum eſt commiſſum, *l. Deſertorem.* 3. D. *de re milit.*

24. Remiſſionem fieri oportere non tantùm expreſſi juris civilis textus in *l. Si cui crimen.* 7. §. *pen. l. fin.* D. *de accuſat. d. l. Deſertorem.* 3. *l. Qui cum.* 4. §. *Ignominia.* 6. D. *de re militar. l. De militibus.* 9. D. *de cuſtod. & Exhibit. Reorum l. Capitalium.* 28. §. *Famoſos.* 15. *D. de pœn. Novell.* 134. *c. ſi vero.* 5. ſed & juſta ratio ſuadet, ut ibi ſit pœnæ exemplum, ubi fuit delicti *d. l.* 1. *C. h.* Ita fiet, ut conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & Affinibus interemptorum eo loco pœna reddita, in quo delinquentes ſcelera perpetraſſent. *d. l. Capit.* 28. §. *Famoſos.* 15. *D. de pœn.* accedit, quod in loco delicti verior latior ac minori

cum

cum sumtu possit esse inquisitio & scelerum probatio, quam alibi: diligentiusque judex in ea republica quæ læsa est, ad omnia attendet & sine conniventia puniet delicta, quæ publicè interest puniri ac alias sæpè manerent impunita. *arg. Novell.* 69. *c.* 1. *l.* 1. *l. final* C. *ubi de ratiocin. arg. c. Factæ sunt* 1. *distinct.* 4. *l. Ita vulneratus.* 51. §. 2. *D. ad l. aquil.* Vide Clar. *prax. crimin.* §. *fin. q.* 38. *n.* 19. Fachin. 9. *controvers.* 19. Vultej. *in l.* 1. *n.* 31. *Ch.* Tessaur. *decis.* 90. *n.* 4. 6. Donell. 17. *comm.* 16. Fiet autem remissio tunc ad judicem loci, quo delictum est commissum, cum est atrocius & publicam pacem turbat ac exemplo est opus: Non in levioribus, siquidem judices sub diversis sint principibus. In gravioribus autem inter judices, sive sint ejusdem sive diversi imperii, non debet distingui. Ratio dubitandi. I. Periculosum est remittere delinquentes: cum quia facile ex eo facto turbantur Iurisdictiones: tum quia daretur malis hominibus occasio Delinquentes liberandi à manu militum qui eos custodiunt, ipsique Rei elabi possent, dum in itinere sunt. Præstat igitur, certas remitti probationes quàm facinerosos: nec tam hic de sumtu quærendum, quam certitudine supplicii: imo & remissio reorum fieri non potest sine magno sumtu. II. Consuetudo non admittit remissionem, maximè, si non sint judices sub eodem principatu. Nullus enim est princeps, qui possit ad remissionem compellere: cum par in parem non habeat imperium. Vide Gail. 1. *de pace public. c.* 16. *n.* 30. Vide Covarruv. *practicor. quæst.* 11. Farinac. *tit. de Inquisit. quæst.* 7. *n.* 27.

Ex tit. Cod. ubi in rem act. exercer. deb.

25. Actio in rem potest institui. I. Ubi possessor habet domicilium. *l. fin. pr. C. h.* Locus enim dominii sua natura in omnibus actionibus tribuit forum ordi-

narium. *d. l. Iuris ordinem. 2. C. de Iurisdict. omn. Iudic.* II. Ubi res est sita, sive possessor ibi domicilium habeat sive non. *d. l. fin. in fin. C. h. l. Quod legatur. 38. versic. si autem per in rem. D. de Iudic.* Cum verò eodem in loco non habet domicilium possessor potest conveniri is, qui nomine possessoris rem detinet ac contra eum processus instrui ad formam & effectum. *l. pen. C. h.* Vide DD. in *l. pen. & fin.* Zanger. *part. 2. de Except. c. 1. n. 93. & seqq.* Ratio dubitandi. I. Res non convenitur, sed persona possessoris ex facto sive detentione possessionis, & consequenter tantùm in loco domicilii actio est instituenda. Ita in hereditatis petitione, quæ est absolutè in rem, est forum, ubi degit reus. *l. un. C. ubi de hered.* II. Tantùm potest in loco rei sitæ moveri actio in rem. 1. Ob textus, in *d. l. fin. verbis Iubemus in locis, in quibus res constitutæ sunt, in rem agi. C. h. d. l. Quod legatur. 38. versic. Si autem per in rem. verbis: peti debet* D. *de Iudic.* Quibus manifestè innuitur juberi & debere actionem in rem exerceri in loco rei sitæ: si verò id sit ex necessitate legis, non potest dici esse in arbitrio ac electione actoris. 2. Quia, cum de possessione lis est, ea institui debet tantum ibi, ubi est possessio. *l. un. C. ubi de heredit.* Circa forum autem est idem juris in petitorio, quod est in possessorio. *l. nulli. 10. C. de Iudic.* Imo & omnis actio in rem est ob id possessionem, quia actor se dominum declarari petit ex jure quod jam habet, & possessionem, quæ est penes reum, sibi restitui desiderat. *§. 1. in fin. Inst. de Action.* 3. Quia multis incommodis afficerentur litigantes, si quidem actio extra locum rei sitæ moveretur; sæpe oculari inspectione est opus, quæ in alieno territorio fieri nequit: sæpe probatio per testes vicinos melius haberi potest: Iudex sententiam suam tueri ac exequi apud alios non potest. Vide Donell. in *d. l. fin. C. ubi in rem act.*

EXER-

EXERCITIUM XXIII.

Resp. LAURENTIO MEEBALE, Goeza-Zelando.

De ſuſpectis Iudicibns, Iure actorum ac reorum, concurſu & cumulatione actionum.

Ex tit. Cod. ne quis in ſua cauſa judic.

THESIS PRIMA.

PRohibitum eſt, ne is, cui judicis munus eſt delatum, in ſua vel ſuorum cauſa judicet aut jus dicat. *l. un. C. h.* Unde, qui ſuſpectus eſt vel ex eo quia cauſa aliquo modo ad ipſum ſpectat vel ad cognatos ac neceſſarios, vel litiganti eſt inimicus, ſolet recuſari, nec tantùm delegatus Iudex, ſed & ordinarius : Convenit enim malitiis non indulgeri : nec tantùm à malo ſed & à mali ſuſpicione immunem oportet eſſe Iudicem. Undè & reſcriptum eſt in *l. nemo. 4. C. de Iuriſdict. omn. judic.* poſſe ſc. ante litem conteſtatam, examen ſedis ordinariæ declinari. & reſponſum eſt ſimpliciter ac indiſtinctè in *l. Iulianus. 17. D. de Iudic.* alium in locum ſuſpecti eſſe aſſumendum judicem; cum iniquum ſit, ut quis judex ſit in ſua cauſa, Adde *Auth. Conſequenter C. de ſentent. & interlocut. Iudic.* Adde *l. ſi pariter. 9. pr. in fin. D. de liber. cauſ. c. cum ſpeciali. 61. x. de Appellat.* Hanc ſententiam confirmat conſuetudo. Vide Gilken. in *d l. aptiſſimi.* Cujac. 9. *Obſervat.* 23. Ratio dubitandi. I. Ubique fit mentio, cum de ſuſpecto judice tractatur, tantùm delegati Iudicis. *d. l. apertiſſimi.* 16. II. Apertiſſimè eſt traditum *Nov. 86. c. 2. Ex qua deſumta eſt Authent. Si verò. C. de Iudic.* requiri ad hanc cauſam, ut alius ordinario adjungatur, non verò ut fiat remotio ordinarii. III. Iuris

publici ordo convelleretur, si ordinarius renoveretur ob suspicionem. Vide Bartol. Iason. Sichard. *in d. l. apertissimi.* Gail. 1. *Observ.* 33.

2. Causa recusationis in libello recusatorio est adjicienda. *d. c. Cum speciali.* 61. *x. de appellat.* Nec enim nimis vagari licet *c. Inter cætera.* 2. *x. eod.* maximè in causa honoris & famæ. Qui causam non habet est in dolo. *l.* 2. *§.* 3. *D. de dol ac met. except.* Nec pendere debet à calumniosa litigantium voluntate, temere Iudicem dicere suspectum ac infamare. Vide Cujac. 9. *observ.* 23. Donell. 17. *Comment.* 26. Ratio dubitandi. I. Nusquam in legibus Iuris civilis requiritur allegatio causæ: imò nec in Auth. *Si vero. C. de Iudic.* ubi de forma recusationis tractatur. Non ergò necessariò est apponenda. *arg. l. Curent.* 22. *D. de testib.* II. Si causa hæc alleganda, examinanda ac probanda, multas hoc negotium pareret difficultates; Iudex de injuria conquereretur: recusans duriorem nancisceretur per Iudicem in causa recusationis, quam ipsi esset in lite, adversarium. III. Responsum est in *l. Quia poterat.* 4. *D. ad SC. Trebell.* sufficere recusari, nec esse præscribendum, cur metuat. Quæ lex licet loquatur de recusatione hereditatis, ad hunc tamen casum poterit applicari: cum videatur par esse ratio in recusatione hereditatis & Iudicis. Propterea enim recusatur hereditas, quia recusans veretur vel damnum, vel offensam, vel invidiam, ac propter eandem rationem sit recusatio Iudicis. Vide Sichard. *in d. l. Apertissimi.* 16. *n.* 11. *C. de Iudic.* Gail. 1. *Observat.* 33. *n.* 14. 15.

De Repressaliis.

3. Etsi quidem nec filius pro patre, nec pater pro filio. *t. t. C. ne fil. pro patr.* nec uxor pro marito, nec maritus pro uxore *t. l. C. ne vix. pro mar. &c.* possint conveniri, tamen repressaliæ, quæ ob denegatam institiam, concurrentibus iis, quæ præcedere & comitari

tari ex juris ordine debent, licitè conceduntur in res & personas subjectas ei judici, qui institiam extero non vult administrare, vel notoriè injustè administravit. *arg.* §. *pen. Inst. de satisd. tutor.* Nihil enim est æquius, quam, ut Magistratus quisque subditos suos, tanquam suum corpus, uti contra vim permissum ei est, ita & contra injuriam defendat. *l. Vt vim.* 3. *D. de Instit. & Iur. c. Dominus noster.* 2. *caus.* 23. *quæst.* 2. Habet ex iniquo, inquit Tacitus, aliquid omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Vide Sichard. *in Auth. sed omninò. C. ne uxor pro marito.* Menoch. *de arbit. Iud. cas.* 527. Petr. Heig. 1. *quæst.* 12. Theolos. *synt. Iurid. lib.* 38. Bartol. & Iacob. de Canib. *in suis tractatib. de repressal.* Gail. *d. pignerat. observ.* 1. *n.* 5. Ratio dubitandi. I. Iure prohibentur *Nov.* 52. *c.* 1. *Novell.* 134. *c. Quia verò.* 7. II. Est iniquissimum, ut, qui non peccavit, puniatur, ejusque bona vel personæ detineantur propter alterius factum. *l. un. C. ut null. ex vican. l. si quis suo testamento* 33. §. 1. *hoc iniquum. C. de Inoff. Testam.* Procul à pœna illi sunt submovendi, quos reos sceleris societas non fallit. *l. sancimus.* 22. *C. de pœn.* Adde *l. Non debet.* 74. *D. de Reg. Iur. c. Non debet.* 22. *eod. in* 6. III. Pernitiosum est reipubl. propter causas privatas quasi publicum bellum indicere alteri populo. Nihil tam turbat remp. quàm repressaliarum concessio. IV. Non solent hodiè concedi. Vide Gail. *d. tract. de pignerat. c.* 2. *n.* 3. Coler. *de process. execut. c.* 2. *n.* 283. *& seqq.*

4. Non verò oportet dubitare, quin is, qui ex jure repressaliarum ob denegatam à suo judice justitiam damnum est passus, possit ejus nomine agere & adversus eum, in cujus negotio & ad cujus instantiam justitia est denegata, & adversus judicem, & adversus principem, qui non coëgit Iudicem justitiam facere, hoc quidem ordine. Primò est loco actio movenda contra eum, ob quem cujusque causam & petitionem

est

est denegata justitia : quia damnum ex illius odio & culpa. Contra illum, cujus odio vel culpa damnum illatum est, datur actio directa *l. Si servus communis.* 61. *§. Quod verò.* 5. D. *de furt. l. Si merces.* 25. *§. culpæ.* 4. D. *locat. condict. l. pen. & ibi* DD. D. *solut. matrimon.* Vide DD. in *l. nam & servius.* 21. D. *de negot. gest.* Conveniendus verò non est debitor, si prohibitus sit, à magistratu non ad hoc rogato, id facere, ob quod concessæ sunt Repressaliæ *arg. l. Qui vetante* 102. D. *de Reg. Iur l. non videntur* 167. §. 1. *l. Is damnum dat.* 169. D. *eod.* Secundo loco, si is, ob quem & in cujus causa ab alio repressaliæ sunt concessæ, vel non sit solvendo, vel fuerit à Iudice prohibitus, conveniri oportet judicem; *arg. §. sciendum.* 2. *Instit. de satisdat. tutor. l.* 1. *& t.* D *& C. de magistrat. conven.* Tertio loco, contra reliquos officiales, qui cogendi Iudicem habebant potestatem & consequenter adversus principem, agi potest. *arg. d. l. Is damnum.* 169. D. *de Regul. Iur.* Is verò, qui est ex subditis illius, qui ob justitiam subdito suo denegatam concessit repressalias, non habet actionem contra suum concivem, cui est justitia denegata, sed ipsam rempublicam : cum ad rempubl. conservandam sint indultæ repressaliæ, ac concivis is, cui denegata erat justitia, in nulla sit culpa ac jure suo sit usus ad se defendendum. Talis vero non peccat. *l. Quo naufragium fit.* 3. *§. Quod ait.* 7. D. *de incend. ruin. naufrag. l. si quis fumo.* 49. *§.* D. *ad l. Aquil. l.* 7. *§.* 4. D. *quod vi aut ibi.* Vide de hac re differentes Petr. Heig. *d. quæst.* 12. *n.* 63. *& seqq.* Panzmann. *de locat. quæst.* 14. *n.* 52. *& seqq.* Castrens. in *d. l. nam & servius.* 21. Ratio dubit. I. Non potest agi contra eum, ob quem justitia est denegata 1. quoniam ejus causa justa est apud suos quia Iudex authoritatem accommodavit. *l. Iuste.* 11. D. *de acquir. vel amitt. possess. l. Qui auctore.* 137. D. *de Regul. caus.* contra eum verò, qui justè egit, non est agendum. 2. quia, cum is qui damnum sensit est membrum universitatis, provinciæ aut imperii, quod justitiam

tiam denegat, non poteſt conqueri de damno: nam, qui membrum ejus eſt probat & ſcienti ac approbanti non fit injuria. *l. cum donationis.* 34. *C. de Tranſact.* Verum præſtat ut actio moveatur contra Moderatores Reipubl. ut ex publico ſolvatur. *arg. l. 1. & ſeq. D. ad l. Rhod. de jact.* II. Concivis, qui damnum eſt paſſus ob cauſam ſui concivis, cui denegata eſt Iuſtitia, non poteſt Reip. ſed concivi ſuo litem intentare, quia ab eo eſt hæc pernities: vel alias nullam habebit actionem, cum damna, quæ tempore belli (cujus imaginem Repreſſaliæ habent Gail. *c. 1. 2. 3. de pignor.*) inferuntur, non ſoleant nec poſſint reſarciri ex publico.

Ex tit. Cod. de hereditar. action.

5. Actiones ex contractu vel quaſi ſimpliciter deſcendentes dantur contra heredes pro portionibus hereditariis, non pro modo emolumenti, licet Fiſcus ſit actor. *l. 1. C. ſi cert. petat.* Ubi Donell. *l. pro hereditariis. 2. C. h. l. Ex facto.* 35. *§. 1. D. de hered. Inſtituend. l. in executione.* 85. *§. 1. D. de verbor. obligat.* Modo res recipiat diviſionem. *d. l. in execut. §. 2.* Ratio dubitandi. I. Imò tenentur heredes in ſolidum, non pro partibus. 1. Quia heredes non ſunt melioris conditionis quam fuit defunctus. *l. fin. verſ. Eſſeque iniquum. D. ſi famil. furt. fecer. l. heredem.* 59. *l. Nemo.* 120. *D. de Regul. Iur.* & uti defunctus non potuiſſet liberari pro parte partem offerendo. *l. Iulianus.* 13. *§. offerri.* 8. *D. de act. emt.* ita nec heredes, qui ſunt univerſitatis ſucceſſores. *l. Hereditas.* 24. *D. verbor. ſignific.* Accedit, quod conditio obligationis non mutetur ex perſonis heredum. *l. ſtipulationum.* 2. *§. Ex his igitur. 2. verſic. Non enim. D. de verbor. obligat.* 2. Quia Expreſſis textibus id demonſtratur. Ita heredes ſinguli in ſolidum tenentur ex commodato. *l. ſed mihi videtur. §. Heres. 3. D. Commodat.* Depoſito. *l. ſi duo.* 22. *D. depoſit.* Pollicitatione. *l. Ex pollicitatione.* 9. *D. de pollicitat.* Legato. *l. ſolent*

Iudices. 3. *verſ. ſolent & unum.* D. *de aliment.* II. Imò non pro portionibus hereditariis ſed modo emolumenti. 1. Ex *l. Celſus* 22. *verbis : Ea dote & cæteris mulieris bonis. junct. l. ſeq.* D. *de Relig. & ſumt. fun.* 2. Quia ubi eſt emolumentum ibi & onus. *l. ſecundum naturam.* 10. D. *de Regul. Iur.*

6. Actiones in rem non in heredes dantur quatenus ſunt heredes & pro portionibus hereditariis, ſed quatenus poſſident. *d. l. pro hereditariis.* 2. *verſ. niſi C. h. l. fin. C. ſi un. ex plur. hered. creditor. vel debit. l. ſi poſſeſſor.* 55. *D. de Rei vindic. l. De eo exhibendo.* 12. § *fin.* D. *Ad Exhibend.* Ratio dubitandi. I. Actio hypothecaria, quæ & in rem eſt, datur ſecundum *l.* 1. *verſ. In omnibus. C. Commun. de legat.* non abſolutè in ſolidum adverſus heredem, qui rem poſſidet, ſed pro hereditatis parte quam accepit. II. Qui dolo deſiit poſſidere utili in rem actione convenitur, & pro poſſeſſore eſt condemnandus. *l. Quod ſi.* 22. D. *de Rei vindic. l. Qui dolo.* 131. *l. parem.* 150. D. *de Reg. Iur. c. Pro poſſeſſore.* 36. *Eod. in* 6. ubi Peck. Dyn. Cùm verò heredes conveniuntur ex eo, quod defunctus deſiit poſſidere, non eorum aliquis in ſolidum, ſed pro hereditaria portione condemnatur. *d. l. De eo exhibendo.* 12. §. *f. in fin.* D. *ad Exhibend.*

Ex tit. Cod. Ex delict. defunctor. in quantum hered. conven.

7. Poſt litis conteſtationem eo, qui vim fecit, vel concuſſionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, ſucceſſores ejus in ſolidum, *l. un.* C. *h. l. conſtitutionibus.* 33. *l. ſciendum.* 58. D. *de oblig. & act.* (contrahitur enim per litis conteſtationem. *l. Licet.* §. *idem ſcribit Iudicati.* 11. D. *de pecul.*) alioquin in quantum ad eos pervenit, *d. l. un.* C. *h.* §. 1. *verſ. pœnales. Inſt. de perpet. & temporal. act.* (ne ex alieno crimine commodum ſentiant. *d. l. un. in fin. l. in heredem.* 5. *pr.* D. *de calumniat*)

conve-

conveniri juris eſt abſolutiſſimi. Ratio dubitandi. I. Regula eſt juris, pœnas tenere ſuos authores. *l. ſancimus.* 22. *C. de pœn. l. ſi pœna.* 20. *D. eod.* nec quærendum, utrum lis ſit conteſtata vel non: Loquuntur enim leges indiſtinctè. Imò & poſt litem conteſtatam mortuo delinquente omnis accuſatio tollitur. *l. ſi is quem.* 2. *C. ſi reus vel accuſat. fuer. mort.* II. Si lis non ſit conteſtata, non in id, quod pervenit, ſed in ſolidum heredes tenebuntur, ſiquidem pecuniariè agatur. 1. Quia heredes in omne jus pecuniarium defuncti ſuccedunt: æquum ergò eſt, ut omnia quoque onera ſuſtineant. *l. ſecundum.* 10. *D. de Regul. Iur.* 2. Quia expreſſe eſt traditum non tantum in privatis, cum pecuniariè agitur, & eſt rei ſolius perſecutio, ante litem conteſtam heredes in ſolidum teneri. *l. In condiction.* 9. *D. de condict. furtiv.* ſed & in publicis *l. Ex judiciorum.* 20. *D. de accuſat. l. fin. D. ad l. Iul. peculat.* 3. Quia non tam debet ratio heredum haberi, quam eorum, qui damnum ſunt paſſi. Heredes adeunt voluntariò & de lucro captando ſunt ſolliciti: verum ii, qui à defuncto ſunt læſi, contra voluntatem patiuntur injuriam, & de damno vitando certant. Non verò tam iis favendum, qui ſponte agunt, quam iis quibus detrimentùm involuntariò infertur. *arg. l. Qui cum alio.* 19. *D. de Reg. Iur.* Nec tam iis, qui lucrum captant, quam iis, qui in damno ſunt. *l. Non debet.* 41. §. 1. *D. eod.* Nec poteſt ratio juſta reddi, cur dominis, qui res ſuas amiſerunt, debeat nocere quod defunctus vel heres non ſit factus locupletior, non verò heredi: cum juſtitia ſemper ei faveat, qui ſine crimine eſt, non ei, qui iniquitatem commiſit aut iniqui eſt heres.

8. In publicis valet hæc regula: pœnę, quę perſonę delinquenti infliguntur, ceſſant in heredibus, ſive accuſatio fuerit mota ſive non. *d. l. ſi is, quem. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer. l. ſi pœna.* 20. *D. de pœn.* Quæ enim perſonis cohærent, cum perſonis extinguuntur. Pœnæ ademtionis bonorum ceſſant in heredibus, niſi lis ſit con-

testata. Exceptis criminibus læsæ majestatis ac repetundarum. *l. Ex Iudiciorum.* 20. *D. de accusat. l. Datur.* 2. *D. l. sciant.* 2. *C. Ad l. Iul. repetundar.* quibus addi possunt peculatus & de residuis. *l. fin. D. ad l. Iul. peculat.* Ratio dubitandi. I. Pœnæ, ipsis personis infligendæ, non cessant in heredibus: cum Constitutionibus placuerit indefinitè, pœnam sive ex delicto publico sive privato, sive major sive minor fuerit, per litis contestationem transmitti. *d. l. Constitutionibus.* 33. *D. de Oblig. & act.* Unde & *in l. un. C. h.* ex vi, quæ deportationis pœnam habet, si armata fuerit. *§. Item.* 8. *Inst. de publ. Iudic.* heredes in solidum conveniuntur post litem contestatam. II. Pœnæ pecuniariæ transeunt ad heredes non tantum per litem contestatam, sed ita demum, si & lis contestata fuerit cum defuncto & is fuerit condemnatus. III. Infliguntur & pœnæ pecuniariæ ad corrigendos sontes: correctio autem delinquentium post eorum mortem fieri non potest. *d. l. si pœna.* 20. *D. de pœn.*

9. Actiones ex contractibus competentes, ob dolum malum defuncti, vel delictum concurrens, dantur in solidum *l. Ex depositi.* 12. *l. Ex contractibus.* 49. *D. de Oblig. & act.* Non enim adventitius casus, sed principale spectatur: Nec accidens mutat essentiam sive naturam sui principalis. Ratio dubitandi. I. Cum testator dolosè est versatus & ad heredem nihil ex eo dolo pervenit ex contractu, non competit actio contra heredem. §. 1. *vers. aliquando. Inst. de perpet. & temporal. action.* II. Generaliter responsum, quòd ex dolo & ob dolum actio nunquam detur, nisi quatenus pervenerit. *l. In heredem.* 26. *& seq. D. de dol. mal.*

Ex tit. Cod. de ordin. Iudicior.

10. Controversia de possessione proponi ac finiri debet ante eam, quæ est de propietate. *l. si de vi.* 37 *D. l. Nulli.* 10. ubi Donell. *l. Ordinarii Iuris.* 13. *C. de Iu-*

Iudic. l. 1. C. de appellat. l. Incerti juris. 3. *C. de Interdict.* Idem & ipsa ratio dictat, expressa *in §. Retinendæ.* 4. *Inst. de Interdict.* Ratio dubitandi I. Ex *l. Naturaliter.* 12. *§.* 1. D. *de acq. vel amitt. possess. l. Cum fundum.* 18. *§. fin.* D. *unde vi. l.* 1. *§. Quia autem.* 4. D. *quod legator.* II. Præstat de proprietate prius, quam possessione; quia, si prius de possessione agatur, oportet & de proprietate post disputare, atque ita multiplicabuntur lites; sin autem de proprietate prius, sufficit unum judicium: & frustrà de possessione sua contendit aliquis, si nequeat sese in principali causa defendere. III. Jure Canonico, ex quo procedendi ordo est, permittitur utrumque judicium, possessorium ac petitorium, simul agitari. *c. pastoralis. de caus. poss. ac propriat.* ergò & judicari. Vide Bartol. Æmil. Ferret. *in. d. l. Naturaliter.* 12. *§.* 1. *D. de acq. vel amitt. possess.*

11. Prius criminales proponendæ ac determinandæ, quam Civiles. *l. fin. C. h.* Major enim causa priori loco examinanda, & major quæstio minorem ad se trahit. *l. Per minorem.* 54. *D. de Iudic.* ac publicè interest, ut crimina quamprimum puniantur. Ratio dubitandi. I. Cum Privata judicia quoties de re familiari agitur faciant præjudicium publicis. *l. Interdum.* 4. *D. de public. Iudic.* necesse est, ut vel prius habeatur judicium de privatis, vel privata tollant præjudicio aliquo publica: nec tollere possunt, nisi prius fuerit actum de privatis. II. Prius de possessione agendum & pronunciandum, post de vi crimen est excutiendum. *l.* 1. *C. de appellat.* Prius de dominio, post de crimine Plagii. *l. Præses provinciæ.* 8. *C. ad l. Fab. de plagiar.* Prius de statu, post de adulterio. *l. Quoniam.* 26. *C. ad l. Iul. de Adulter.* III. Potest & causa Civilis & Criminalis simul proponi ac decidi *l. Civili.* 3. *C. h.* Non ergò Criminalis præferetur: & convenientius est, cumulari eodem libello Criminalem Accusationem cum civili, ut & evitentur sumtus nimii &

litium multitudo. *arg. pr. Inst. de pœn. temer. litigant.*

De Concursu actionum.

12. Actiones plures sæpius concurrunt, sed non semper eodem modo. Aliquandò est in iis diversitas causæ, at idem, quod exigitur: aliquandò eadem causa, at diversum, quod petitur: aliquandò diversa causa ac diversum id, in quod agitur: aliquandò eadem causa, idemque, in quod fiet condemnatio. Largiùs actionum concursus est, cum plures eidem contra eundem vel aliquandò diversos competunt ex eadem, vel diversa causa ob eandem rem, vel ex ejusdem occasione, sive connexitate negotii ob res diversas. Strictius, cum plures dantur ex una vel diversa causa occasione ejusdemrei. Agitur I. Ex eadem causa ac ob eandem rem, in rei persecutoriis: ita ad legatum competit Actio ex testamento, vindicatio & hypothecaria. *l. 1. C. Commun. de legat.* II. Ex diversa causa ob eandem rem, uti si heredi creditoris qui stichum stipulatus erat, idem stichus esset stipulatus. *l. si is, qui stichum. 18. D. de Oblig. & actori. l. Non est novum. 10. D. de act. Emt.* Vide Textum & casum *in l. Et an eadem. 14. §. Actiones. 2. D. de Except. rei judic.* III. Occasione ejusdem rei sed non ob eandem absolutè rem nec simpliciter ex eadem causa, licet ex eodem facto, concurrit actio adversus Publicanos 1. specialis, de qua in edicto de Publicanis. *l. 1. §. Dixerit. 2. D. de publicari.* 2. furti aut vi bonorum raptorum *d. §. Dixerit.* Ita & ex rapina, vi bonor. raptorum & furti. *l. 1. D. Vi bon. raptor.* Ita in damno illato injuriosè, id est animo contumeliam afficiendi, & ex *l.* Aquilia & injuriarum. *l. Qui servum. 34. D. de Oblig. & action.* Add. *l. Cum ex uno. 32. D. eod.* IV. Ex connexitate rei aut negotii, cum quis eodem tempore plura delicta committit: Uti, si quis hominem subripuerit & occiderit. *l. Nunquam. 2. pr. & §. 1. D. de privat. delict.*

Ratic

Ratio dubitandi. I. Negatur concursus actionum *in l. singulis.* 6. *D. de except. rei Iudic.* II. Non potest esse concursus actionum rei persecutoriarum in eandem rem, cum bis idem non possit exigi. *l. Bona fides.* 57. *D. de regul. Iur.* Nec plures tales actiones ex eadem causa dari possunt. Cum omnes species excutimus, non est nisi una ex una causa, uno Principio. Contractus vel quasi singuli distinctas habent essentias, adeò ut nisi una inde detur obligatio & consequenter actio. Ex mutui causa non est ulla nisi condictio ex mutuo: Nullus ex venditione aliam, quam ex empto finget: & sic in genere, quot causarum genera tot actiones. *l. Et an eadem* 14. §. *Actiones.* 2. *D. de except. rei judicent.* Dominium, non nisi ex una causa esse potest nostrum. *l. Possideri.* 3. §. *Ex plurimis.* 4. *vers. Nec enim. D. de acq. vel amitt. poss.* tantum itaque id ex una causa asserendum & probandum. *arg.* §. *sic itaque discretis.* 14. *vers. Nec res. Inst. de actionib.* Nec probatur per allegatam. *d. l.* 1. *C. Comm. de legat.* diversas esse actiones ex eadem causa, sed ex diversis; datur enim actio personalis ex testamento quasi ex contractu propter aditionem hereditatis. *l. si quis absentis.* 5. §. *Heres.* 2. *D. de Oblig. & action.* Vindicatio, ex causa Dominii, quod ex voluntate testatoris in legata re transfertur. *l. legatum.* 80. *D. de legat.* 2. Hypothecaria ex speciali legis dispositione, citra ullius hominis factum. *d. l.* 1. *Comm. de legat.* III. Quod possint rei persecutoriæ ex diversis causis esse plures, ut contra eundem eidem dentur; non probat textus *in d. l. si quis stichum.* 18. *D. de Oblig. & act.* & *in d. l. Non est novum.* 10. Cum ibi heres ex diversis agere dicatur causis non eodem sed diverso nomine, & consequenter actiones diversis personis competant: datur enim una heredi qua heres est ac nomine hereditario, altera heredi, non qua heres est sed proprio suo nomine.

13. Fit concursus, I. Cum electio tantum datur, & unâ electâ nullus est regressus ad aliam *l. Quod in*

herede. 9. §. 1. D. *de tribut. act.* licet per electam non obtinuerit, quod intendebat. Vide *l.* 1. C. *de furt*
II. Cum electio quidem defertur, sed ita, ut, quod per unam non obtentum est, possit peti per aliam, adeo ut una actio non per electionem agentis, sed per consecutionem alteram tollat vel consumat. *l. Cum filius.* 76. §. *variis.* 8. D. *de legat.* 2. quâ in altera non est amplius. *l. Quod si ex stipulatu.* 42. & 43. D. *pro socio*
III. Cum non tantum electio datur & quod una non est obtentum per alteram obtineri potest, sed cum commodum ex omnibus licet consequi. *l. Fundum.* 28 D. *de novat. d. l. Et an eadem.* 14. §. *Actiones.* 4. *pr.* D. *de Except. rei jud. l. nunquam.* 2. D. *de privat. delict.* Ratio dubitandi. I. Iniquum est, ullam actionem tolli per electionem alterius, cum actor non obtinuit: nec enim liberari debitor potest aliter quam solutione vel satisfactione. *arg. l. nihil tam.* 35. D. *de solut.* Et si actor minus idoneam elegerit, error ei non debet nocere, sive sit juris sive facti: cum de damno vitando certat & suum vel sibi debitum petit. *l. Iuris ignorantia.* 7. & *seq.* D. *de juris & fact. ignor.* Nec electione unius tolli alteram, suadet æquitas in actione de peculio, cujus in *dict. lege. Quod in herede.* 9. §. 1. primo hujus Theseos membro fit mentio. Nam inquit Ulpianus in *l. si ex duobus.* 32. *pr. vers. sed si licet.* D. *de pecul.* licet hoc jure contingat, ut scil. unius electione fit liberatio alterius, tamen æquitas dictat, judicium in eos dari, qui occasione juris liberantur, ut magis eos perceptio, quam intentio liberet. Huc facit textus in *l.* 1. §. *fin. junctis l. seqq.* 2. 3. 4. D. *de his, qui effud. vel ejecer.* II. Imò semper electione debent cæteræ non electæ interire 1. Quia, cum plures dantur, offertur electio: post electionem autem non licet variare & mutare voluntatem. In legatis *l. Servi.* 5. *l. Ejusmodi.* 84. §. *Stichum.* 9. D. *de legat.* 1. In contractibus. *l. si fundus.* 4. §. *Eleganter.* 4. D. *de Lege commiss. l. commissoriæ.* 4. C. *de Pact. inter emtor. & vend. comp.*

In actionibus, inter quas electio est ex legis dispositione. *l. fin. pr. C. de Codicill.* adde *l. Parentibus.* 8. §. 1. *C. de inoffic. testam.* 2. Quia oportet esse finem litium & non debent processus multiplicari. *l.* 1. D. *de usurpat. & usucap. l. Singulis.* 6. D. *de Except. rei jud.* 3. Quia in concursu plurium actionum hæc forma est præscripta, ut omnes dictentur, & fiat protestatio, ex altera velle consequi, quod ex una obtineri nequit *l.* 1. §. *Quia autem.* 4. D. *Quod legator.* Cum verò forma lege præscripta præcisè sit servanda. *l. Qui heredi.* 44. D. *de Cond. & Demonstr.* ut & consuetudo *l. Sed & ea.* 35. D. *de legib.* sequitur, quod qui in concursu plurium unam elegit, simpliciter reliquis renunciaverit. III. Pugnat cum natura, idem bis nostrum fieri §. *sic itaque.* 14. *Instit. de action.* & bis idem exigi ab eodem. *l. Bona fides.* 57. D. *de Reg. Iur.*

14. Cum concurrunt plures in personam tantùm actiones, rei persecutoriæ tantùm, & ex eadem causa originem habent, una tantùm potest intentari. sic tamen, ut una alteram tollat consecutione *l. Si actum.* 43. *D. pro socio.* non electione, & post primam & altera institui possit, si alterâ plus contineatur. *d. l. Si actum.* 43. Cur autem non electione tollatur, sed tantùm consecutione, est ratio, quia omnis actio cum effectu est accipienda, &, si qua sit ex speciali causa ac ratione peremtorio exceptionis remedio exclusa, habenda est pro non proposita. Nec enim præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum. *c. non præstat.* 52. *de Reg. Iur. in* 6. Vbi Dyn. Cur verò altera, quæ plus continet, possit moveri post aliam antè institutam, ratio est, quia cuique suum tribuendum est ex omni remedio, quod lex largitur, ne lex videatur ociosa & sine virtute. Cur vero unâ liceat tantum experiri, est ratio, quia bis idem exigi nequit *d. l. Bona fides.* 57. Ratio dubitandi. I. Omnibus licet absolutè experiri & ex omnibus commodum consequi: quia nunquam una actio alteram tollit. §. *fin. Inst.*

Si quadrup. pauper. fec. dicat. l. nunquam. 130. *D. de Reg. Iur.* Cujus loci hic eſt ſenſus : in nullo actionum concurſu admittitur, ut una alteram tollat, & ante omnia id procedit in pænalibus, Idem eſt *in §. fin. Inſt. Si quadrup. poup. fec. dicat.* Vide Hotomann. 27. *Illuſt. quæſt.* II. Imò ſola electione perimitur altera. *l. Quod in herede.* 9. *§. Eligere.* 1 *D. de Tributor. act. l. pro ſocio.* 38. *§.* 1. *E. pro ſoc.* Idem eſt in perſonæ electione, ut una electa altera non poſſit conveniri. *l. Poſt venditionem.* 2. *C. de pact.* III. Non poteſt dari caſus, quo in una rei perſecutoria quid amplius ſit, quam in altera. Rei enim perſecutoria eſt ſimplex & idem continet ſemper: Fruſtrà ergò de eo diſſeritur. Nec eſt contrarium *in l ſi quis à ſocio* 42. *& d. l. Si actum.* 41. *D. pro ſocio.* cum de diverſa re & ex diverſa cauſa conceptæ ſint actiones ibi commemoratæ uti textus ipſe indicat.

15. In concurſu actionum rei perſecutoriarum, quarum alia in perſonam tantum eſt, alia mixta tam in rem quam perſonam, hæc regula attendenda eſt; Vna alteram tollit conſecutione, ſic tamen ut, ſi quid obtentum non ſit per unam, obtineatur per aliam. Nec enim negari debet ut quod per hanc conſequi non potuerimus, per aliam poſſimus conſequi. Ita cum actum eſt judicio familiæ exciſcundæ, poſt poteſt agi Communi dividundo : poteſt enim famil. Erciſc. ſemel tantum proponi, cum ſit de univerſitate vel circa eam verſetur. *l. ſi filia.* 20. *§. Familiæ.* 4. *Famil. Erufc.* Paul. 1. *Sentent.* 18. Ita quoque poteſt antè nonnunquam agi communi dividundo & poſt familiæ Erciſcundæ *l. Inter Coheredes.* 44. *D. famil Erciſc. l. Quibus.* 34. *D. pro ſec.* poteſtque Communi dividundo ſæpius agi. *l. per hoc.* 4. *§. hoc Iudicium.* 2. *D. Commun. dividundo.* Ratio dubitandi. Extra oleas hæc allegantur, cum non de eadem re, de qua eſt diſputatio, ſed diverſis agant. Qui enim familiæ erciſcundæ egit & poſt communi dividundo experitur, de alia re controverſiam movet, quam ante fuit actum.

d. l.

d. l. si filia. 20. §. *Familiæ.* 4. D. *Famil. Ercisc.* Idem apparet, cum Judicium communi dividundo concurrit cum pro socio. *arg. l. si actum.* 43. D. *pro soc.*

16. In concursu actionum plurium, rei tantum persecutoriarum, quarum alia in rem alia in personam simpliciter ex eadem causa de eadem re comparata est, una alteram semper consecutione non ita electione tollit. Exemplum est in legatis, quæ varias pariunt ex eadem causa, quia voluntas testatoris est lege corroborata, actiones *l. Cum pater.* 76. §. *variis.* 8. D. *de legat.* 2. videlicet in personam ex testamento, in rem, vindicationem & hypothecariam. *l.* 1. C. *Comm. de legat.* Ex hisce si quis quod intendit, obtinuerit per unam, alia cessat, ne bis idem exigatur: Si non obtinuerit, non semper cessat absolutè alia. Pone, vindicatione esse actum, voluntatem legitimam testatoris esse probatam, sed legatarium non potuisse probare heredem possidere vel dolo malo amisisse possessionem, quod omninò requiritur in vindicatione *l. Officium.* 9. *l. Qui petitario.* 36. D. *de Rei vindicat. l. Si fundus.* 16. §. *In venditione.* 3. D. *de pignorib.* & propterea succubuisse, sanè non prohibebitur contra eundem heredem actionem ex testamenintentare: uti nec prohibebitur vindicare ab alio possessore, vel, si heres non sit solvendo, excussis omnibus ejus facultatibus, contra alium possessorem rerum hereditariarum hypothecariam movere. Pone, quod legatarius defecerit in probatione essentialis causæ legati: hoc casu nec contra heredem, nec contra alium ulla actio institui ulterius potest. Ratio dubitandi. I. Nimis hæc diffusa, nec singulorum ratio reddi potest. II. Manifeste *in d. l. Cum pater.* 76. §. *Variis.* 8. D. *de legat.* 2. respondetur, laxiorem tantum datam esse potestatem ob legata agendi, ut quis possit eligere, non ut omnibus successive possit uti. Huc faciunt textus *in l. Nemo.* 43. §. 1. D. *de Reg. Iur. l. Plura.* 18. D. *de oblig. & act.*

17. Cum rei persecutoriæ ex diversis causis compe-tunt nomine ejusdem rei, defenditur communiter, si in personam omnes sint, singulis agi posse: singulas enim obligationes singulæ causæ sequuntur, nec ulla illarum alterius petitione vitiatur. *l. Et an eadem.* 14. §. *Actiones.* 2. *D de Except. rei Iudicat. l. Si is, qui Stichum.* 18. *D. de Oblig. & Act.* ita, ut omnium commodum actor possit consequi. *l. Non est novum.* 10. *D. de action. Emt.* Ratio dubitandi. I. Consecutione tollit una alteram. 1. Ob textum in *l. Aurelius.* 28. §. *fin. D. de lib. legat. l. Lucius.* 93. §. 1. *D. de leg.* 3. *l. Si quis à socio.* 41. *& seqq. D. pro soc.* 2. Ob rationem, Idem bis exigi nequit. *l. Bona fides.* 57. *D. de Reg. Iur.*

18. Si in rem primò specialiter ex una, pòst actor cum succubuit, ex alia causa agat, non potest posterior actio rejici per exceptionem rei judicatæ. *d. l. Et an eadem.* 14. §. *actiones.* 2. *D. de except. rei judicat.* Non enim habet exceptio rei judicatæ locum, cum diversa est agendi causa. *d. l. Et an eadem. in pr.* Ratio dubitandi. I. Datur actio in rem tantum domino. *l. In rem.* 23. *D. de Rei vindicat.* Dominium non est nisi ex una causa. *l. Non ut ex pluribus.* 159. *D. de regul. Iur. l. possideri* 3. §. *Ex pluribus.* 4. *D. de acquit. vel amitt. possess.* Et sic nec actio in rem, nisi ex una causa potest proponi.

19. In concursu pœnalium tantum, siquidem oriantur ex diversis factis ac delictis, omnibus licet experiri, actorque omnium commodo frui poterit. *l. Illud.* 32. §. *fin. D. ad l. Aquil.* §. 1. *in fin. Inst. si quadrup. pauper. fecisse dicat.* Nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque delictum ob aliud delictum minuit pœnam *l. nunquam.* 2. *D. de privat. delict.* Idem arbitror, si in uno facto intentio fuerit plura delicta committendi *l. Sed & si.* 5. §. 1. *D. ad l. Aquil.* Voluntas enim & animus distinguit maleficia. *l. Divus.* 14. *D. ad l. Cornel. de sicar.* Ratio dubitandi. I. *Ex l. Plura delicta.* 53. *D. de obligat. & action. l. Qui servum,* 34. *D. Eod.* II. Ob unum factum tantum semel pœna est infligenda.

20. In

20. In concursu pœnalium ex uno facto, cum non fuit animus plura committendi delicta, sed ex consequentia deducuntur plures actiones, una alteri præjudicat, qua in altera non est amplius. *l. Quoties.* 41. *§.* 1. *D. de obligat. & act. junct. l. Qui servum.* 34. *D. eod.* Ratio dubitandi. I. Ex *d. l. Nunquam.* 2. *D. de privat. delict. l. cum ex uno.* 32. *l. Nunquam.* 60. *D. de oblig. & act. l. Nunquam.* 130. *D. de Reg. Iur.* II. Nunquam vel in minimo connivendum in delictis. *arg. l. auxilium.* 37. *in fin. D. de minorib.* Publicè enim interest delicta omni modo puniri. *l. Ita vulneratus.* 51. *§.* 2. *D. ad l. Aquil. §. sic itaque* 14. *Inst. de actionib.*

21. In mixtarum, quæ & rei & pœnæ persecutionem habent concursu, vel cum mixtis vel cum pœnæ tantum persecutoriis, una alteram tollit, nisi in altera plus sit; scilicet, si ex eodem facto & delicto descendant. *arg. l. Qui servum.* 34. *l. Quotiens.* 41. *§.* 1. *D. de obligat. & action. l.* 1. *D. de vi bon. raptor.* Aliàs, si ex diversis factis vel ex uno facto ac variis delictis, neutra alteram impedit. *d. l. Nunquam.* 2. *pr. §.* 1. 2. 4. 5. 6. *D. de privat. delict.* Verum si mixtæ concurrant cum persecutoriis Rei, una impedit aliam, quâ per aliam in plus agi nequit. *d. l. Qui servum.* 34. *§.* 1. *l. Vnde quæritur.* 7. *§.* 1. *D. Commod.* Ratio dubitandi. I. Si concurrat rei persecutoria cum mixta, utriusque commodum obtineri potest. *d. l. Nunquam.* 2. *§. Quæsitum.* 3. *D. de delict. privat. l. sed si ex causa.* 47. *§.* 1. *& l. seq. D. pro soc.* II. Imò si concurrat rei persecut. cum mixta, unâ electâ cessabit altera. *l. licet.* 6. *§. fin. D. Naut. Caup. stabul. l. In heredem.* 5. *§.* 1. *in fin. D. de calumniat. l. non solum.* 13. *& l. seq. D. de Rei vindicat. l. In rebus.* 18. *§.* 1. *D. commod. l. Si merces.* 25. *§. Ipse quoque.* 5. *l. si vulneràris.* 43. *D. locat. cond. l. si servus.* 27. *§. proculus.* 11. *D. ad l. aquil. l.* 1. *§. In tutela.* 21. *D. de Tutel. & ration. distrah. l. metum.* 9. *§. licet.* 6. *D. Quod met. caus.* Id ipsum æquius est, cum is, qui persequitur rem actione ex contractu, non videatur de delicto posse conqueri,

adeo-

adeoque unius actionis institutio continet renunciationem alterius juxta. *l. 1. C. de furt.*

22. Cum concurrit rei persecutoria cum pœnali, ambabus experiri est permissum. Habent enim eæ actiones diversum fundamentum: nec sunt de eadem re nec ad eundem finem diriguntur. Vide Textus in *l. Si pro fure. 7, §. 1. D. de condict. furt. l. Qui servum. 34, §. 2. D. de oblig. & act. l. Rei communis. 45. D. pro soc. l. si locatum. 42. D. locat. conduct. l. 12. C. de furt.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Et ita de facto. 3. §. fin. D. naut. caupon. stabul.* II. Ex *l. Si is, cui. 71. D. de furt.* III. Electione alterutra consumitur §. *Quæ de fullone. 16. Inst. de oblig. quæ ex delict. nascunt.* quod æquitati est consentaneum propter *l. 1. C. de furt.*

23. Publica si concurrat accusatio cum actione civili privata ex delicto, nullum fit præjudicium, alteru- tri, sed potest utraque actio institui. *l. Indè Neratius. 23. §. si dolo. 9. D. l. Ex morte. 3. C. ad l. Aquil.* Diversi enim in re diversa re sunt hoc casu agendi fines Ratio dubitandi. I. Ex *l. Prætor edixit. 7. §. 1. D. de Injur.* II. Ex *l. Interdum evenit. 4. D. de public. Iudic.* III. Nemo debet duplicem pœnam ob idem delictum sustinere.

De Cumulatione actionum.

24. Actiones, quarum una est alteri contraria vel quarum una destruit fundamentum alterius, cumulari vel simul proponi nequeunt. *l. 1. C. de furt.* Ratio enim contrariorum id postulat, ut uno posito removeatur aliud. *l. Hæc verba. 124 versic. disjunctivum. D. de verbor. significat.* Nicol. à Middelb. *loc. legal. à contrariis. n. 10.* Ratio dubitandi. Cumulari possunt actiones hæ: prima, quâ testamentum dicitur non esse jure perfectum, altera, qua esse inofficiosum, licet sit jure perfectum, contenditur *l. Contra majores. 16. C. de Inofficios.* Eæ verò sunt contrariæ. dicere enim

enim non esse perfectum & impugnare testamentum inofficiosi querela, quia perfectum est, directò pugnant. II. Cumulatur querela de falso cum querela de inofficioso. *l. Eum qui.* 14. *C. eod.* Querelæ autem hæ contrariantur, uti res ipsa judicat.

25. Cum ex pluribus actionibus concurrentibus electio unius perimit alteram, impeditur cumulatio. *l. Electio.* 26. *pr.* D. *de Noxalib. act. l. Quod in herede.* 9. §. *Eligere.* 1. *D. de Tributor. act.* Ratio dubit. Licet plures dictare actiones, cum incertum est, quæ teneat, ac protestari, nos velle consequi ex ea, quæ tenet. *l.* 1. §. *Quia autem.* 4. *D. Quod legator.* Præceptum verò *d. l.* 1. §. 4. etiam locum habet tunc, cum electione unius altera tollitur. 1. Propter generalitatem verborum in *d. l.* 1. §. 4. textus is enim indefinitè loquitur. 2. Quia jure electio ad hoc datur, ut quis per unam possit suum consequi, non, ut, si non sit consecutus suum per primam, in totum à secunda sit exclusus. *arg. l. Qui servum.* 34. *pr. D. de Oblig. & Action.*

26. Quoties absolutoria lata in una parit exceptionem rei judicatæ in altera, non admittitur cumulatio *l. Fundum.* 16. *l. Fundi.* 18. *D. de Except.* Id enim semper attenditur, ne de supervacuis fiat quæstio: & inutilis est multiplicatio processuum. Modus enim litium multiplicatus, summam atque inexplicabilem facit difficultatem: maximè, si diversa pronunciarentur: *l. Singulis.* 6. *D. de Except. rei judicat.* Ratio dubitandi. I. Hypothecaria & personalis possunt cumulari. *Novell.* 4. *c. sed neque* 2. *versic. Contra principales.* attamen absolutoria lata in personali parit exceptionem rei judicatæ in hypothecaria. *l. Si deferente.* 13. D. *quib. mod. pign. vel hypoth. solv. junct. l. solvitur.* 5. §. *fin.* D. *eod.* II. Petitorium cum possessorio cumulatur *l. cum fundus.* 18. §. 1. D. *de vi & vi armat. l. naturaliter.* 12. §. 1. D. *de acq. vel amitt. possess.* Non tamen est dubium, quin in uno sc. petitorio absolutoria pariat exceptionem rei judicatæ in alio sc. possess. *arg. l. Incerti.* 3. *vers. ut ex hoc. C. de interd.* §. *Retin.* 4. *Inst. eod.*

EX-

EXERCITIUM XXIV.

Resp. PETRO OCCERTIO, Ziriczæa-Zelando.

Ex tit. C. & D. de Inoffic. testamento.

THESIS PRIMA.

QUerela inofficiosi testamenti etiam hodiè locum habet, nec jure novo, sive linea recta sive obliqua spectetur, sublata est: sive sit nulla, sive falsa, sive non sufficiens exheredandi causa addita. Nullo enim juris textu sublatio probari potest: Et quod non mutatur, cur stare prohibetur. *l. sancimus.* 27. *C. de Testament. l. fin. C. de novation. l. Præcipimus.* 32. §. *fin. C. de appellat?* Deindè & jure novellarum testamentum inofficiosum, non nullum, sed evacuandum. *Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.* rescindendum esse *d. Nov. c.* 4. §. 9. statuitur. Vide Viglium *in pr. Inst. h. n.* 4. Donell. 9. *Comment.* 13. Duaren. *ad tit. de lib. & posth. c.* 3. Fachin. 4. *Controv.* 9. Wesemb. *in* §. *Non tantum.* 2. *Inst. h. n.* 5. *in fin.* Ratio dubitandi. I. Color hodiè non idem, qui fuit olim. *arg. l.* 1. *& fin. C. de formul. & impetrat. act. sublat.* Vide D. Tim. Fabr. *disp. anniv.* 19. *Thes.* 8. Aliaque forma, quæ antè non obtinuit, præscripta, alius effectus huic querelæ datus est, in *Nov.* 115. *c.* 3. *&* 4. Ubi autem est formæ mutatio, & alius effectus, ibi & res ipsa mutata est. *arg. l. Iulianus.* 9. §. *sed si quis.* 3. *in fin. D. ad Exhibend.* II. Hodie Testamentum est ipso jure nullum, quo vel nulla vel injusta vel falsa est causa exheredationis expressa. *d. Novell.* 115. *c.* 3. ob hasce rationes 1. Quia *d. Nov. c.* 3. *circa finem.* ait Imperator, nullum præjudicium generari per iniquam exheredationem, sive, ut in *d. Nov. c.* 4. adjicit, nullam vim obtinere exheredationem. 2. Quia in *d.*

Nov, c. 3. *&* 4. certam formam præscripsit exheredandi: Ea verò quæ fiunt contra formam legum, nullius sunt momenti. *l. Non est dubium.* 5. *C. de legib. l. Cum hi.* 8. §. *si Prætor.* 17. *D. de Transact. l. Mævius.* 55. *D. de condit. & demonstrat.* 3. Quia inquit Impr. *d. Nov. c.* 5. *in pr.* se propterea de exheredationum causis jus adeò sollicitè constituisse, ut parentes & liberos à testamentorum injuria liberos redderet. Liberi autem tunc sunt parentes & liberi ab injuria verè, cum ipso jure nullum declaratur, quod actum est. 4. Utilius est exheredatis iniquè, ut testamentum pronuncietur nullius momenti, quam, ut actio ad id rescindendum sit instituenda: Multos enim requirit sumtus, multa odia, multas contentiones trahit secum certamen judiciale. Honestius est idem Testatoribus, ne post funera existimatio sugilletur ob non observatum pietatis debitæ officium. Quod verò est utilius exheredatis ac honestius Testatoribus, maximè assumendum est. *arg. l. Cum quidam.* 19. *D. de lib. & posth. hered. Inst.* Dyn. *in c. Odia. de Reg. jur. in* 6. Vide Gilken. *in l. Omnimodo.* 30. *n.* 5. 8. *& seqq. h.* Bartol. Jason. *in Authent. Ex causa. C. de lib. præter.*

2. Datur querela non tantum liberis in potestate testatoris constitutis, sed & emancipatis, si iniquè sint exheredati. §. *sed hæc.* 5. *Inst. de Exhered. liberor. Nov.* 115. *c.* 3. *pr.* Nec etiam Emancipati magis arcentur ab hereditate quam Sui *Nov.* 118. *c.* 1. *&* 4. Imò & Posthumis, sive veri sive quasi sint: cum enim olim, potuerint exheredari. §. *posthumi.* 1. *Inst. de exheredat. liberor. l. posthumi.* 3. *D. de injust. rupt. ac irrit. l. Posthumus.* 14. *D. de liber. & posthum. hered. Inst.* §. *Tam autem.* 2. *in fin. Inst. h.* & hoc jus nusquam mutatum esse probetur, quinimo generaliter confirmetur. *Novell.* 115. *c.* 3. etiam hodiè poterunt. *arg. d. l. sancimus.* 27. *C. de Testament.* Vide Vigl. *in* §. *Tam autem* 2. *Inst. h.* Connari. 9. *Comment.* 10. Donell. 6. *Comment.* 13. Duaren. *c.* 6. *D. h.* & consequenter iis datur querela. *pr. Inst. h.*

Ratio

Ratio dubitandi. I. Emancipati non habent querelam, sed ab inteſtato ſimpliciter bonorum poſſeſſionem, neque ullum aliud jus. §. *Emancipati*. 9. *Inſt. de hered. q. ab in teſtat. defer*. & ſi teſtamentum ſit conditum, in ſpecie bonorum poſſeſſionem contra tabb. ſive præteriti ſive, quod idem eſt, exheredati iniquè. *l*. 1. §. *Et ſui*. 6. *& ſeq*. *l*. *Non tantum*. 3. D. *de bonor. poſſ. contra tabb*. Ubi autem eſt aliud remedium, ibi ceſſat querela inofficioſi. §. *Tam autem*. 2. *Inſt. h*. Et magis id in Emancipatis receptum, quia nuſquam iis etiam jure novo querela datur. II. Poſthumi hodiè non poſſunt exheredari: Quia deſideratur juſta exheredationis cauſa *d. Novell*. 115. *c*. 3. quæ in vere poſthumos non poteſt cadere. Vide Michael. Graff. 1. *recept. ſentent*. §. *Teſtamentum. quæſt*. 42. *n*. 14. *Iul*. Clar. 3. *ſentent*. §. *Teſtamentum. quæſt*. 41. *n*. *final*. Vigl. Tialling. ab Eiſingl. *in* §. 1. *Inſt. de Exhered. liberor*. Petr. Gregor. *lib*. 44. *ſyntagm. c*. 3. *n*. 5. Et ideò non opus eſt iis querela. *pr. Inſt. h*. Ubi Vide Vultei. Cujac. *in l. Placet*. 4. *D. de lib. & poſth. hered. Inſt*. Weſembec. Mynſ. *in d*. §. *Tam autem*. 2. *Inſt. h*.

3. Liberi naturales tantùm querelam adverſus patris teſtamentum non habent, licet deficiant legitimi liberi & uxor ſive vidua. Nullo enim jure contrarium probatur. In hoc autem remedio extraordinario ſine lege loqui erubeſcimus. *Novell*. 18. *c. conſideremus*. 5. *verſic. ſed quia non hoc*. *l*. *Diſſentientis*. 5. *verſic. Invitam*. *C. de repud*. Nec etiam abſolutè ab inteſtato ſunt heredes, nec legitimam iis jura decreverunt: & quibus non eſt data legitima, iis nec querela inofficioſi datur. *arg. Nov*. 18. *c*. 1. *in verb. final*. Vide Arum. *Exerc*. 10. *Theſ*. 15. Verum contra matris & Aſcendentium per matrem teſtamentum querelam habent *l. ſi ſuſpecta*. 29. §. 1. *& ibi*. Paul. de Caſtr. D. *h*. Vide Arum. *Exercit*. 11. *Th*. 8. *in fin*. cum iiſdem ut liberi legitimi & una cum legitimis ſuccedant. *l*. 2. *l*. *Modeſtinus*. 8. *D. Vndè Cognati*. *l*. *ſi qua Illuſtris*. 5. *C. ad SC. Orfician*. Adoptivi

verò

verò, qui transierunt in potestatem, quibusque non est quarta. *l. Papinianus.* 8. §. *si quis.* 15. *D. h.* admittuntur ad querelam *d.* §. *Tam autem.* 2. *Inst. h.* Ratio dubitandi. I. Naturalibus etiam permissum est agere contra inofficiosam dispositionem patris. 1. Ex *d.* §. *Tam autem.* 2. 2. Quia in genere liberis concessa est querela *pr.* §. 1. *& seqq. Inst. h.* 3. Quia ex parte vocantur ab intestato ad patris bona. *d. Novell.* 18. *c.* 5. *Novell.* 89. *c.* 12. §. 4. Vide Cujac. *in d. Nov.* 18. Besold. *in delib. jur. lib.* 5. *&* 6. *d. quæst.* 17.

4. Si filius justè sit exheredatus & patri supervivat, Testatoris ex filio exheredato nepos ex sua persona nec testamentum dicere nullum, nec de inofficioso queri potest. *l. si quis filium.* 34. *C. h. l. si quis filio.* 6. *pr. D. de injust. rupt. & irrit.* Vide Cujac. *in l. si quis posthumos.* 9. §. *si filium.* 2. D. *de liber. & posthum. hered. instit.* Gomes. 1. *resolut.* 11. *c.* 21. Ratio dubitandi. I. Exheredatus est pro mortuo. *l.* 1. §. *sed & si patronus.* 5. D. *de conjung. cum emancip. liber.* Mortuo autem patre nepotis, nepos rumpit testamentum, cum in sui heredis locum succedat. *l. Posthumorum.* 13. D. *de injust. rupt. & irrit.* II. Nepos admittendus est ex edicto successorio. *l. Pater filium* 14. *l. Si non.* 25. D. *h. l.* 1. §. *si filius.* 4. D. *de suis & legit. liber.* III. Nepos non debet portare iniquitatem sui patris. Pœnæ enim suos tenent autores. *l. sancimus.* 22. *C. de pœn.*

5. Militis testamentum non subjacet querelæ *l.* De *inofficioso.* 9. *l. Testam. militis.* 24 *l. fin.* §. 1. *C. h. l. Papinianus.* 8. §. *si quis in militia.* 4. *l. si instituta.* 27. §. De *inoffic.* 2. D. *h.* Vide Fachinæ. 6. *Controvers.* 74. D. Busium. *in l.* 1. D. *de Testam. milit.* Arum. *Exercit.* 10. *Th.* 13. Ratio dubitandi. I. Veteri quidem jure hoc obtinuit, sed non novo, quod extat *in Nov.* 115. *c.* 3. Ubi in *princip.* Imp. parentibus sine ulla distinctione imponit, ut vel instituant vel exheredent liberos, nullumque privilegium servat militibus. & in *d. Nov. c.* 4. Ubi in fine indistinctè jubet, rescindi, nullã habere vim

voet ad h. tit. n. 6.

exheredationem, quam ſine vera juſtaq; cauſa liberi, ſive milites fuerint ſive alii, fecerunt. II. Iniquum eſt, ut militibus concedantur privilegia, quæ vim naturæ faciunt, & injuriam inferunt aliis. *arg. l. Nec avus. 4. C. die Emancipat. liberor.* Vis fit naturæ ac injuria aliis, ſi ſine ulla cauſa liberis vel parentibus adimere bona ſit militi conceſſum: Cum pietas, naturalis ratio parentum bona liberis & ratio commiſerationis liberorum parentibus addicat hereditatem. *l. Nam etſi.* 15. *pr.* D. *h. l. Cum ratio.* 7. D. *de bon. damnat.*

6. Cum liberi à Patre, in cujus ſunt poteſtate, præteriti ſunt, non habet locum querela inofficioſi, ſed nulllitatis. Quin hoc jure veteri obtinuerit, non poteſt ambigi. *pr. Inſt. de Exhered. lib. l.* 1. D. *de injuſt. rupt. & irr. l. Inter.* 30. *& ſeqq.* D. *de lib. & poſth. hered. inſtit.* Quapropter, cum jure novo id non ſit mutatum, idem & hodiè obtinebit. *arg. l. ſancimus.* 27. C. *de Teſtament.* Vide D. Tim. Fabr. *d. diſp. anniverſ.* 19. *Theſ.* 2. Idemque dicendum, ſi legatum pater reliquerit: Quandoquidem requiritur *dd. ll.* ut nominatim filius inſtituatur aut exheredetur, etiam ſi convenerit inter patrem ac liberos, his aliquo dato, ne querela vel nullitas proponeretur. *l. ſi quando.* 35. *§. Illud.* 1. *C. h.* Non enim pactionibus, ſed meritis filii ad paterna obſequia provocandi. *d §. Illud.* Idem eſt, licet præteriti ante patrem moriantur. *l. ſi filius.* 7. D. *de lib. & poſthum. hered.* Ratio dubitandi. I. Agere oportet liberos præteritos ad evacuandum teſtamentum quoad inſtitutionem heredis, legatis interim ſalvis 1. Ex *Auth. ex cauſa. C. de liber. præter.* deſumta *ex Nov.* 115. *c.* 3. *pr. & §. fin.* quæ corrigit jura vetera. *l. fin.* D. *de conſt. Princip.* Ex ea enim infertur, generalia verba *in pr. d. c.* 3. generaliter eſſe accipienda tam de præteritione liberorum, qui ſunt in poteſtate, quam aliorum. 2. Quia *c.* 5. *ejuſdem Novellæ*, Imperator ait, ſe omnem præteritionis & exheredationis injuriam auferre liberis & parentibus per eam ſanctionem: tam autem ſit in-

juria per præteritionem , quæ non est loco exheredationis, quam per eam quæ exheredationis vicem sustinet: imò major , cum liberi non nominati censeantur, quasi non sint liberi justi. Vide Donell. *6. Comm.* 13. Connan. 9. *Comm.* 8. *n.* 10. II. Si legatum sit iis relictum, non sunt præteriti, quia nominantur, & non possunt querelam movere. §. *fin. Inst. h. Nov.* 18. *c.* 1. *l.* 1. §. 3. *D. si quis aparent. manum.* III. Si liberi promiserint se non acturos contra patris voluntatem, non licet iis fidem violare, cum ob textus generales *in l.* 1. D. *de pact. l.* 1. D. *de const. pecun.* tum ob specialem *in l. Non putavit.* 8. §. *si quis sua* 6. *D. de bonor. poss. contra tabb.* Vide Matthiam Berlich. *part.* 3. *conclus. practicab.* 16. IV. Si moriantur liberi ante patrem, qui sunt præteriti, vires ex purgatione vitii voluntas accipit. 1. Ex *arg l. Posthumus.* 12. *D. de injust. irr. fact. test.* 2. Quia de testamenti viribus post mortem demum quæritur. *l.* 1. *D. Qui testam. fac. poss.* 3. Quia si ipsi præteriti non dicant nullum, tueri oportet dispositionem *l. Filio.* 17. *De de injust. rupt. & irrit.*

7. Datur querela non tantum liberis, sed & parentibus, sive sint simpliciter præteriti sive exheredati iniquè. *l.* 1. *l. Pater.* 14. *l. Nam etsi* 15. *l. Adversus* 30. *D. l. Cum filium.* 17. *l. Liberi* 28. *C. h.* Ratio est in commiseratione ob luctuosam liberorum mortem *d. l. Nametsi.* Patri datur contra testamenta naturalium & legitimorum simul, non naturalium tantum: in matre non distinguitur, utrum sint tantum naturales, an & legitimi. Cujus juris ratio est, quia nec naturales queri possunt contra testamentum Patris, matris utique. Datur etiam fratribus ac sororibus Germanis, consanguineis, non uterinis *l. Fratris.* 21. *l. Fratres.* 27. C. *h.* Non ullis cognatis. *l.* 1. *D. h.* Vide Duaren. *c.* 8. D. *h.* Connan. 9. *Comment.* 9. Nec aliter Fratribus, quam si turpes sint justitutiæ heredes. *d. l. fratres.* Spurios verò inter turpes non recipiendos esse docet. *l. Spuris.* 6. *in princ.* D. *de Decurion. junct. l.* 2. C. *de di-*

gnitatib. c. pen. de Reg. jur. in. 6. Nemo enim ex maleficio parentum infamis dici poteſt. *c. Nunquam. 3. C. Naſci 4. Diſt. 56.* Spuriique nihil commiſerunt *l ſpurii.* At ex proprio cujuſque facto oritur infamia. *l. Cognitionum. 5. §. 1. verb. ex delicto noſtro. D. de var. & extraord. cognit.* Ratio dubitandi. I. Uterini non ſunt arcendi à querela, ad quam admittuntur Conſanguinei: Naturæ enim ſunt accuſatores, qui inter maſculos & fœminas, & inter eos, qui ex maſculis, & eos, qui ex fœminis ſunt nati, diſtinguunt. *l. Maxim. 4. C. de liber. præt.* II. Spurii levi aliqua macula ſunt aſperſi: quapropter non ita ut alii ad honores *d. l. Generaliter. 3. §. 2. D. de Decution.* ad collegia honorata civium, uti conſuetudo tenet, admittuntur.

8. Video multos ſentire, Virginem, quæ Amore capta uni, quam amabat, ſe proſtituit, non eſſe quoad querelam, quæ à fratribus contra fratris teſtamentum inſtituenda eſt, pro turpi reputandam: ſed vehementer errant. Leges amant caſtitatem *Nov. 74. c. 4.* impudicitiam oderunt. *Nov. 14 præf. §. 1.* Thorus enim immaculatus placet Deo ac honeſtus eſt; immaculatus verò nullus eſt niſi in conjugio *Ad Hebr. 13. verſ. 4* Huc facit, quod mulieribus Caſtitatis obſervatio præcipuum ſit debitum. *l. ſi qua illuſtris. 5. C. ad SC. Orfic* Quod Caſtitas corrupta non reſtituatur *l. un. pr. C. d. rapt. virg.* Quod ſtuprum non ex frequenti fornicatione ſed & ex uno facto æſtimetur. *arg. §. 4. in fin. Inſt de publ. Iudic.* Quod apud honeſtos & graves viros exiſtimatio talis fœminæ ſit imminuta, cùm, quæ ſemel ſeſe proſtituit, ſæpiùs idem factura credatur. Ratio dubit. I. Nihil eſt furore amoris vehementius, quem retinere philoſophiæ eſt perfectæ. *d. Nov. 74. c. 4. verſic. Novimus.* Euriped. *in Antigon.* Vide Tiraquell. *in tract. de pœn. leg. temper. cauſ. 4.* II. Talis fœmina non eſt meretrix. *c. Vidua. 14. diſt. 34.* & ſic non infamis, maximè quidem, quia coacta per amoris violentiam ad coitum hunc proceſſit: Coactio autem &

turpi

turpitudine & à pœna excusat. *arg. l. Fœdissimam.* 20. *&* ibi Bald. *C. ad l. Iul. de adulter.* Vide Menoch. 2. *de arbit. Iudic. centur.* 3. *cas.* 328. *n* 3. *& seqq.* Ubi latè.

9. Cum fratribus non admittitur ad querelam fratris prædefuncti filius. Tantum enim fratribus & sororibus hoc jus est datum. *l.* 1. *D. l. Fratres.* 27. *C. h.* Nec solet jus singulare & extraordinarium, quale jus hujus querelæ est, extendi. *d. Quod verò.* 14. *& seqq. D. de legibus.* Quinimò, si Fratres fratrem suum defunctum, beneficio querelæ reddiderint intestatum, non unâ ad hereditatem vocabitur alterius predefuncti fratris filius. Cum enim suo jure querelam proposuerint & ex speciali privilegio, non potest id aliis in fraudem & contra mentem legis prodesse. Eodem modo si præteritus parens inofficiosum dixerit Testamentum filii, qui non turpem scripserat heredem, fratres arcebuntur ab hereditate. Vide Vigl. *in* §. 1. *Inst. h n.* 9. Vultejum ibid. *n* 10. Arum. *Exercit.* 10. *Thes.* 16. Huc facit 1. Quod semel exclusus legitimè ab hereditate vel alio beneficio, posteà maneat exclusus. *In feud. tit. Episc. vel. Abbat. c. un.* § 1. 2. Quod Testamentum valuerit & Defunctus non decesserit intestatus. Ratio dubitandi. I. Nomine Fratrum etiam veninnt filii prædefunctorum & una cum fratribus vocantur ad hereditatem patrui ab intestato, jure repræsentationis. *Nov.* 118. *c.* 3. *Nov.* 127. *c.* 1. Cum verò per querelam est evacuatum testamentum, aditur hereditas ab intestato. II. Rescisso testamento lex non simpliciter iis qui egerunt, sed dat hereditatem eis, qui ab intestato ad eam vocantur. *Novell.* 115. *c.* 2. *in fin. & c.* 4. *in fin. versic. sed rescisso.* Unde egregiè *in l. Posthumus.* 6. §. *si quis ex his personis.* 1. D. *h.* respondet Ulpianus: Si quis ex his personis, quæ ad successionem (sc. solæ) ab intestato non admittuntur, de inofficioso egerit & casu obtinuerit, non ei proderit victoria, sed his, qui habent ab intestato successionem: nam intestatum patremfamilias fecit. Vide Mynf.

ad d. §. 1. *n.* 13. Baccov. *in disp. ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 13. *Th.* 4.

10. Querela præparata transmittitur ad quosvis etiam extraneos heredes. *d. l. Posthumus.* §. *fin.* D. *ubi Costal.* Quomodò autem dicatur præparata, exponitur. *l. Quemadmodum.* 7. D. *h.* Non præparara omninò ad Suos transit. *l. Si pater* 5. C. *h. arg. l. Si quis filium.* 34. *l. scimus.* 36. §. *Illud.* 2. *in fin.* quinimò & ex æquitate ad omnes liberos. *d. l. si quis & l. scimus.* §. 2. *junct l. un. C. De h. qui aut. apert. tabb.* Adde *arg. ex l. Cum.* 7. *D. de bon. damnat. arg. ex Novell.* 115. *c.* 3. *pr. & c.* 4 *pr & c.* 5. *pr.* Patet enim ex omnium collatione, jura liberorum omnium secundum naturæ ordinem facta esse, quoad iniquitates exheredationum, æqualia. Ratio dubitandi. Non potest querela ad quosvis liberos transmitti nisi præparata. 1. Quia à matre ad liberos non transmissa esse proponitur, licet quoque esset præparata *l. Cum mota.* 6. *C. de transact.* 2. Quia specialiter *d. l.* 34. *l.* 56. §. 2. aliique textus faciunt mentionem patris, qui liberos consequenter habet in potestate, non parentum in genere, nec matris. 3. Quia regula perpetua est, actionem injuriarum non dari heredibus, sive sint liberi sive extranei nisi lite cum defuncto contestatâ, §. 1. *Inst. de perpet & temp. act.* nec revocationem fieri ab iis posse ob injuriam vel ingratitudinem, nisi ea fuerit facta vel inchoata à Defuncto. *l. fin. C. de revocand. donat.* & consequenter hæc vindicatio injuriæ, quæ per iniquam exheredationem infertur, non potest à quibuslibet liberis fieri per querelam inofficiosi, nisi ea fuerit præparata.

11. Forma Querelæ hodiè non requirit aliquem colorem, quasi non sanæ mentis fuerit Testator, cum testamentum ordinaret. D. Fab. *d. disp.* 19. *Th.* 2. sed actores in hoc contendunt, ut Testamentum declaretur inofficiosum, & heredis institutio evacuetur, legatis manentibus salvis. *Novell.* 115. *c.* 3. *in fin. & c.* 4. *in fin*

fin. & utiliter additur, ut consequenter actores declarentur heredes ab intestato, iisque hereditas adjudicetur, condemnatis reis ad restituendum cum fructibus &c. Itaque commodè potest cumulari petitio hereditatis cum querela. *arg. d. l. Si quis filium.* 34. *verbis: nulla petitione hereditatis ex nomine de inofficioso constitutâ. C. h. l. pen. in fin. princ.* D. *de bonor. poss. contr. tabb. ubi hæc verba: ad hereditatis petitionem admittendus est ex causa de inoffic. querelæ. l. Qui de inofficioso.* 20. *in fin.* D. *h. l. Hereditas.* 3. C. *de petition. hereditat.* Ratio dubitandi I. Color nondum est sublatus, ergo mansit. *l. Sancimus.* 27. *C. de Testament.* Nullo enim textu, quod non duret ea forma, indicatur. II. Querela inofficiosi datur aliquando contra eum, qui non possidet: imo ei qui possidet *l. Papinianus.* 8. §. *si filius.* 13. *D. h.* Petitio autem hereditatis cum sit in rem *l. Sed et si.* 25. §. *petitio.* 18. D. *de petit. hereditat.* necessario datur contra possidentem §. 1. *&* §. *æque.* 2. *Inst. de actionib.* III. Actio præparatoria non potest cumulari cum principali, quia exceptio præjudicii obstat *l. fundi.* 16. *l. fundum.* 11. *D. de Except.* atque de inofficioso actio est præparatoria tantum & habet præjudicium; quia, si querela non habeat effectum, petitio frustra movetur, & consequenter frustrà de ea re esset disputatum, contra *d. l. fundum* & *l.* 6. *D. de Except. rei Iudicat.* IV. Querela agit aliquando is, qui non est heres futurus *l. posthumus.* 6. §. 1. *D. h.* Id verò in petitione hereditatis absonum, inauditum.

12. Pater, qui eo casu quo frater defuncti agere non poterat, quia institutus erat heres non turpis, inofficiosum dixit testamentum filii, qui præter patrem sex reliquerat fratres, non consequitur totam hereditatem, sed septimam partem: cum enim ab intestato non potuisset ad majorem partem admitti, non debet ei hîc plus adjudicari. Nec hoc in querela inofficiosi est absurdum, cùm pro parte testamentum possit rescindi. *l. Nam et si.* 15. *in fin. l. Mater.* 19. *D. h.* Ratio

dubitandi. I. Evacuatur omnis institutio tanquam quid individuum. *Nov.* 115. *c.* 3. *& c.* 4. *in fin.* Ergò pater hic solus ab intestato heres. Et magis, quia, cum contra testamentum judicatur, defunctus non creditur habuisse testamenti factionem, *l. Qui repupiantis.* 17. §. 1. *D. h.* Sin autem defuncto non fuerit testamenti factio, corruunt omnia, adeo ut nihil heres scriptus habere possit. II. Fratres, exclusi justè, partem non faciunt, quandoquidem pro mortuis habentur *l.* 1. §. *sed & si patronus.* 5. *D. de conjung. cum emancip. liber.* Quocirca pater hic censebitur heres insolidum. III. Cum ad injuriam patris heres sit scriptus, iniquum est, ut ex ea injuria commodū pro parte sentiat.

13. Mater nullam habet querelam, si pater filio impuberi fecerit testamentum, quo mater est exclusa ab hereditate filii: quia pater ei hoc fecit. Nec adversus patris, frater; quia filii sunt tabulæ &c. *l. Papinianus.* 8. §. *sed nec impuberis.* 5. *D. h.* Pater enim ex singulari privilegio potest filio scribere heredem, &, si quid in eo peccetur, non spectatur immediatè persona & factum filii. Ratio dubitandi. I. Nimis barbarum ac durum, ut mater, quam luctuosa mors liberorum maximè afficit, privetur omnibus bonis & legitimâ filii, contra *l. Nam etsi.* 15. *D. h.* II. Iniquum est, ut privilegium patriæ potestatis cedat in detrimentum ac injuriam matris. *l. Nec avus* 4. *C. de Emancip. liber.* III. Qui in alterius locum succedit, alteriusque personam sustinet, ejus jure uti debet. *arg. l. Nemo.* 54 *l. In his, quæ.* §. 1. *D. de regul. jur.* quare, cum filius non potuisset simpliciter excludere matrem, etiam nec pater, qui vice filii testatur.

De legitima.

14. Legitima male definitur portio portionis debitæ ab intestato, nisi addatur competens illis, qui querelam inofficiosi habent. *arg. Nov.* 18. *c.* 1. *in fin.* Hæc ipsa est triens hodie, si quatuor vel pauciores, semis si plures liberi

beri fuerint. *d. Nov.* 18. *c.* 1. Quæ quantitas etiam habet locum in parentibus, nec non in fratribus germanis consanguineisque sive soli, sive ad hereditatem fratris vel sororis concurrant cum parentibus suis. Generaliter enim traditum est *d. Nov.* 18. *c.* 1. *verbis finalibus*, quod velit observari eandem quantitatem in omnibus, quibus olim, hoc est, ante eam Novellam competiit querela. Certum autem est & parentibus & fratribus antiquitus datam fuisse querelam, *l.* 1. *d. l. Fratres.* 27. *C. de Inoffic.* Pro hac sententia facit, quod correlatorum sit idem jus; cum in liberis id receptum, valebit & in parentibus: *arg. l. Et ideo.* 11. *& seqq. D. de legib.* De parentibus Vide Petr. Anton. de petra. *tract. de fideicomm. c.* 15. *n.* 74. Arum. *Exercitat.* 10. *Thes.* 26. De fratribus Vide Gilken. *in Auth. Novissima n.* 20. *C. de Inoff.* Fachin. 4. *controv.* 28. Ratio dubitandi. I. Quod inscriptio & contextus *in d. Novell.* 18. tantum sit de liberis. II. Quod & in posteriori *Novella* 39. *c.* 1. *in princ. Nov.* 92. *in præfat.* Impr. sese explicans hanc quantitatem retulerit tantum ad liberos. Jura verò posteriora secundum *l. fin. D. de constitut. Princip.* & interpretationem Imperatoris juxta *l. fin. C. de leg.* sequi oportet. Nec obstant verba finalia *in d. Nov.* 18. *c.* 1. Quia possunt commodè accipi de nepotibus aliisque, qui nomine liberorum comprehenduntur, ut sunt adoptivi, legitimati & similes, quibus, ipso jure naturali cogente, querela est decreta. Id vero omninò est probabile: quia tantum egerat in prioribus *cum in præfat. tum pr. cap.* 1. Imperator de filiis ac filiabus legitimè natis, III. Eo minus est dubitandùm, quia omninò est alia ratio in liberis quam parentibus & fratribus. Liberi ex communi voto ac naturali ratione absolute id flagitante bona expectant: Parentes verò non ex ordine naturæ sed contra eam, ordine sc. mortalitatis turbato; ac Fratres incidenter tantum & præter spem ac votum fiunt heredes. Imò ipse Impr. tantum iis addicit, quibus naturaliter hereditas debetur: nam inquit

d. nov. c. 1. circa finem. vers. & natura. Et natura primò curata competenter, sic ad extraneas largitates accedere. Per naturam liberos, per extraneas personas omnes extra liberos intelligit, uti series præcedentium verborum manifestè indicat. IV. Adde hisce, quod correctoria sint strictè accipienda; quod beneficia non egrediantur personas expresse nominatas: quod raro, imò nunquam, parentes sive ascendentes dari possint plures quatuor, qui sint ejusdem gradus: quod in dubio magis favendum sit ultimæ expressæ voluntati, quam hujus vel illius beneficio, contra juris veteris regulam & tenorem dato. Vide Vaud. 1. *quæst.* 50. Michael. Graff. 1. *recept. sentent.* §. *Legitima. quæst.* 10. Arum. *d. Exercit.* 10. *Th.* 21.

15. Filius justè exheredatus non censebitur sive computabitur in numero liberorum, si de quantitate legitimæ oriatur quæstio. Quo bono habenda est ratio eorum, ut partem faciant nihil habituri. *l. Post mortem.* 10. §. *liberi.* 4. *D. de bonor. poss. contra tabb?* habentur enim exheredati pro mortuis *l.* 1. §. *sed etsi patronus.* 5. D *de conjung. cum emancip. liber.* Hinc est, quod, qui exheredatos habent liberos, sine liberis decedere dicantur §. *Sed nostra.* 3. *vers. Sin autem sine liberis. Inst. de Success. libertor.* Vide Fachin. 4. *Controv.* 31. Berlich. *pact.* 3. *Conclus. practic.* 12. *n.* 9. *& seqq.* Gail. 2. *observ.* 122. *n.* 18. Ratio dubitandi. I. Pro mortuis haberi posset quidem exheredatus, quâ de numero heredum agitur: verum non quæritur in computatione legitimæ de numero heredum, sed liberorum. *Nov.* 18. *c.* 1. Inter liberos autem non desinit esse exheredatus. 1. Quia jus naturæ non potest ullo modo tolli. *l. fin. D. Unde legitim. l. Iura sanguinis.* 8. *D. de Reg. Iur.* 2. Quia pater exheredato ut filio suo potest dare Tutorem. *l. Pater.* 4. *D. de Testam. tutel.* Substitutum *l.* 1. §. *substituero.* 2. *D. de vulgar. & pup. subst.* II. Respondet ICtus, jus accrescendi esse in querela Inofficiosi ex persona exheredati, sive agere nolit,

nolit, sive non possit. *l. Si ponas.* 23. §. *fin. D. de Inoff. testam.* Consequenter & in quantitate legitimæ, quia argumentum à querela ad quautitatem legitimæ est validum. *Nov.* 18. *c.* 1. *in fin.*

16. Legitima tantum institutionis titulo relinquenda est *Novell.* 115. *c.* 3. *pr.* cujus hæc est sententia, quod oporteat instituere aut exheredare liberos, non autem sufficiat legati vel alio simili citra institutionis formam eam dare. Hoc jure corrigitur omne jus prius latum in Pandectis, in institutionibus, Codice & prioribus Novellis. *l. Papinianus.* 8. §. *si quis mortis.* 6. *D. de inoff.* §. *fin. Inst. eod. l. Omnimodo.* 30. *C. eod. Nov.* 18. *c.* 1. Accedit honor Institutionis, & ejus commodum ex jure accrescendi, si reliqui qni instituti sunt eodem testamento, vel nolint vel non possint esse heredes. *l. un.* §. *his itaque* 10. *C. de caduc.* Vide. Barlich. *part.* 3. *Conclus. practic.* 15. *n.* 8. *& seqq.* Michael. Graff. 1. *Recept. sentent.* §. *legitima. n.* 32. Clar. §. *Testamentum. lib.* 3. *sentent. quæst.* 38. Sichard. Iason. *in authent. novissima. C. de Inoff. testam.* Ratio. dubitandi. I. Cum jure veteri ita fuerit receptum, non potest dici correctum, nisi probetur. Quoties enim Iustinianus Imperator quid emendat, satis id exponit & suam curam atque diligentiam commendat, tantum non ad nauseam. Itaque *ad d.* Novell. 115. *l.* 3. sic responderi potest. 1. Eam non urgere institutionem in legitimam, sed tantum velle, ne liberi prætereantur ab iis, à quibus liberi pro exheredatis habentur, vel specialiter exheredentur sine expressione legitimæ ac veræ causæ: hoc sensu, scilicet, ne parentes prætereant vel exheredent injuriose liberos sine expressione causæ, & ut, si hoc fecerint, testamentum evacuetur, licet per legatum, donationem vel alium modum, qualis qualis ille fuerit, dederint liberis legitimam. Hæc ipsa interpretatio convenit scopo Imperatoris, cui hoc fuit unicè propositum, ut certas definiret causas exheredationum, & legata salvaret. Præter hæc nulla alia est

est intentio & ultia intentionem non est actus extendendus. *l. non omnis* 19. D. *de reb. credit.* 2. Verba illa, *nec si*, accipi posse pro nisi. Hoc sensu, non licet præterire vel ex heredare, nisi aliquo titulo dederint legitimam vel nisi liberi sint ingrati. 3. Id innui *in d. Novell.* quod, si præcesserit exheredatio, non aliter legitima, eo sc. tantum casu, possit relinqui quam titulo institutionis. Ita Forcatul. dialog. 35. quem secutus est Arumæ. *de Exercit.* 10. *n.* 18. Vide Vaud. *lib.* 1. *variar. quæst.* 5. Tessaur. *decis.* 51. Walther. 1. *Mischell.* 9.

17. Legitima non potest gravari mora; modo, fideicommisso, conditione vel alia ulla ratione. *l. Omnimodò.* 30. *l. Quoniam in prioribus.* 32. *C. de Inoffic. testam.* Et quicquid oneris est adjectum, pro non adjecto habendum est. *dd. ll.* Gail. 2. *Observ.* 119. *& seq. n.* 12. Legitima enim non ex voluntate testatoris sed legis dispositione dependet *Nov.* 1. *c.* 1. §. 1. *Nov.* 115. *c.* 3. Vide DD. *in d. l. Quoniam.* Quocirca inepta est cautela, ut pater filium instituat heredem, aliis relinquat usumfructum, quam defendit Cæpoll. *cautel.* 21. quia nec pater potest uxori suæ omnem legare usumfr. & liberis proprietatem. *Nov.* 18. *c.* 3. verum hæc cautela valet jure & recepta est per mores, ut pater det filio electionem, utrum nudam velit habere legitimam, an usumfructum totius suæ pertionis oneratæ per omnia fideicommisso, adeo ut nec liberam sit habiturus legitimam: quia non testator, sed filius electione sua gravat; quilibet autem post obitum ut juri suo renunciare *l. pen. C. de pactis.* ita & sibi necessitatem restituendi imponere potest, juxta præceptum *l. Si quando.* 35. §. *Et generaliter.* 2. *C. de Inoffi. testam.* Ratio dubit. I. Adimere pater potest, ergò gravare quod est minus. *l. non debet.* 21. D. *de Regul. Iur.* Nicol. à Middelb. *loc. leg. à m nor. n.* 2. Potest autem adimere I. Per exheredationem ob justam causam ingratitudinis. *Nov.* 115. *c.* 3. 2. Per exheredationem bona mente factam, non notæ causâ, cum fidei

fideicommissam liberis dat hereditatem. *l. In fideicommissi.* 3. §. *Cum Pollidius.* 3. *D. de usur. l. multi.* 18. *D. de lib. & posthum. hered. Inst.* 3. Per pactum, cum liberi renunciant jurato hereditati. *c. Quamvis.* 2. *de pact. in* 6. II. Lex hæc, quæ parentibus adimit potestatem gravandi Legitimam, caret æquitate, ac propterea non admittenda *l. placuit.* 8. *C. de Iudic.* Caret æquitate. 1. quia liber non est stilus & licitum non est arbitrium ultimum, quo majus nihil hominibus dari potest. *l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles.* 2. Negat Domino rerum suarum liberam dispositionem, quod contra naturam est. *arg. l. In re mandata.* 21. *C. mandat.* 3. In causa est hæc ipsa lex, quod liberi non ita sint obsequiosi futuri parentibus. Præstat verò, ut parentibus jus salvum in omnibus sit, ac parentes possint coercere liberos. Satius est, ut iis tribuatur plena ac liberrima facultas disponendi de bonis, quæ suis laboribus acquisiverunt, quam ut liberi, qui vitam, educationem ac omnia sua parentibus debent, contra voluntatẽ parentum armentur. Maximè cum non possit ullo modo prę sumi, parentes sine causa oneraturos suam posteritatem. *l.* 7. *D. de bon. damn. l. Nam et si* 15. *D. de inoff.* & quis affectus vincit paternum. *l. fin. C. de Curator. furios.*? Ea lex optimè liberis consulit, quæ eos tuetur, ne vel novercalia odia, vel vitricorum fraudes iis noceant: non vero ea, quæ simpliciter parentum voluntates refrænat. Præstat coarctari jura liberorum in parentes *arg. l. fin.* §. *Illud.* 5. *vers. Melius. C. de bon. quæ lib.* II Cautela, quæ est addita de electione liberis danda, non procedit: quia per eam sit fraus legi, eaque tacite rejicitur per *d. l. Quoniam* 32. Oderunt leges circuitum omnem, ut quod recto non possit, obliquo obtineatur tramite Facit huc *l. Non est dubium.* 5. *de legib. in princip. l. contra* 39. *& seq. D. eod. l. si quis patremfam.* 3. §. *pen. in fin. D. ad sc. macedon. l. Ex facto.* 43. §. *fin. vers. Qui in fraudem. D. de vulgar. & pupill. subst. l. Hoc modo.* 64. §. 1. *in fin. D. de condit. & demonstrat.*

18. Le-

voet Contra Lentus. ad tit. l. ff. n. 44.

18. Legitima non bonorum, sed hereditatis est pars: datur enim titulo institutionis tantum. *Nov.* 107. *c.* 1. *d. Nov.* 115. *c.* 3. Vide Cyn. Bald. Dec. *in l. heres instituta.* 3. *C. de impub. & aliis substit.* Fachin. 4. *Controv.* 65. & 12. *c.* 4. Ratio dubitandi. I. Legitima est certa res: ergò institutus in eam non habetur pro vero herede, sed legatario. *l. Quotiens.* 13. *C. de hered. Inst.* II. Expresse nominatur pars bonorum. *l. Cum queritur.* 6. *C. de Inoffic. testam.* III. Non aliter debetur, quam deducto ære alieno *l. Papinianus.* 8. §. *Quarta.* 9. *D. eod.* Hereditas autem non debetur subductis debitis, sed debita quoque complectitur. *l. Nihil.* 24. *l. hereditatem.* 119. *D. de Verbor. signific.* Bona autem illa dicuntur, quæ supersunt deducto alieni æris onere *l. subsignatum.* 39. §. *Bona.* 1. *D. de Verbor. signific.* Nec legitimarius ullum onus sentire potest. *d. l. Quoniam.* 32. IV. Legitimarius non habet jus accescendi, si ei sint coheredes: quia ejus portio est limitata. *arg. l. In agris.* 16. *D. de acquir. rer. domin.* Ergò nec partem hereditatis, sed bona tantum habet. Vide Cardin. Tusch. *tom.* 5. *practicar. conclus. lit.* L. 181. *num.* 30. *& seq.* Berlich. *part* 3. *Conclus.* 11. *n.* 3. Gail. 2. *Observ.* 120. *n.* 2. Menoch. *de adipisc. remed.* 4. *n.* 162. Mantuam. *de conject. ult. volunt. lib.* 7. *c.* 8. *n.* 5.

Zutphen sub tit. legitimæ. n. 3.

19. Insuper concludo, filium non posse repudiare hereditatem, reservatâ sibi legitimâ. Siquidem enim pars hereditatis sit legitima, non potest pro parte ea agnosci, ex parte ea rejici *l.* 1. *& seqq. D. & acq. vel omitt. heredit.* Hereditatis ipsum jus est individuum. Vide Iason. Sichard. *in l. heres.* 3. *C. de Impub.* Ratio dubitandi. I. Legitima est debitum *l. scimus.* 36. §. *Illud.* 2. *C. de inoffic. Nov.* 1. *in præfat.* §. 2. *Auth. Hoc amplius. C. de fideicommiss.* adeoque æs alienum, ad quod pater naturâ liberis est obligatus; Filius autem Creditor potest petere suum debitum & omittere hereditatem. *l. Vt debitum.* 5. *C. de hereditar. actionib.* II. Legitima habetur sine onere, ergo rejici potest hereditas: quia

quia ea ut plurimùm onus habet. *l. hereditatis*, 119. *D. de Verbor. signif.* Estque legitima inventa in commodum liberorum *Nov.* 18. *c.* 1. Non ergò debet in odium eorum retorqueri. *l. Quod favore.* 6. *C. de legib.* III. Idem confirmatur per textum *in l. si libertus patrono* 41. *versic. Quid. ergò. D. de bon. libertor.* junct. *l.* 11. *& seqq. D. de legib.*

20. Legitimarius, si aliquæ res in diminutionem legitimæ vel pro ea ei sint relictæ, non cogitur iis rebus esse contentus, sed potest mitti pro sua portione in possessionem hereditatis ex beneficio *Legis Tertiæ C. de Edict. Divi Hadrian. tollendo*: Quia id heredibus scriptis competit, & legitimarius verè est heres, ut supra ostensum. Potest deindè agitare judicium familiæ erciscundæ. *l.* 1. *& l. Per familiæ.* 2. *pr. D. Famil. Ercisc.* Nec sibi suam portionem ex bonis sibi relictis, sed ex corpore & substantia totius patrimonii, pro ut æquum videbitur judici, adjudicari patietur. *l. scimus.* 36. *pr. in fin. C. de Inoffic.* Nullum enim hæc res recipit onus *d. l. Quoniam.* Vide Michael. Graff. *d.* §. *Legitima. quæst.* 15. *n.* 6. Ratio dubitandi. I. Agit tantum ad supplementum ejus, quod datum sive testamento relictum est, ex *l. Omnimodo.* 30. *d. l. scimus.* 36. *pr. verb. repletion. C. de Inoff. test.* Ergò, quod habet, retinere cogitur, & ad reliqua agere. II. Est loco legatarii, ergò ab heredibus petet: non ipse erisc. famil. judicio aget, vel ex beneficio *d. l.* 3. *in possessionem. mittetur*: Portio enim ejus licet ex titulo institutionis debeatur, est tamen ita limitata, ut non possit plenè hereditatis pars dici. Vide rationes dubitandi *in Th.* 18. *h.*

21. Actio ad supplementum, si quis agat condictione ex *l. omnimodò* 30. *l. Scimus.* 36. *pr. C. de Inoff. testam.* extinguitur demum triginta annis: quia est personalis, quæ præscriptione longissimi temporis tollitur. *l. sicut.* 3. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* ut & actio familiæ erciscundæ, vel petitio hereditatis. *l. Vnus.* 3. *C. de In quib. caus. cess. long. temp. præsc. l.* 1. §. 1.

nemo

nemo audeat. C. de Annal. præscript. l. Hereditatis. 7. C. de petit heredit. Ratio dubitandi. I. Actio ad supplementum quinquennio exspirat: quia querela inofficiosi, in cujus locum hæc actio est surrogata, ultra quinquennium non extenditur. *l. si autem. 9. D. l. si quis filium. 34. in fin. C. de inoff. testam.* Surrogatum enim sequitur jus sui surrogati. *arg. l. si. enim 10. §. Qui injurarum. 2. D. si quis caution. jud. sist. caus. inst.* ubi Bartol. II. Ea quæ contra naturam sunt, nullo jure civili, quale est præscriptio, tolli possunt. *§. fin. Inst. de legit. agnator. tutel. §. pen. Inst. de jur. nat. gent. & civil.*

22. Legitima in fratribus quin statuto tolli possit, nemini dubium esse debet: cum ex mera juris civilis dispositione, quæ contrario jure corrumpi potest detur. *§. pen. Inst. de jur. natur. gent. & civil.* Quinimò, si & ea quæ liberis constituta est, in totum tollatur, cum liberi habent, undè se sustentare commodè possint, quia locupletes non sunt necessariò à parentibus alendi. *l. si 41. 5. §. sed si. 7. D. de agnoscendo & alend. lib.* nihil directo contra naturam fieri puto: nihil enim tam naturæ est conveniens, quam ut quisque de suis bonis liberè possit disponere, ac in parentibus testamenti factio inter liberos, nulla necessitatis regula constringatur; cum, ut liberi melius in officio contineantur, iique parentes magis revereantur: tum, ne parentes etiam post obitum in jus à liberis inofficiose protracti ambulare cogantur, ut causam sui arbitrii dicant. In legitima, quæ parentibus debetur, difficilior sum, quoad bona, quæ à parentibus profecta sunt, Quæ enim invidia est, ut bona revertantur ad eos, à quibus profecta, quorumque laboribus ac parsimonia conquisita sunt. *§. 1. Inst. per quas person. cuique acquirat.* Nec afflictio afflictioni est addenda. *arg. l. Divus. 14. D. de offic. præsid.* Id verò fit, cum non tantum ob liberorum obitum summo sunt in luctu, sed & facultates suas amittunt. Vide de potestate tollendi legi-

legitimam per statutum, Albert. Brun. *de statut. artic.* 1. *num.* 15. *& seqq.* Alciat. 1. *præsumt.* 8. *n.* 3. *& seq.* Ratio dubitandi. I. Legitima à natura est. *Nov.* 1. *in præfat.* §. 2. Iura naturæ mutari & tolli nequeunt. *l. Iura.* 8. D. *de Reg. Iur.* Legitima est ex pietate. *l. Nam etsi.* 15. *C. de inoff. testam.* Contra pietatem autem nihil fieri potest. *l.* 15. *d.c.Inst.* II. Legitima debitum dicitur in *Anth. hoc amplius. C. de fideicommiss.* & passim. Imo hereditas est jus quæsitum liberis, qui sunt quasi domini rerum paternarum *l. Nam etsi.* 15. *D. de inoff.* §. *sui.* 2. *Inst. de hered. qual. & diff.* Debitum vero non potest adimi, ut nec jus quæsitum. III. Cedit in locum alimentorum. Regn. Sixtin. *Cons. marp.* 2. *num.* 18. *volum.* 3. Alimenta verò nullo jure adimi possunt *l.* 1. §. *Ius naturale.* 3. *D. de just. & jur. l. si quis à liberis.* 5. §. *Parens.* 16. *D. de agnoscend. & alend. lib.* IV. Vox salvatoris est: Filius, ergo heres. V. Huc facit *l. Hac Edictali.* 6. *C. de secund. nupt.* VI. Præstat distinguere, utrum tollatur legitima ex publico jure eoque singulari, uti si de familia conservanda agatur E. G. ut masculis extantibus fæmina arceatur omni hereditate Num. 27. v. 8. an ex privato. Vide de hac re latè differentem Gail. 2. *observat.* 122.

23. Non est iniquum jus, quo liberis Rei criminis læsæ majestatis adimitur non tantum hereditas in genere, sed & legitima, & quo filii non habent legitimam in bonis matris, quæ, postquam pater reus est factus perduellionis, moritur *l. Quisquis.* 5. *C. ad l. I. majest.* Major enim boni publici quam privati ratio habenda. Nihil enim tam conveniens, quam ut in atrocissimo crimine atrocissimæ pœnæ statuatur exemplum: ut charitas liberorum reddat patriæ amantiorem patrem: ut omnis metus, quoad ejus fieri possit, de pœna quæ parenti illata est, ulciscenda tollatur & ad delinquendum media adimantur. Ratio dub. I. Iniquum est, ut fiscus ex aliena calamitate lucrum capiat *l.* 1. *C. de naufrag.* ut priventur suo debito naturali liberi, iisque

infligatur pæna, qui nihil commiserunt. *l. Sancimus.* 22. *C. l. Si pæna.* 20. D. *de pæn.* ut matri adimatur libera facultas testandi & piis liberis quid relinquendi. *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.*

Ex tit. Cod. de Inoff. donat.

24. Per Querelam inofficiosæ donationis regularite non in totum donatio, sed usque in legitimam tantun rescinditur. *l.* 1. 2. *l. si Totas.* 5. *& seqq.* C. *h.* Vide DD ad *h. t.* Christin. *decis.* 171. *volum.* 2. Ratio dubitandi. I. Tantum in quartam fit rescissio *dd. legib.* nor ergo usque in totam legitimam. Nec augmentum quar tæ, de quo in *Nov.* 18. *c.* 1. ad Donationes pertinet sed ad testamenta, uti apparet 1. Ex *præfat.* 2. Ex *c* 1. II. In totum sunt rescindendæ donationes. 1. ol textum *in l. si unquam.* 8. C. *de revocand. donat.* 2. quia querela inofficiosi omnem institutionem evacuat. *Nov* 115. *c.* 3. & hæc querela illi est similis effectu. *l. fin* C. *h.*

25. Si pater dilapidare inceperit ea, quæ post dispersum & exhaustum per minias donationes patrimonium sibi servaverat tanquam sufficientia ad legitiman liberorum, non ambigo, quin donatarii pro ratâ con veniri possint à liberis suo jure defraudatis. Quis tan iniquus erit judex aut arbiter, qui præposuerit libe ris piis extraneos à patre sine causa præelectos? Faci huc 1. Valida ob dilapidationem conjectura fraudis ii donatione priori, ex communi hac regula: ex præteritis ad præsentia, ex præsentibus ad præterita est præ sumtio. 2. Textus *in l. cum avus.* 102. D. *de condit. & demonst. l. Cum acutissimi.* 30. C. *de fideicomm. c. fin. caus.* 17 *quest.* 4. Ratio dubitandi. I. Suprà est dictum, quod patri libere disponendi in testamento facultas non debeat denegari, *Th.* 22. Si hoc sit verum, quis accusabit patrem, quod maluerit dilapidare, aliis donare & adimere liberis bona? maxime cum semper præ

sumatur habere justam causam: Parentes enim naturaliter amant suos liberos: & secundum naturam fit conjectura sive præsumtio. II. Nihil potest revocari ex donationibus jure perfectis *l. Si donationem.* 5. *C. de Revocand. donat.* Donationes verò, quandoquidem pater sibi, quantum satis erat, servaverat, non fuerunt inofficiosæ vel jure imperfectæ. Nec id quod postea factum est, debet nocere donatariis *arg. l. In ambiguis.* 85. §. 1. *D. de Reg. jur.*

26. Inofficiosam donationem non potest revocare parens, sed tantum rescindunt eam usque ad legatimam liberi *t. t. C. h.* Nec enim potest quis contra proprium factum venire, maximè ex propria fraude. Ratio dubirandi. I. Quia *in l. si nunquam.* 8. *C. de revocand. donat.* parentibus nominatim datur potestas revocandi. II. Quia, quod pater non potest in suis bonis, id multo minus liberi in patris bonis. *arg. l. Is, qui* 177. *D. de regul. jur.*

EXERCITIUM XXV.

Resp. JOANNE BOVRICIO, Leovardiâ Frisio.

Ex tit. C. & Digestor. de petitione hereditatis.

THESIS PRIMA.

HEreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit. *l. Nihil est aliud.* 24. *D. de Verbor. significat. l. Hereditas.* 62. *D. de Regul. Iur.* Verbum, *successio*, variè, prout subjectæ materiæ ratio suadet, accipitur. Interim in hac, de qua agendum, actione, est explicanda præcedens definitio, quod *Hereditas* sit res in jure consistens, ac repræsentans in omnibus activa & passiva jura defuncti. *arg. §.*

pen. Inst. de reb. corpor. & incorp. Qui enim hereditatem petit, petit universum hoc, quo defunctus morte sua cessit, quodque in alium per successionem devolvitur. Ratio dubitandi. I. Rectius, *successio*, dicitur, 1. Titulus sive causa acquirendi. Gœdd. *in d. Nihil.* 24. *n.* 10. 2. Jus sive res succedens: cum hereditas repræsentet personam defuncti. *l. Hereditas.* 24. *D. de acq. rer. domin. l. Non minus.* 31. *§. fin. D. de hered. Instituend.* Bartol. Jas. Castrens. *in rubr. D. de acq. vel omitt. hered.* 3. Actus succedendi, sive agnitio hereditatis, quæ fit per aditionem: qui enim succedit, agnoscit, & adit hereditatem. *l. si quis negotia.* 5. *§. Heres.* 2. D. *de Oblig. & act. l. Omnium* 19. *vers. cum pro herede. C. de testament.* Ita Spigelium, Apellum sentire testatur Gœdd. *in d. l.* 24. *n.* 5. *inf. &* 6. II. Non transfertur in heredem omne jus defuncti: legatæ enim res rectâ viâ transeunt in legatarium & nunquam heredis fuerunt, cum tamen in defuncti patrimonio fuisse eas negari non possit *l. legatum.* 80. *D. de legat.* 2. *l. A Titio.* 14. *in fin. D. de furtis.* Ita & possessio non transit, nisi sit apprehensa. *l. Cum heredes.* 23. *pr. D. de acq. vel amitt. possess.* Vide *de definit. heredit.* Donell. 2. *Comment.* 9. Duaren. *c.* 4. D. *de acq. vel omitt. hered. &* *c.* 4. D. *si quis omiss. caus. test.*

2. Hereditatis petitio est actio in rem suâ naturâ, *l. sed & si lege.* 25. *§. Petitio.* 18. *D. h.* Id indicat 1. Verbum, *petitio. l. Actio.* 28. *D. de Obligat. & action.* 2. Series horum titulorum. Agitur enim hîc de actionibus in rem. 3. Forma agendi: nam convenitur tantum possessor. *l Licet.* 10. *§.* 1. *& ll. seqq. D. h.* Omnis in rem actio tantum contra possessorem intentatur. §. 1 *Inst. de action. l. Qui petitoris.* 36. *D. de Rei vindicat* Bartol. *in d. l. sed et si* 25. *§ petitio. ibidemque* Jason. Est & bonæ fidei hæc actio. *l. fin. C. h.* Ratio dubitandi I. Personales habet præstationes: ergò mixta est dicenda. *l. Hereditatis.* 7. *C. h. ubi Bald.* II. Non potest hæc actio dici bonæ fidei; quia in hac utrinque non

pot-

poteſt agi, nec utrinque quid eſt præſtandum, uti requiritur ſi actio nominanda ſit bonæ fidei.

3. Datur hæc actio heredi ex teſtamento vel ab inteſtato: datur etiam ex parte ſcripto; *l.* 1. 2. *D.h.t.t.D. pars hered. pet.* ſcripto autem ex re certa non aliter, quam ſi & alii omnes coheredes ad res certas ſint inſtituti vel alii nolint eſſe heredes. *l. Quoties.* 13. *C. de ſi hered. inſtit. junct. l. Ex facto.* 35. *per tot. D.eod.* Ratio dubitandi. I. Non poteſt dari inſtituto ex parte hereditatis, quia hereditas eſt quid individuum, quod ſectionem non admittit: cum ſit jus, vel res incorporalis in jure conſiſtens. Vide Hottomann. *Illuſtr. quæſt.* 21. II. Qui inſtitutus eſt ex certa re, habetur pro herede ſimpliciter inſtituto, quia mentio rei rejicitur. *l.* 1. §. 4. *D. de hered. Inſt.* & ideò omni caſu ei dabitur hæc actio, & ſine ulla diſtinctione.

4. Hæc actio intentanda eſt contra eum, qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet. *l. licet.* 10. §. 1. *in fin. L. ſeqq.* D. *h.* An detur contra emtorem hereditatis, ambigitur: verè ac propriè eam non dari, eſt magis hujus actionis indoli conveniens, cum nec pro poſſeſſore, nec pro herede poſſideat. Cæterum, cum hereditas, ut univerſitas, eſt emta, & æquitas aliqua id fieri flagitat, non dubito, quin utiliter contra emtorem moveri poſſit *arg. l. Nec ullam.* 13. §. *Quod ſi quis.* 4. D. *l. ſi poſt motam.* 2. C. *h.* Vide Duaren. *c.* 10. D. *de inoffi.* Cum res omnes hereditariæ ſunt venditæ, neceſſariò eſt inſtituenda rei vindicatio, quia tunc magis rerum genera, quam univerſitas, vendita vel emta ſunt: quò facit textus in *l.* 1. § 2. *D. de Rei vindicat.* nec locum habere poteſt petitio hereditatis. Cum verò dubitatur, utrum petitio inſtitui poſſit, ſuaſerim, ut eodem libello cumulet actor utranque actionem *arg. d. l. Si poſt.* 2. Caſtrenſ. Salic. & *arg. l.* 1. §. 4. D. *Quod legator.* Ratio dubitandi. I. Hæc actio datur quoque contra eum, qui initio non poſſidet *l. Item videndum*

 18. §.

18. §. *si quis, cum.* 1. D. *h.* qui autem initio non possidet, non est pro possidente reputandus. *l. ut fundus.* 18. D. *comm. div. l. Non potest.* 23. D. *de judic.* Non ergò competit necessariò contra pro herede vel possess. possidentem. II. Nunquam potest emtor conveniri petitione hered. quia nec pro herede nec pro possessore, sed singulari titulo possidet. III. Semper potest petitio contra emtorem exerceri, quia hereditatem possidet: actiones enim in rem dantur contra possessores rerum *l. Qui petitorio*, 36. D. *de Rei vindic.* Nec distinguendum est, ex qua causa res teneantur. *l. officium* 9. *Et* D. *eod.* IV. Non potest fieri cumulatio *Rei vindic. & petit. heredit.* quia pugna est inter universales & singulares res: judicia vero contraria non possunt cumulari *l.* 1. C. *de furt.* vel quia absolutoria sententia in una parit exceptionem rei judicatæ in alia, per textum *in l. si quis cum totum.* 7. §. *penult.* D. *de Except. rei judic.* vel quia cum rei persecutoriæ concurrunt ejusdem rei nomine plures, una tantum experiri licet. *l. Nemo.* 43. §. 1. D. *de regul. Iur.* Vide D. Bus. *in d. l. nec ullam* Vaud. 2. *quæst.* Bart. *in d. l. si. post.* 2.

5. Libellus non vitiatur in hac actione, licet actor non expresserit, utrum ex testamento, an ab intestato petat: sufficit enim allegari ab actore se heredem esse: & causa, ex qua hereditatem suam esse contendit magis ad probationem juris pertinet, quam ad jus actionis. Cæterum, si desideret, quando quidem sua interest, Reus, ut Actor explicet utrum ex testamento an ab intestato heredem se esse asserat, condemnandus est eo nomine. *l. si sine interrog.* 2. §. *Illud.* 6. D. *de interr. in jur fac.* Vide Bart. *in l. veluti.* 3. D. *h.* Schneid. *in* §. *action petit. hered. n.* 12. 13. *de act.* Ratio dub. I. Nimis generalis hic libellus est; nihil enim sine causa petendum. nihil petit qui sine causa petit, ut tacite indicatur *l.* 1. 2. 3 D. *h.* II. Non tenetur ad instantiam partis respondere actor; cum omnes interrogationes sint sublatæ *l.* 1. § 1. D. *de interrogat. in jur. faciend.*

6. Qui petit hereditatem, etiam potest obtinere provi

provisionaliter ut fiat inventarium, modo aliquam suæ intentionis justam causam demonstraverit. Semper enim danda opera est, ne fraudibus sit locus. *arg. l. In fundo. 38. verbis : neque malitiis est indulgendum D. de Rei vindicat. l. In bonæ fidei. 41. D. de judic.* & concedi oportet actori, quod reo non nocet & actori prodesse potest. *l. In summa. 2. §. Idem labeo. 9. D. de aqua & aq. pluv. arcend.* Hinc tam variæ cautiones solent proponi *t. t. D. ut legat. vel fideicom. servand. nom. caveat.* Sequestrationis, quæ alias illicitæ, admittuntur. *l. Imperatores. 21 §. fin. D. de appellat.* Hinc inhibetur alienatio rei in litis principio. *l. Divus. 5. D. h.* Vide Plateam *in l. Defensionis. C. de jure fisc.* Ratio dubit. I. *Ex d. l. Defensionis. 7.* II. Est contra rationem, ut initium fiat ab executione *l. 1. C. de Execution. rei judicat.* III. Potest actori Exceptio præjudicii opponi. *l. Fundi. 18. D. de Except.*

7. Iudicio, quo hereditas petitur, pendente, possunt agere creditores hereditarii, nec non legatarii, ut quod sibi debetur, solvatur. *l. fin. princ. & §. 1. C. h.* sic tamen, ut legatarii (non verò creditores, quia ipsis omni casu est debitum persolvendum) satisdare cogantur de legato restituendo cum usuris *d. l. fin. princip.* Ratio dubitandi, I. Non debent legatarii magis onerari, quam Creditores: quia & legatariis debent semper solvi legata. Nec enim onerandi sunt cautione, qui suum accipiunt. Vnde nec *in l. Si post litem. 13. D. de Except.* ulla est distinctio inter creditores & legatarios. II. Non potest ulla actio proponi pendente hac universali actione propter præjudicium, quod in ea est. *arg. l. fundi. 18. D. de Except.* debetq; prius constare, quis sit heres, qui obligatus est, quam incertus sui juris quid petat. Habet & heres justam causam ignorantiæ an debeatur quod petitur, & consequenter habet justam causam declinandi solutionem. *l. Qui in alterius. 42. l. Non potest. 99. D. de Reg. Iur.*

8. Qui agit, ut heres declaretur, & adversarius

ad hereditatem reſtituendam condemnetur, nec ullam facit mentionem fructuum ac ſimilium cauſarum, etiam obtinebit fructus licet judex tantum condemnaverit ad reſtituendum nihilq; dixerit de fructibus: verbum enim reſtituendi plenius accipitur. *l. Plus eſt in reſtitut.* 12. *l. Reſtituere.* 35. *l. fin. in fin. D. de verbor. ſignific. l. Qui reſtituere.* 68. *D. de Rei vindicat.* Ratio dubitandi. Non licet de fructibus & litium expenſis agere, aut judicare, niſi nominatim de iis fuerit actum. *l. Terminato.* 3. *C. de fructib. & lit. expenſ. l. Si depoſita.* 4. *C. Depoſit.* Ergò non veniunt nomine reſtituendi.

9. Fructus varie diſtinguuntur. I. Sunt alii ex rebus, alii ex rerum occaſione. Ex rebus, qui verè ſunt fructus & naſcuntur immediate ex fundis, &c. Hi ſunt vel naturales, vel induſtriales. *l. Fructus.* 45. *D. de uſur. l. Bonæ fidei.* 48. *pr. D. de acquir. rer. domin.* Naturales, quos natura producit non accedente hominum facto, niſi ad curam & perceptionem: Ut ſunt poma ex arboribus antè plantatis, fœnum, pecudum fœtus, lac, pilus, lana. *l. In pecudum.* 28. *D. de uſur.* Induſtriales, qui non eſſent, ſi induſtria non acceſſiſſet: ut frumentum, &c. Ex occaſione rerum, quos res ipſæ directò non producunt, ſed qui habentur ex rerum uſu ac per juris interpretationem magiſque ſunt loco fructuum quam ipſi fructus. *l. Mercedes.* 29. *D. h.* Hi ſunt vel naturales vel induſtriales. Ita Mercedes fundorum, ædium, Operæ ſervorum, de quibus *in l. Cum ſervus.* 39. 39. §. 1. *D. de legat.* 1. Uſuræ poſt moram in bonæ fidei judiciis, ſunt naturales. Verum Naula, de quibus *in d. l. Cum ſervus.* 39. §. 1. Uſuræ ex ſtipulatione ſunt induſtriales. Ratio dubitandi. I. Omnes fructus ſunt naturales. 1. Quia omnes ſunt à natura. *d. l. In pecud.* 28. §. 1. *D. de uſur.* 2. Quia omnes à Deo. Is enim dat incrementum 1. *Ad Corinth.* 3. *v.* 6. *c. Cum non ſit.* 33. *x. de Decim.* Vide Coraſ. 5. *Miſcellan.* 9. *n.* 5. Petr. Grangian *paradox.* 21. § 1.

10. II. Diſtinguuntur fructus in conſumtos, perceptos

ceptos & extantos. Consumti sunt, qui non sunt penes possessorem, sive ipse possessor eos consumserit, sive alienaverit. De hisce agitur *in §. si quis à non domino. 35. Inst. de Rer. divis. l. Quæsitum. 40. in fin. D. de acquir. rer. domin.* Percepti, qui à solo sive corpore, ex quo proveniunt, sunt separati, sed nondum consumti. hi vel in certum locum, uti horreum, sunt convecti, vel nondum collecti sed jacent humi. *l. si ejus. 78. D. de Rei vindicat. l. si fructuarius. 13. D. Quib. mod. ususf. amitt. l. Qui scit. 25. §. 1. D. de usur.* Extantes, qui nondum sunt à corpore, ex quo producuntur, separati, sed eidem coherent. Hi appellantur Pendentes. *l. Fructus pendentes. 44. D. de Rei vindicat Arboribus. 12. §. Iulianus. 5. D. de Vsuf.* Stantes. *l. Fructus. 7. §. Interdum. 15. D. solut. matrimon. l. si apes. 26. D. de furt.* Ratio dubitandi. I. Nulla hîc mentio percipiendorum, qui percipi quidem potuissent, sed non percepti sunt, de quibus *in l. si navis. 62. D. de Rei vindicat. l. Cum servus. 39. §. 1. D. de legat. 1. l. Domum 5. C. de Rei vidicat.* II. Extantes non sunt pendentes tantum sed & percepti *l. si pignore. 22. §. si prædo. 2. D. de pignor. act. l. mala fide. 3. C. de Condict. ex lege. l. Certum. 22. C. de Rei vidicat.* III. Percepti særè non accipiuntur pro perceptis in specie sed & pro consumtis. *l. Sed & loci. 4. §. Post litem. 2. D. Finium regund. l. sequitur. 4. §. lana. 19. D. de usurp. & usucap.*

11. Hac in materia est necessario distinguendum inter bonæ fidei possessorem, eumque qui mala fide hereditatem tenet. Bonam fidem habet, qui ignorat hereditatem ad alium pertinere. *l. Bonæ fidei. 102. D. de Verbor. significat. l. Quæcunque. 13. §. fin. D. de public. in rem act.* Malam, qui scit esse alterius *l. si ab eo. 12. l. Non solum. 33. §. 1. D. de usurp. & usucap. l. Qui fundum. 7. §. Qui sciens. 5. D. pro emtor.* Vide DD. & præcipuè Gœdd. *in d. l. Bonæ fidei. 109. D. de Verbor. signif.* Obrecht. *part. 1. de possess. thes. 513. & seqq.* In dubio verò magis pro bona fide est præsumtio, quam mala. *l.*

Quotiens. 18. §. 1. *l. Verius*. 21. *D. de probation. l. pen. C. de Eviction. c. præsumitur.* 47. *de Reg. Iur. in* 6. Covarruv. *in c. Possessor. part.* 2. §. 8. *n.* 2. *de Reg. Iur. in* 6. Tiraquell. *de præscript.* §. 1. *gloss.* 2. *vers. Bona autem fides.* licet possessor titulum non habeat. Ratio dubitandi. I. Non præsumitur bona fides sed mala; quisque enim, qui non scit esse suum, præsumitur esse in mala fide. *l. fin. C. Vnde vi.* quisque suas res nosse bene præsumitur. *l. Quisquis* 15. *C. de resc. vendit.* & consequenter non excusatur à mala fide, si dicat se nescivisse. Qui titulum non habet legitimum. quia sine causa quid habet, est in dolo. *l. palam.* 2. §. *circa.* 3. D. *de Except. dol. mal.* Vide Fachin. 8. *Controv.* 32.

12. Dubitantem nec semper in bona nec semper in mala fide versari, nec etiam simpliciter medium tenere locum inter scientem & ignorantem arbitror, sed, pro ut ei causa est dubitandi, ita eum vel pro bonæ fidei vel pro malæfidei possessore habendum. Si valdè exigua ac magis ficta quam vera vel justa fuerit ei ratio ambigendi, pro malæ fidei possessore; si magna & gravis ei fuerit causa, pro bonæ fidei possessore censendus est. Ad quam enim partem magis accedit, ejus jus sequi oportet. *arg. l.* 1. §. 1. *verbis. Lata culpa planè dolo comparabitur. D. si mens. fals. mod. dixe. l. si fidejussor.* 29. *pr. verbis: dissoluta enim negligentia prope dolum est.* D. *Mandat. l.* 1. §. *Non aliàs.* 2. *verbis: culpa dolo proxima dolum repræsentat. D. si is, qui testam. lib.* Adde *l. Quod nerva. D. depos. l. Magna.* 226. *D. de Verbor. signif. arg.* §. 22. *Inst. de rer. divis.* In dubio verò, magis in bona fide eum esse putem, cum in dubiis benignior valeat præsumtio. Ratio dubitandi. I. Simpliciter ponendus dubitans medio loco inter scientem & ignorantem: Covarruv. *in c. possessor.* 2. *parte.* 2. *relect.* §. 7. *n.* 3. *de Reg. Iur. in* 6. Vasq. 2. *Illust. quæst.* 77. Adeò ut nec pro possessore bonæ fidei, nec pro Malæ fidei sit condemnandus. II. Indistinctè dicendus est esse in bona fide. *l. fin. C. de condict. indeb. l. fin.* §. 2. *C. de*

furt.

furi. In possessore enim melior ac favorabilior causa ac ratio præsumendi recipitur. *l. favorabiliores.* 125. *D. de Reg. Iur.* III. Semper locandus est in ordine possessorum malæ fidei: quia non habet conscientiam alienæ rei illæsam: *arg. l. Bonæ.* 109. *de Verbor. signif. l. fin. C. Unde vi.* Hinc Incerti, Dubitantes de statu suo, non possunt condere testamentum. *l. Qui in testamento.* 14. *& seq. D. Qui testam. fac. poss.* IV. Præstat hic distinguere inter dubium practicum & speculativum, ut in illo mala, in hoc bona fides esse dicatur. Fachin. 1. *Controvers.* 95. V. Nullo modo est distinguendum inter causas dubitandi: cum nullum detur medium, inter bonum & malum, lucem & tenebras.

13. Non simpliciter est dicendus in mala esse fide, qui in jure erravit. Qui enim ex errore juris possessionem est nactus, non habet conscientiam rei alienæ. *l. sed & si.* 25. *§. scire.* 6. *in fin. D. h. l. Bonæ fidei.* 48. *in fin. pr. D. de acq. rer. dom. junct. l. Pro emtore.* 2. *§. si à pupillo.* 15. *D. pro emtor.* Ratio dubitandi. I. Errans in jure nihil acquirit in usucapionibus vel aliis causis. *l. Nunquam.* 31. *D. de usurp. & usucap. l. Iuris* 4. *l. Iuris error.* 7. D. *de jur. & fact. ignor.* II. Qui contra jus mercatur non habet bonam fidem. *c. Qui contra.* 82. *de Reg. Iur. in* 6. *l.* 7. *in fin. C. de agric. & censit.* III. Cum omnes oporteat scrire leges. *l. Leges.* 9. *C. de legib.* & is, quem oportet scire, pro sciente habeatur *arg. l. Quod te mihi.* 5. *in fin. D. de reb. cred.* sequitur errantem in jure tanquam scientem esse reputandum. IV. Errans in jure non lucratur fructus *l. Iubemus.* 14. *§.* 1. *in fin. C. de sacros. Eccles. c.* 6. *x. de Reb. Eccles. non alien.* Ergo est in mala fide. *arg. §. si quis à non domino.* 35. *Inst. de Rer. div. l. Bonæ. fidei.* 48. *D. de acq. rer. domin.*

14. Bonæ fidei possessor in hereditatis petitione, de qua agimus, non tantum tenetur restituere quatenus ex fructibus perceptis est locupletior factus, verum & ex consumtis. *d. l. sed & si lege.* 25. *§. Consuluit.* 11.

D. l.

D. *l.* 1. *C. h.* Id verò in Rei vindicatione, quoad consumtos est diversum; cum de consumtis non detur actio. *d.* §. 1. *si quis à non domin.* Quoad perceptos idem obtinet in vindicatione, quod in petitione hereditatis. *arg. l. sed & loci.* 4. §. *post litem.* 2. D. *Finium regundor. l. sequitur.* 4. §. *lana.* 19. *D. de usurpat. & usucap.* Ratio dubitandi I. Non distinguit lex in hac materia inter prædictas actiones. §. *Et si in rem.* 2. *Inst. de offic. Iudic.* Nec satis justa ratio distinguendi est, cur magis possessor rei singularis lucraturus sit consumtos, quam possessor hereditatis. In utroque valet hæc ratio; nemo debet locupletari cum alterius jactura. *l.* 14. *D. de condict. indebit.* Verum quidem est, quod, cum fructus sunt consumti, non possit ob eorum species sive corpora restituenda agi, *d.* §. *si quis à non domino.* At non negatur, lucrum esse restituendum. II. Datur compensatio in consumtis, si vindicatione sit actum *l. sumtus.* 48. *l. Emtor.* 65. *D. de Rei vindic.* ergò & iidem debentur. *arg. l.* 1. *D. de compensat.* III. Etiam percepti pleno jure fiunt possessoris. *l. In pecudum.* 28. §. 1. D. *de usur.* Ergo nihil, licet quis locupletior sit factus, eorum nomine restituendum est. Adde textum in *d.* §. *si quis à non domin.* quo absolutè ei, qui percepit addicitur dominium sine ulla mentione restituendi vel quid præstandi.

15. In hac re non distinguo inter naturales & industriales, Propter textum *d. l. Bonæ fidei.* 48. D. *de acq. rer. domin. & in l. In pecudum.* 28. 3. *de usur.* 2. Quia possessor idem juris quod dominus, & plus habet, quam usufructuarius. *l. Qui scit.* 25. §. 1. D. *de usur. l. Bona fides.* 136. D. *de Reg. Iur.* Vide Pinell. *in l.* 2. *C. de rescind. vendit. part.* 2. *c.* 4. *n.* 54. *& sed.* Vult. *discept. Scholast. c fin.* Arum. *Exercit.* 4. *Th.* 19. Ratio Dubitandi. I. Ex *d.* §. *si quis à non domino.* 35. *Inst. de rer. divis. verbis: pro culturâ & curâ.* II. *Fructus.* 45. *D. de usur.* III. Quia fructus naturales sine causa sunt penes posseso-

sessorem & sic dolo ab eo detinentur. *arg. l. 2. §. 3. D. de Except. dol. mal.* Vide Ilicon. Vmmium *disp. 21. de process. Iudic. Thes. 3.* Hænon. 4. *Illust. controv.* 11.

16. Malæ fidei possessor omnes restituit fructus, & quos percepit & quos percipere potuit. *l. fructus. 33. Si navis. 62. §. fin.* D. *de Rei vindicat. l. Sed & si. 25. §. 3. seq. l. Illud* 40. §. 1. *l. Si prossessor.* 52. *l. Cum hereditas.* 56. *D. h.* nec distinguo, utrum titulum habeat, annon *l. ait prætor.* 10. §. *Et fructus.* 20. D. *Quæ in fraud. credit. l.* 1. *C. h.* Vide Cop. *de fruct. lib. 2. tit. 4. c. 2.* Idem in herede malæ fidei possessoris, licet heres sit in bona fide. *l. Litigator. in fin. C. de fructib. & litium expens.* Huc facit, quod heres succedat in vitia rerum defuncti *l. vitia.* 11. *C. de acq. vel retin. poss.* vide Menoch. *recrip. poss. remed.* 15. *n.* 618. Ratio dubitandi. I. In *l. si fundum.* 17. *C. de Rei vindicat.* rescriptum est, malæ fidei possessorem tantum perceptos restituere, ut & *in d. §. si quis non domino.* injungitur eidem, ut restituat non consumtos, nulla mentione facta non perceptorum. Et sane nimis hoc durum esset, ut dominus tantoperè locupletaretur ex possessoris jactura. II. Absurdum est, ut qui justum habet causam eodem modo puniatur, quo is, qui injustam vel nullam habet causam. *arg. d. §. si quis à non domino.* III. Iniquum est, ut heres, qui in bona fide est, puniatur eodem modo quo defunctus in hac causa. Vnde receptum est, ut & in rerum persecutionibus non in ulterius conveniatur heres, quam pervenit; cum, si ob dolum *l. In heredem.* 26. *& seq. D. de dol. mal.* tum, si ob aliam causam agatur. *l. Item si.* 4. §. *fin. & ll. seqq. D. de ation. judic. mutand. caus. fact.* Accedit, quod & textus *in l. Bona fidei* 48. D. *de acq. rer. dom.* & alii textus sint generales, qui indistinctè possessori bonæ fidei sive sint heredes sive alii, fructus addicunt: *l. Bona.* 136. *D. de Reg. Iur.*

17. Difficilis est quæstio, à quo tempore quis fiat malæ fidei possessor: an à lite contestata, an si simpliciter quis cognoverit jus veri domini: an si denunci-

nunciatio ſit facta: magis eſt, ut ſequamur non tantum tempus litis conteſtatæ, ſed & id, quo certò poſſeſſor cognovit, vel ita denunciatio facta eſt, ut dubitare non poſſet, *l. Item veniunt.* 20. §. *Petitam.* 11. *l. ſed & ſi.* 25. §. *Si ante litem.* 7. *D. h. d. l. Bonæ fidei.* 48. *D. de acq. rer. domin. junct. l. Qui bona fide.* 23. §. 1. *l. Quæſitum.* 49. *D. eod.* Ratio dubitandi I. Imò ſpectari oportet tempus evictionis. *l. Qui ſcit.* 25. §. *fin. D. de uſur.* Vide D. Fabr. *diſput. anni. v.* 14. *Theſ.* 8. Gœdd. *in d. l. Bonæ fidei.* 109. *D. de verb. ſignif.* Donell. 4. *Comm.* 24. Vultej. *c. ult. diſceptat.* II. Fit jure novo Codicis mentio litis conteſtatæ. *l. certum.* 22. *C. de Rei vindic.* leges autem Codicis corrigunt leges pandectarum. III. Nimis hoc durum, ut ex bona fide inducatur mala fides ob ſolam domini denunciationem. Durius eſt, ut conſtituatur poſſeſſor in mala fide ob terrii denunciationem: cum domini conditio non poſſit fieri melior ex facto tertii, ſed ex ſuo tantum, ſi ſibi vigilaverit. *arg. l.* 24. *in fin. D. Quæ in fraud. credit. junct. t. t. C. Rei int. al. act.*

I℞ Etſi quidem conſumtorum nomine non poſſit agi contra bonæ fidei poſſeſſorem *d. §. ſi quis à non domino.* 35. & eos dicatur proſſeſſor lucrari. *d. l.* 4. §. *poſt litem.* 2. *D. Finium reg.* tamen, ſi impenſæ ſint factæ, poteſt fieri compenſatio earum cum fructibus etiam ante litem conteſtatam perceptis & conſumtis. *l. Sumtus.* 48. *l. Emtor.* 65. *D. de Rei vindicat.* Iniquum enim eſſet, ut poſſeſſor & fructus, qui deductis omnibus impenſis computari ſolent, *l. Fructus.* 7. *D. ſolut. matrim.* lucraretur, & ſimul à Domino impenſas exigeret. Cum compeſatio fiat ipſe jure, *l. fin. C. de Compenſ.* & tantum requirat utrinque eſſe debitum licet ſit naturale tantum, *l. Etiam.* 6. *D. de Compenſat.* admittetur compenſatio in hac cauſa. Nam ante conſumtionem, cum compenſatio fit, erant debiti: &, quod eorum nomine vindicatione inſtituta non poſſit agi, cauſa eſt, non quod non fuerint antè debiti, ſed

quod

quod non egerit dominus, sed sibi per suam negligentiam nocuerit. Vide D. à Sande 3. *decis. frisic. tit.* 15. *def.* 2. Ratio dubitandi. I. Vti actio per consumtionem perit, ita compensatio: quia ille demum compensat, qui agit, qui petit, *l. amplius.* 15. D. *rem rat. haber.* Non enim agit, qui habet facultatem agendi, sed qui re ipsa exigit. II. Iura non subveniunt negligentibus, sed rerum suam satagentibus, vigilantibus *l. Pupillus.* 24. *in fin.* D. *Quæ in fraud. creditor.* Non ergò domino non agente compensatio fiet. III. Editiones aliæ *Haloandri & Charondæ*, habent in legibus, quibus sententia superior probatur (*videl. l.* 48. *& l.* 65.) pro *ante*, *post* vel *à*.

19. Impensæ à bonæ fidei possessore, quandiu est in possessione, per retentionem servantur. *l. sumtus.* 48. *D. de Rei vindicat.* §. *Ex diverso.* 30. *Inst. de Rer. divis.* Si non sit in possessione, possunt repeti vel condictione sine causa. *l.* 1. *D. de cond. sine causa.* vel negotiorum gestorum, ex æquitate. *arg. l. si pupilli.* 6. §. *sed & si.* 3. D. *de negot. gest.* Bonum enim & æquum est, mihi id reddi meum, quod ad te pervenit, licet tecum non contraxerim. *l. si & me.* 32. *in fin. D. de Rebo credit.* & te non sentire lucrum per meam jacturam *l. Nam hoc.* 14. *D. de cond. Indeb.* In quibus verò impensis admittatur retentio & deductio, non satis expeditum. De necessariis nullum potest esse dubium. *l. planè.* 38. *D. h. l. Domum.* 5. *c. de Rei vindicat.* De utilibus in re singulari sequi oportet textum aureum *in l. In fundo.* 38. *D. de rei vindicat.* & in hereditate textum *in l. Planè.* 38. *& seqq.* D. *h.* Quinimò & hoc amplius est in petit. hereditatis, quod, si possessor quid dilapidaverit, ejus nomine non teneatur possessor. *d. l. sed etsi.* 25. §. *consuluit.* 11. *D. h.* In voluptariis communiter admittitur sublatio, non actio: nisi dominus nolit pati sublationem *l. pro voluptariis.* 9. *D. de Impens. in rem dotal. fact.* Vel nisi Dominus ipse eosdem fecisset sumtus: quod benignius est. Id notandum

inhac materia multa esse dijudicanda per arbitrium judicis ex æquitate, pro circumstantiis personarum, temporum &c. Vide Garf. *de Impens. c.* 1. 2. Ratio dubitandi. I. Si possessor possessionem tradat, nihil potest petere. *d. l. sumtus.* 48. D. *de Rei vindicat. l. si in area.* 33. *in fin.* D. *de cond. indeb. l. Paulus.* 14. D. *de Except. dol. mal.* §. *Ex diverso.* 30. *Inst. de Rer. divis.* II. Allegatur supra textus, ut dicitur aureus, *in d. l.* 38. de R. V. Is habet hoc iniquitatis. 1. quod dominus pauper non teneatur impensas utiles restituere. Paupertas autem domini non debet nocere possessori 2. quod semper minus sit solvendum: sive minus in impensis, sive in meliorationibus & hoc est iniquum. III. Ex malitia nemo potest habere commodum *l.* 1. D. *de dolo malo l. factum* 155. D. *de reg. Iur.* Malè ergò dicitur, possessori non esse imputandam dilapidationem.

20. Malæ fidei possessor cum rem singularem vindicat, non tantum deducere potest necessarios sumtus, sed & exigere *l. Domum.* 5. C. *de Rei vindicat.* utiles verò tollit. *d. l. Domum.* In petitione verò hereditatis etiam deducit necessarios: at in utilibus hæc regula observatur, ne dominus fiat locupletior. *l. plenè.* 38. *D. h.* ubi & deducit, modò res extet. *d. l. plane..* Ratio dubitandi. I. Malæ fidei possessor non deducit necessarios 1. Quia est in culpa, & ex sua culpa actionem habere nequit. *l. Adeo quidem.* 7. §. *Ex diverso.* 12. D. *de acq. rer. domin.* 2. Propter textum *in l.* 1. *de infautib. exposit. l. Si servus.* 27. §. *si olivam.* 25. D. *ad l. aquil.*

Ex tit. C. & D. de Rei vindicat.

Brevis hìc ero, quia præcipua ad hunc tit. pertinentia exposui in tit. de pet. heredit.

21. Rei vindicatio datur ei, qui vel jure gentium vel civili dominium acquisivit. *l. In rem.* 23. D. *h.* §. 1. *Inst. de actionib.* Hinc maritus, cum sit dominus dotis

pr. Inst. Quib. alien. non lic. factus per traditionem. §. *Per traditionem.* 40. *Institut. de rer. divis.* dum constat matrimonium, solus maritus non uxor rem dotalem potest vindicare. *l. Doce.* 9. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Uxor naturale & verum habet dominium *l. In rebus.* 30. *C. de Iur. dot. l. Denique* 3. §. *Ergò.* 5. *in fin. D. de minorib. l. In eum.* 16. *D. Relig. & sumt. funer.* quocirca marito tantum habenti ex juris interpretatione dominium in re vindicanda præferenda est, cum civilis postponatur naturali causæ: vel saltem debet concurrere cum marito. *l. In rem.* 23. II. Textus est expressus *in l. Mater.* 3. *C. h.* quo uxori constante matrimonio vindicationem competere edocetur. III. Absurdum & inconveniens esset, mariti negligentiam impedimento esse, quo minus uxor suam rem recuperaret. Pone interim usucapi rem, quæ in dotem est data secundum *l. si fundum.* 16. *D. de fund. dotal.* ac maritum desinere esse solvendo. Satius est ergò dari actionem per modum anticipationis & ad majorem securitatem, cujus nomine sæpè actio competit, quæ aliàs non posset habere locum. *l. In bonæ fidei.* 41. *D. de Iudic. l.* 29. *C. de Iur. dot.* Vide Cujac. 10. *Obs.* 32.

22. Si res duobus sit vendita vel donata, aut uni vendita alteri donata, is in dominio erit potior, cui res est priori loco tradita animo transferendi dominii, licet alteri antè esset vendita vel donata. *l. Quotiens.* 15. *C. h.* licet & alter precium persolverit, & is, cui tradita est, nihil præstiterit. Non enim conventionibus, sed traditionibus rerum dominia transferuntur. *l. Obligationum.* 3. *D. de Oblig. & act. l. Traditionibus.* 20. *C. de pact.* Idem procedit, si uni non ipsa res, sed instrumenta loco rei fuerint tradita. *l.* 1. *C. de donation.* Ratio dubitandi. I. Erit ergò in venditoris potestate, utrum tradere velit, an non, & rem facere alterius, quam debebat, & fidem suam violare: cum sit grave minis in Contractibus fidem fallere *l.* 1. *D. de pact. l.* 1. *D. de const. pec.* ac præcipuè in emtione, in do-

 natio-

natione, in quibus incumbit venditori & donatori necessitas tradendi. *l. Ex emto.* 11. §. 2. D. *de act. Emt.* §. 2. *Inst. de donat.* II. Qui precium solvit est potior eo, qui non solvit, licet rem sibi traditam habeat, quandoquidem traditio non transfert dominium, nisi precium sit solutum. §. *venditæ.* 41. *Inst. de rer. Divis.* III. Imò per solum contractum transfertur dominium *l. Quisquis.* 28. *C. de donat.* IV. Instrumenta nihil faciunt ad hanc rem. Res enim non geruntur instrumentis, sed in ea rei gestæ tantum testimonium confertur: Verum inductio in vacuam possessionem probat aliquem esse dominum factum. *l. Cum res.* 12. *C. de probat. l. Qui prædium.* 13. *C. de distract. pign.*

23. Rei vindicatio datur contra possessorem rei. Possessorem autem intelligimus in hac causa largius etiam eum, qui alieno nomine in possessione est. *l. Officium.* 9. D. *h.* & consequenter sequestrem. Cæterum qui in possessione est, potest nominare verum possessorem ac is verus possessor est vocandus, secundum formam *l. si quis alterius.* 2. *C. ubi in rem ait exerc. deb.* si contumaciter absit, possessio transferetur in actorem, salvo absenti jure sui dominii. *Id. l. si quis alterius.* 2. Sententia autem contra alieno nomine detinentem, si is litem susceperit, lata, non potest domino præjudicium parere. *arg. l. fin. C. si per vim. t. C. Res int al. act. & judic.* Bartol. *in d. l. si quis alterius.* 2. *n.* 17. Ratio dubitandi. I. Datur hæc actio contra eum, qui restituendi habet facultatem *d. l. Officium.* 9. Non ergo contra eum, qui alieno nomine detinet ex commodato, deposito, cum is domino, cui ex contractu est obligatus, non alii restituere teneatur. II. Adversus Sequestrem non potest institui, per expressum textum in *c. Examinata.* 15. *x. de Iudic. arg. c.* 1. *vers. Prælibatam.* Ubi Gœdd. *x. de sequest. possess.* Coras. 3 *Miscell.* 2. III. Imò præjudicat domino sententia contra detinentem nomine domini lata. 1. Quia debet sibi imputare possessor verus, cur tali possessionem cre-

Treutl. disp. 15. vol. 1. lit. C. alter sentit.

crediderit. *l. Cum mandatu.* 23. *in fin.* D. *de minor.* 2. Id indicat textus *in l. peregre.* 44. §. *fin.* D. *de acquir. possess.* III. Frustrà daretur actio contra eos, qui in possessione sunt, si non haberet effectum : Leges enim non sine effectu quod pronunciant. *l.* 1. §. 1. D. *quod quisque jur. in al. stat.*

24. Conveniri hac actione utiliter potest is, qui dolo malo desiit possidere post litem contestatam, vel ante. *l. sin autem.* 27. §. *sed & is.* 3. D. *h.* Doli nomine lata culpa non veniet, siquidem possessor sit bonæ fidei. Sin autem post litem contestatam per latam culpam amiserit possessionem, cum malæ fidei possessor sit factus. *l. Certum.* 22. *C. h.* tenebitur: ita tamen; ut si desideret, petitor, præstita ei æstimatione, cogatur cedere sua actione. *l. si culpa.* 63. D. *h.* quod in dolo est contrarium. *l. Is, qui dolo.* 69. D. *h.* Nec in litem petitor possit jurare. Ratio dubitandi. I. In omni causa, qua agitur de resarciendo damno, jus doli lata culpa sequitur. Ita expresse dicitur dolus. *l. Magna.* 226. D. *de verb. signif.* dolo comparari. *l.* 1. §. 1. D. *si mens. fals. mod. l.* 5. §. 15. D. *ut in possess. legav. ess. lic. l.* 1. §. 2. D. *si is, qui testam. lib. ess. juss. fuer.* Vide D. Bus. *in l. Qui petitorio.* 36. *D. h.* II. Is, qui dolo desiit possidere, potest & agere, ut sibi actro cedatur. *l. In depositi.* 12. D. *de Re Iudic.* Ergò falsum est responsum, *in d. l. Is, qui.* 69. III. Imò in litem juratur contra eum, qui est in lata culpa. *l.* 2. *C. de in lit. jurand.* de quo latius intra *inf. de in lit. jur.*

25. Possunt hac actione quælibet res peti, modo sint corporales; non hereditas. *l.* 1. *pr.* D. *h.* non tignum alienis ædibus junctum. Ob tignum verò datur actio in duplum ex tigno juncto, non tantum contra mala fide ædificantem, sed & eum, qui bona fide ædificat. *l. In rem.* 23. §. *Tignum.* 6. *D. h.* §. *Cum in suo.* 29. *Inst. de Rer. divis.* Nec habet hæc decisio quicquam iniquitatis, cum bonæ fidei possessor habeat electionem; utrum velit dissolvere ædificium & tignum red-

dere, an duplo: & dominus tignum non possit suum recuperare. Ratio dubitandi. I. Nihil iniquius, quàm ut eodem loco habeatur is, qui bona fide ædificavit, cum eo, qui mala: & is, qui in bona fide est, puniatur. II. Lex 12. tabb. ex qua hæc actio de duplo descendit, & reliquæ leges omnes, quæ de duplo agunt, ad furtivum tignum sunt referendæ, uti indicant textus *in l.* 1. *D. de tign. junct. l. de eo* 63. *D. de donat. inf. vir.* III. Hoc casu tantum persolvendum esse precium docent textus *in l. Qui res.* 98. *§. fin. in fin. de solut & in d. l. In rem.* 23. *§. In omnibus.* 4. *D. h.* Vide Gœdd. *in l. Tigni.* 62. *n.* 8. *D. de Verb. signif.* IV. Potest & vindicari tignum. *d. l. Qui res.* 98. *§. fin. inf. D. de solut. l. fin. D. de Tign. junct.* & ejus nomine ad exhibendum agi *d. l. In rem.* 23. *§. Tignum.* 6. *D. h. t.* Falsum ergo, quod ut dissolvatur ædificium agi nequeat.

26. Licet is, qui se obtulit liti, sit condemnatus, tamen potest conveniri possessor *l. si is.* 7. *D. h.* Idem est, si qui dolo desiit possidere, sit condemnatus. *l. Nec ullam.* 17. *§. pen. D. de petit. hered. l. stichum.* 95. *§. Dolo.* 9. *D. de solut.* Et si is, qui dolo desiit possidere, quid præstiterit ejus rei nomine, quia propter suum dolum dedit, non liberabit possessorem aliud enim est æstimatio aliud ipsa res *arg. §.* 6. *inf. Inst. de legat.* si verò possessor prius restituerit corpus aut litis æstimationem, quia nihil petitoris interest, ea res proderit ei, qui dolum commisit. *d. l. stichum.* 95. *§. Dolo.* 9. Ratio dubitandi. I. Alienatione res, ob quam actione reali contenditur, à possessore facta liberatur emtor, modò possessor restituat quod accepit, sive mala sive bona fide possiderit at vendiderit dolo. *l. sed & si.* 25. *§. Item si rem. in fin. D. de pet. heredit.* II. Improbus est actor, qui id, quod à venditore accepit, rursus ab alio petit in hac causa. *l. si. quis dolo.* 51. *§.* 1. *D. de re judicat.* III. Iniquum omninò est, ut is qui accepit rem bona fide, non possit liberari, si is qui dolo desiit possidere æstimationem litis præstiterit, & is qui

in

in dolo fuit & dolo desiit possidere, liberetur per solutionem, quam fecit verus ac bonæ fidei possessor, Corruit itaque præceptum. *d. §. dolo. 9.*

Ex tit. D. de public. in rem act.

27. Publiciana non datur contra dominum verum. *l. fin.* D. *h.* Obstat æquitas: fortior omninò est veritas quam fictio. Ratio dubitandi. I. Opus est domino exceptione. *l. pen. & fin. D. h.* Ergò actio valet & justa est contra dominum. *arg. pr. Inst. de Except.* Huc facit textus *in l. si à Titio. 72. D. de Rei vindicat. l. Apud Celsum. 4. §. si à Titio. 32. D. de Except. dol. mal.* II. Dubitari potest an Reus sit dominus an tantum possessor: præstat ergò potius hanc actionem intentari, ut ulterius de re quæratur. Varii enim casus sunt, quibus utilis est. Conf. *l. si is, cujus. 21. D. Ex quib. caus. major. l. si culpa. 63. D. de Rei vindicat.* Hinc exceptio dominii non datur, nisi causâ cognita. *l. Mandatum. 57. D. mandat.*

Ex tit. D. si ager vectigal. i. Emphyteut. petat.

28. Dominium omnino utile dari, & ei qui utile habet, dari actionem in rem ex *l. 1. D. h. l. In speciali. 73. §. 1. & ll. seqq.* D. *de Rei vindicat. l. Possessores. 12. inf. C. de fund. patrimon. l. 1. l. Qui agros. 8. l. Locorum. 1. C. de omn. agr. desert.* Vid. Costal. *in. l. 1. D. h.* Coras. 6. *Miscel. 20. n. 2.* Tholosan. *lib. 1. sintagin. Iurid. C. 2.* Gœdd. *in l. Ager. 27. n. 18. D. de Verb. signif.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. 1. §. 1. D. h.* Ubi Emphyteutæ & similes negantur esse domini. Ex *l. si finita. 15. §. si vectigalibus. 26. D. de damn. infest.* II. Hæc dominii distinctio in utile & directum, veteribus JCtis incognita, lege nulla probatur. Vide Duaren. 1. *disp. anniv. 17.* Cujac. 11. *Observat. 35.* Donell. 9. *Comment. 14.* Anton. Fabr. 2. *Conject. c. 11.*

EXERCITIUM XXVI.

Resp. JOANNE ADOLPHO FREITAG, Osnabrugg.

Ex tit. Cod. & D. de usufructu.

THESIS PRIMA.

VSusfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. *l.* 1. D. 1. *pr.* *Inst. h.* Vide Donell. 10. *Comm.* 2. Hotomann. *illust. quæst.* 14. Ratio dubitandi. I. Hæc ipsa definitio non tantum usufructui, sed & aliis causis competit, ergò non satis conveniens: cum suo definito non debeat esse latior. Convenit multis, in quibus & jus utendi fruendi est, ut Conductioni *l. si in lege.* 24. §. *Colonus.* 4. *l. Si merces.* 25. §. 1. D. *locat. conduct.* Fideicommisso. *l. species.* 15. *verbis quarum rerum usufructus. D. de aur. & argent. legat.* Emphyteusi. §. *Adeo.* 3. *Inst. de locat. conduct.* Iuri antichreseos. *l. Si is qui.* 11. §. *Si ἀντίχρησις.* 1. D. *de pignorib. & hypothec.* Commodato. §. *Item is.* 2. *Inst. Quib. mod. re contr. obligat.* Precario. *l.* 1. *D. de precar.* II. Vsusfructus non est jus nec in jure consistit, sed in facto. *l. un. pr. D. Quand. dies legat. usufr. ced.* III. Vsusfructus comitatur proprietatem. *l. Si ita stipulatus.* 126. §. 1. D. *de verbor. obligat.* est jus ipsius fundi proprii *l. Si à reo.* 70. §. *si reo.* 2. *D. de Fidejussor.* imò ipsa rei proprietas. *l. proculus.* 19. *D. h.* pars dominii. *l. In multis.* 4. D. *h.* Non ergò semper & necessariò est in rebus alienis. IV. Semper non manet salva substantia rerum in usufructu: ut apparet ex *t. t. C. de usuf. ear. rer. quæ us. consum.* §. 2. *Inst. h.*

2. Vsusfructus rectè etiam, cum specialiter pro servitute personali accipitur, in verum & quasi distinguitur. Verus consistit in corporibus, quæ usu non pereunt. Quasi in iis, quæ usu consumuntur vel imminuun-

nuuntur. §. *Constituitur.* 2. *Inst. h. l. Sed de pecunia.* 2. §. 1. *in fin. & t. t.* D. *de usuf. ear. rer. q. usu consum.* In genere verò, ex doctrina Interpretum, est vel causalis vel formalis. Causalis est, quem dominus habet ex causa rei suæ: formalis, qui consistit in rebus alienis & à proprietate est distinctus. Hic propriè & vere est servitus personalis. Et hanc divisionem retineri non est inconveniens propter usum in legibus explicandis. Vide *allegata pr. th. sup.* 2. *rat. dubit.* Ratio dubitandi. I. Quasi ususfructus non potest distingui à mutuo, ergò malè servitutis ponitur esse species. In mutuo enim sunt res fungibiles, quarum usus conceditur, ut non idem in specie, sed in genere sive tantundem reddatur. *l. Mutuum.* 2. §. *Mutui datio.* 1. D. *de reb. credit.* II. Causalis ususfructus, ut vocant, nullo modo est ususfructus; quia ususfructus est jus utendi fruendi rebus alienis. *l.* 1. D *h.* Unde divisio in causalem & formalem rejicienda est, tanquam pugnans cum ipsa re. Vide Connan. 4. *Comm.* 3. *n.* 6. Coras. *lib.* 5. *Miscell. c.* 3. Donell. 10. *Comment.* 2. Arum. *Exercit.* 3. *Th.* 16.

3. Legato fructuum vel annuorum fructuum, simpliciter relicto, venit ususfructus. *l. Si quis ita legaverit.* 20. D. *h. l. Cum ita legatum.* 41. D. *de usu & usufr. legat.* Fructui enim usus inest: usui fructui deest: & fructui sine usu esse non potest; usus sine fructu potest. *l. Per servum.* 14. §. 1. D. *de usu & habitat.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Defuncta.* 58. §. 1. *D. h. & ex l. fundi æbutiani.* 38. D. *de us. & usfr. legat.* II. Potest esse fructus sine usu. *d. l. Per servum.* 14. §. *fin. l. huic stipulationi.* 5. §. 2. D. *usufr. quemadm. cav.*

4. Lege constituitur ususfructus patri in bonis adventiis filii. *l. Cum oportet.* 6. *C. de bon. quæ liber. l.* 1. 2. *C. de bon. matern. &* ibi Pinell. verum hunc ipsum possunt prohibere ii, à quibus bona adventitia procedunt. *Authent. Excipitur. C. de bon. quæ. lib. Nov.* 117. *c.* 1. Ita & mater potest vetare, ne ad patrem filiorum suorum ususfructus deveniat. *d. auth. Excipitur. verò. aliquo pa-*

rentum. d. Nov. c. 1. Non verò ſatis apertè videtur definitum, an mater vel alius poſſit in legitima adimere patri uſumfructum: Tutius & æquius eſt, uſumfructum in legitima patri adimi non poſſe. *d. Novell.* 117. *c.* 1. *verſ. poſtquam*: Vide Bart. *in d. auth. n.* 1. Ratio dubitandi. 1. Cum legitima ſit inventa in commodum liberorum ut eorum conditio melior efficiatur, videndum ne hoc caſu noceat. *l. Quod favore.* 6. *C. de legib.* Noceret verò, ſi liberi fructus ejus ſibi non poſſent habere ſalvos. Pro hac re eſt textus *in l. Filius matrem* 25. *C. de inoffic.* III. D. *auth.* loquitur generaliter ſine ulla mentione legitimæ. Vide Accurſ. & Angel. *in d. Nov.* 117. *c.* 1. Graſſ. *recept. ſentent.* §. *legitima. quæſt.* 38. *n.* 18.

5. Si teſtator uſumfructum ſylvæ ſuâ naturâ cæduæ legaverit, poteſt cædere legatarius, licet teſtator nunquam ſoleret eam cædere. Conceſſum enim eſt uſufructuario omnibus ex re, ſuo jure, uti fructibus, qui ex arbitrio viri boni percipi ſecundum rei qualitatem poſſunt. *l Vſufructu.* 7. *pr. l. Item ſi fundi.* 9. *pr. l. arbores* 59. §. 1. *D. h.* quamvis Teſtator eos neglexerit *l. ſi cujus.* 13. §. *Indè eſt quæſitum.* 5. *D. h.* Imò, & ſi uſus fundi tantum ſit relictus, tamen cædere indiſtinctè poteſt uſuarius *l. Divus.* 22. *pr. D. de uſu & habitat.* multo ergò magis uſufructuarius, qui non uteudi tantùm ſed & fruendi jus habet. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Item ſi fundi.* 9. §. *fin. verſic. Nam & Trebatius verbis: ſicut paterfam. cædebat. D. h.* II. In dubio ſequimur morem teſtatoris *arg. l. ſi ſervus.* 50. §. *fin. Verbis: ante omnia ipſius patrisfam. conſuetudo. D. de Legat.* 1. *l. Vel univerſorum.* 12. *in fin. D. de pign. act.* Quiſque enim velle cenſetur id à ſucceſſoribus ſuis fieri quod ipſe facere conſuevit: voluntas verò regit omnia in teſtamento *l. In Conditionibus.* 19. *D. de Cond. & demonſtrat.* & ſola eſt attendenda, *l. ſi quis heredem.* 7. *C. de Inſtitut. & ſubſtitut.* Vide Connan. *lib.* 4. *Comm.* 1. *n.* 4. Donell 10. *Comment.* 8.

6. The-

6. Thesaurus in fundo fructuario inventus, cedet pro parte dimidia proprietario, pro altera inventori: adeò quidem ut usufructuarius ratione ususf. nihil sibi arrogare possit. Undè, si usufructuarius ipse invenerit, non amplius quam dimidiam, uti alius extraneus Inventor, consequetur. *arg. l. Fructus. 7. §. si fundum. 12. in fin. D. solut. matrimon.* Non enim est in fructu. *d. §. 12.* Vide Boër. *dec.* 224. *c.* 9. Berlich. *conclus. pract. part.* 2. *c.* 2. *n.* 59. *& seqq.* Ratio dubitandi. I. Si usufructuarius invenerit, in totum ei cedet, cum Thesaurus sit nullius. Ea enim, quæ nullius sunt, occupata ab usufructuario, non domino, sed ipsi usufructuario cedunt. *l. Vsufructuarius.* 62. *pr. D. h.* II. Usufructuarius, quandiu Jus ususfructus pendet, est loco domini, maximè nomine eorum, quæ ex usufructuariis rebus habentur, cum pars rerum non sint. *arg. l. Item si fundi.* 9. *pr. Verbis: quicquid inde inde percipi potest, ipsius fundi est fructus. l. Arbores.* 59. §. 1. *Verbis: quicquid inde percipitur. D. h.* III. Si lapicidinas instituere possit usufructuarius *l. si, Cujus.* 13. §. *Inde est quæsitum.* 5. *D. h.* cur non cedet ipsi Thesaurus? Major enim est ratio in Thesauro ut eum sibi acquirat, cum non sit pars fundi, sed dominium ejus sit incertum: uti enim cum fundo & per eum non possidet dominus Thesaurum *l. possideri.* 3. §. *Neratius.* 3. *D. de acq. vel amitt. possess.* ita nec in dominio habet.

7. Ad jus usufructuarii pertinet, quod & possit vendere, locare, pignori dare jus suum. *l. Arboribus.* 12. §. *usufructuarius.* 2. *l. Non utitur.* 38. *& seq. D. h.* §. 1. *in fin. Inst. de us. & habitat. l. Fructus.* 72. *D de Reg. Iur.* Utitur enim ipse per alios. *d. l. Arboribus.* 12. §. 2. Adeo quidem ut si idem precium in venditione ususfructus, vel mercedem in locatione offerat dominus, non possit præferri extraneis. Nulla enim certè lege probari potest ea necessitas. Sine lege verò nulli tale onus imponendum est. *arg. Nov.* 18. *c.* 5. Vide Covarruv. *l.* 3. *resoluit. c.* 14. *n.* 6. Ratio dubitandi. I. U-

ſusfructus eſt jus perſonæ *l. ſi quis unas.* 32. D. *h.* ſive ſervitus perſonalis. *l.* 1. D. *de ſervit.* quæ cohæret perſonæ. *l. ſicut in annos.* 3. §. *fin.* D. *Quib. mod. uſuſf. vel uſ. amitt.* Perſonalia non tranſeunt ad alios. *l.* 1. *in fin.* D. *de conſtit. Princip.* Nec ſine perſonis, quibus conſtituta ſunt, ſubſiſtunt. *l. In omnibus.* 68. D. *de Reg. Iur.* Uti enim ſervitutes prædiales non ſunt ſine prædio. §. 3. *Inſt. de ſervitut.* ita nec perſonales ſine perſonis. *d. l. ſicut.* 3. §. *fin.* Unde & ſtatutum eſt nihil agi, ſi extraneo cedatur. §. *Finitur.* 3. *Inſt. h.* aut alias ipſum uſumfructum perire. *l. ſi uſufructus.* 66. D. *Iur. Dot.* Vide Cujac. *in* §. *Finitur.* 3. *Inſt. h.* Covarruv. 1. *Reſoluit.* 8. *n.* 7. II. Debet, cum uſusfructus venditur aut locatur, offerri proprietario, ut is præferatur omnibus extraneis. *arg. l.* 1. *C. de metall. l. fin. C. de Iur. Emphyteut.* Vide Bartol. Angel. *in d. l.* 1. Jaſon. *in d. l. fin. n.* 11. Tiraquell. *lib.* 1. *de retract.* §. 1. Gloſſ. 18. *n.* 2.

8. Fundo acquirere ſervitutem proprietarius poteſt etiam invito fructuario: fructuarius non poteſt invito proprietario, ſed eam retinere *l. Sed, ſi quid.* 15. §. *fin.* D. *h.* Imponere ſervitutem non poteſt proprietarius invito uſufructuario, niſi eam, quæ deteriorem uſufructuarii conditionem non faciat. *arg. d. l. ſed, ſi quid.* 15. §. *pen.* itaque & eo conſentiente eam, qua conditio uſufructuarii fiat deterior: Volenti enim non fit injuria & poteſt uſufructuarius juri pro ſe introducto renunciare per vulg. *l. pen. C. de pact.* Vide D. *in d. l. ſed ſi quid.* 15. §. *fin.* Connan. 4. *Comm.* 3. *n.* 3. Ratio dubitandi. I. Abſurdè dictum, quòd uſufructuarius non poſſit acquirere ſervitutem, cum quilibet alterius cauſam poſſit reddere meliorem *l. ſolvendo.* 39 D. *de negot. geſt.* maximè cum uſufructuarii interſit eam ſervitutem habere. II. Expreſsè definitum eſt *in d. l. ſed, ſi quid.* 15. §. *fin. in fin.* Proprietarium non poſſe etiam conſentiente uſufructuario ſervitutem imponere. Vide Anton. Fabr. *ibid. in rationalib.* Donell. 16. *Comment.* 11. Arum. *diſput. ad D.* 9. *Theſ.* 2.

9. Uſu-

9. Usufructuarium non posse consummare ædificium inchoatum, etiamsi eo loco aliter uti non possit, sed nec ejus quidem usumfructum esse, respondit Neratius. *l. Vsufructuarius.* 61. D. *h.* Junct. *l. Vsufructuarius.* 44. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Potest usufructuarius conditionem proprietatis facere meliorem. *l. si, cujus rei.* 13. §. *Fructuarius.* 4. *D. h.* Per consummationem autem ædificii fit melior conditio proprietatis. II. Licet in area casam ponere *l. si areæ.* 73. D. *h.* ergò multo magis ædificium inchoatum consummare. III. Concesso usufructu, simul ea conceduntur sine quibus uti frui non licet. Uti & servitute concessa simul ea omnia permissa censentur, sine quibus servitute non possumus uti. *l. Refectionis.* 11. D. *Commun. prædior l. Et si forte.* 6. §. *Etiam.* 2. D. *si servit. vindic.*

Ex tit. D. de usuf. accresc.

10. Sæpè usufructus vel alterius rei portio, quæ alii destinata erat à testatore, accrescit alteri conjuncto si ex conjunctis mixtim, re & verbis simul, quis defecerit. *l.* 1. *Idem neratius.* 3. *D. h.* §. *si eadem.* 8. *Inst. de legat. l. un.* §. 11. *C. de Caduc. toll.* Ratio dubitandi. I. Accrescendi jus est, licet sit separatio. *l. Mav.* 45. *D. de leg.* 2. II. Ubi non sunt partes, ibi non est jus accrescendi. *l. Item quod habinus.* 17. §. 1. *vers. nam quantum. D. de heredib. instituend.* Mixtim autem Conjuncti non habent partes. *arg. l. Triplici.* 142. *& ibi Gœdd. D. de Verbor. signif.* III. Reclamant infiniti textus. *in l. Dominus.* 57. §. 1. *D. h. l. si duobus.* 16. *pr. l. Planè.* 34. §. *si conjunctim* 9. *l. Hujusmodi.* 84. §. *si Titio.* 8. D. *de legat.* 1. *l. Ex proculo.* 20. *l. si litio.* 55. *D. de legat.* 2. *l. Pater.* 38. §. *Filiam.* 2. *l. Vxorem.* 41. §. *Agri.* 9. *D. de legat.* 3. *l. Cum fundus.* 56 *l. Mulieri & litio.* 74. *D. de cond. & demonstrat. l. sed & si mortis.* 3. §. *sed ei si.* 3. D. *de legat. præst.*

11. Idem

11. Idem est id conjunctis re tantum. *d. l.* 1. *D. h. d. §. si eadem.* 8. *Inst. de legat. d. l. un. §.* 11. *d. l. Re conjuncti.* 89. Toties enim est jus accrescendi, quoties in duobus, qui solidum habuerunt, concursu divisus est ususfructus. *l. Idem neratius.* 3. *pr. in fin. D. h.* Ratio dubitandi. I. Non est conjunctio in re conjunctis, sed separatio *d. §. si eadem.* Cessat ergò jus accrescendi. *d. l.* 1. *pr. versic. cæterum. D. h.* II. In iisdem est translatio sive ademtio. *l. sicut.* 5. *D. de adimend. legat. §.* 1. *Inst. eod.* Nulla ergò conjunctio. III. Singuli habent solidum vi legati. *l. Qui duos.* 13. *§. fin. D. de legat.* 2. Nullum ergò jus accrescendi, sed non decrescendi.

12. Idem quoque statuendum est in conjunctis verbis tantum. I. Generatim traditum est *d. l. un. §.* 11. *C. de Caduc. toll.* quod in omnibus conjunctis sit jus accresendi; utpote, qui propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt, & partem conjunctorum deficientium, quasi suam præoccupant. *d. l. un. §.* 10. *vers. Hoc ita tam variè.* II. Cùm verbis conjuncti conferantur cum re junctis iisque præferantur. *d. l. Re conjuncti.* omnino jus accrescendi habere dicentur. Vide Duaren. *lib.* 1. *de Iure accresc. c.* 10. Donell. 7. *Comment.* 13. Gœdd. *in l.* 142. *n.* 10. *D. d. Verbor. signif.* Arum. *Exercit.* 9. *Thes.* 11. Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. *pr. D. h.* II. Ex *d. l.* 1. *§. fin. & l.* 2. *D. h.* III. Ex *l. Idem Neratius.* 3. *D. h.* IV. Ex *l. pen. D. h.* V. Ex *l. si ita ita quis.* 66. *D. de hered. Instit.* Vide Cujac. *in l.* 2. *D. h. ad african. &* 24. *observ.* 34. *& in l.* 66. *D. de hered. Inst.* Fachin. 5. *Controv.* 50. Bocer. *Class.* 3. *disp.* 8. *Th.* 71. *&* 76.

13. Jus accrescendi locum habet quoties à testatore facta est conjunctio: cæterum in contractibus cessat. *l. si mihi & Titio.* 110. *D. de Verbor. obligat.* Obstat hisce juris ratio: nam id alii accrescit, quod ab alio fuit repudiatum, vel quia id aliter defecit: Hoc autem in contractibus non habet locum. Vide Cujac. *in l. fundus.* 64. *D. de contr. Erut.* Ratio dubitandi. I. Sunt in

in contraria ſententia textus *in l. fundus. & l. proprium.* 5. D. *Comm. prædior.* II. Nulla eſt ponenda differentia inter contractus & ultimas voluntatos, niſi ea expreſſis legibus poſſit comprobari: maximè cum eſt eadem in utriuſque ratio *arg. l. Quæ delegato.* 46. *D. de legat.* 1. *l. Inſt. de lege fuſia canin. toll.* Uti autem in hereditatibus & legatis propptereà jus accreſcendi locum habet, quia nemo eandem rem pro parte poteſt probare pro parte improbare, cum in hereditate *l.* 1. 2. *D. de acquir. vel omitt. heredit.* tum in legatis. *l. Legatarius.* 38. *pr.* D. *de legat.* 1. *l. Nominem.* 4. *l. Grege.* 6. *l ſi cui res.* 58. *D. de legat.* 2. Ita eſt partis acceptatio in contractibus reliquum ad ſe trahit. *l. Cum quæritur.* 16. D. *de adminiſt. tutor.*

14. Difficilis eſt explicatio juris, quo conjuncti diverſi generis concurrentes invicem præferantur. Caſus hic ſit: Titio Sejo, Joanni fundum Tuſculanum do lego: eundum fundum Mævio do lego. Eundem Cajo lego. Eundem ſempronio & Lucio lego ex æquis partibus. Manifeſtum eſt ex hac formula 1. Titium, Sejum ac Joannem eſſe inter ſe mixtim, aliis verò eſſe conjunctos re, 2. Mævium & Cajum ſibi & reliquis omnibus re tantum eſſe conjunctos. 3. ſempronium & Lucium, inter ſe verbis tantum, reliquis verò re conjunctos. Cum omnes concurrunt, fient ſeptem partes & ſinguli ad ſeptimam partem admittendi ſunt. Si verò Titius ex primo ordine moriatur vel aliter deficiat, vocabuntur, reliquis omnibus excluſis, Sejus ac Joannes, ita quidem, ut hi duo ſortiantur tres ſeptimas *d. l. Re conjuncti,* 89. Duplex enim iis eſt vinculum conjunctionis, quo facit *arg. ex §. 2. Inſt. de adoption.* Si autem ex ſecundo ordine Cajus ſpernat ſuam partem, omnibus, quotquot ſunt conjuncti, cedet pariter & æquè ea portio. Non enim magis eſt ipſi conjunctus Mævius, quam reliqui omnes. *d. l. Re conjuncti.* 89. Deficiente verò ex tertio ordine Lucio, ſoli Sempronio portio accreſcet, quia Lucius reliquis erat conjunctus

rę

re tantum, & huic Sempronio verbis. Vide Arumæ. *disp.* 18. *ad D.Thes.* 12. *in fin.* Alciat. *in d. l.Triplici.* 142. *n.* 6. D. *de Verbor. signif.* Ratio dubitandi. I. Quod ad prælationis jus non sunt hoc modo conjunctiores quam alio: Adeo ut conjuncti mixtim, si quis ex iis defecerit, admittere cogantur & reliquos. *l. Item quod Sabinus.* 17. §. 1. D. *de hered. instit.* II. Manifesto textu *in l. si ita quis heredes.* 66. D. *de hered. Instit.* Ut & *in l. Mævio.* 41. D. *de legat.* 2. comprobatur verbis conjunctos non præferri re tantum conjunctis. III. Plus est efficaciæ in rebus, quam verbis: itaque plus tribuendum re conjuncto, quam verbis tantum: quandoquidem verbis conjunctus habeat partes distinctas, re verò conjunctus habeat solidum. Huc facit. *l. Heredes sine.* 63. D. *de hered. Instituend.* Vide D. Busium *in l. pen. n.* 5. 6. *D. h.*

15. In usufructu receptum est, ut, licet quis sit fruitus sua portione, postmodum verò idem deficiat per obitum, non revertatur ususfructus ad proprietarium, sed accrescat ei, qui antè fuit conjunctus quolibet modo. *l.* 1. *Interdum tamen.* 3. *vers. sed in usufructu. D. h.* Ratio dubitandi. I. Jus accrescendi cessat cum quis agnovit suam partem §. *si eadem* 8. *Inst. de legat. d. l. un.* §. 11. *C. de Caduc. toll.* Id verò maximè est statuendum in usufructu, qui facilè redit ad proprietarium, ne proprietas diu reddatur inutilis. §. 1. *Inst.* D. *de usuf.* II. Ex *l. Dominus.* 57. §. D. *de usufruct.*

16. Cum aliquis conjunctorum mixtim vel verbis tantum deficit, admittuntur conjuncti ita, ut omne onus deficienti impositum sustinere coguntur. Re autem conjuncto portio vacans accrescit sine onere. Re enim conjunctus non tam alterius partem accipit, quam suum totum retinere videtur. Aliis verò modis conjuncti ex aliena parte commodum ac emolumentum naucîscuntur *d. l. un.* §. 11. *C. de Caduc. toll.* Ratio dubitandi. I. Nimis subtilis est hæc distinctio; nec enim testatores de talibus cogitare est probabile.

II. Mix-

II. Mixtim & verbis tantum conjuncti ab initio solidum habent. *l. Idem neratius.* 3. *pr. D. h.* Ergò dicta ratio in re conjunctis tantum non valet, & consequenter in omnibus conjunctis erit idem jus. III. Cum non tantum ad nos id perveniat quod datur directò, sed & quod non adimitur. *l.* 1. §. *sciendum.* 6. *D. de legat.* 3. etiam ad Re conjunctum rectius id, quod erat ex judicio testatoris alienum jam factum, pervenire dicendum est: cum alter deficit, quam à re conjuncto suum retineri: & propterea cum in locum deficientis succedit, in omnibus ejusdemque jure uti debet *l. Qui in Jus.* 177. *D. de Reg. Iur.* Non tantum quo ad commoda sed & incommoda. *l. secundum.* 10. *l. Ex qua persona.* 149. *D. de Regul. Iur.* Id ipsum maximè convenit voluntati Testatoris: Cum enim is deficienti, cui partem rei tantum reliquit, onera imposuit, idem multo magis præsumetur velle eum, cui tota res cedit, eadem onera subire.

Ex tit. D. Quib. mod. ususf. vel usus amittit.

17. Finitur ususfructus morte. §. *finitur.* 3. *Inst. de usuf.* tollit enim mors omnia personalia. Sin autem convenerit, ut & heredes usufructuarii fruantur, heredum nomine veniunt non successivè omnes, uti ut plurimum solet fieri. *l. Heredis appellatio.* 65. *l. sciendum.* 70. *l. Heredis appell.* 170. *D. de Verb. signif.* sed tantum primi. *l. Antiquitas.* 14. Ubi Bartol. Bald. *C. eod.* Ne semper vel nimis diu abscedente usufructu proprietas fiat inanis. §. 1. *in fin. de usuf.* Adeò verò morte finitur, ut si maturis, nondum perceptis fructibus decesserit usufructuarius, omnes fructus non ad heredem usufructuarii transmittantur, verum pertineant ad proprietarium *l. In singulos. in fin.* 8. *D. de ann. & menstr. legat. l. si fructuarius.* 13. *D. h.* Cujus occasione quæsitum, annon debeant fructus pro ratâ temporis, quo

steti

ſtetit uſusfructus, dividi inter uſufructuarii heredem & proprietarium. Mihi videtur verius & æquius eſſe, quidem proprietarium teneri omnes impenſas in fructus factas reſtituere, quia fructus non ſunt niſi de ducto ſumtu. *l. Fructus. 7. pr.* D. *ſolut. matrim. l. Quod in fructus.* 46. D. *de Vſur. l. ſi à domino.* 36. §. *fin.* D. *de petit. heredit. l. Fundus.* 51. *pr. in fin. D. Famil. Erciſc.* ſed id, quod eſt in lucro & commodo Fructuum deductis impenſis, eſſe tribuendum proprietario ſoli. *d. l. In ſingulos. & d. l. ſi fructuarius. l. Arboribus.* 12. §. *fin.* 5. D. *de uſufr.* Uti enim per perceptionem uſufructuarius ſuos facit abſolutè fructus & nihil eorum nomine præſtare tenetur ſive ipſe ſive colonus, cui fundum locavit, eos à ſolo ſeparaverit. *l. Defuncta.* 58. D. *de uſuf.* licet etiam colonus poſt mortem ſit ſoluturus mercedem *d. l. Defuncta.* Ita vice verſa nihil ex lucro fructuum non perceptorum ab uſufructuario ſive ejus colono communicare tenetur proprietarius. Vide Hartm. Piſtor. 1. *quæſt.* 24. *n.* 16. 20. Donell. 10. *Comm.* 9. Robert. *lib.* 2. *Animad. verſ. c.* 10. Mercedes autem ædium & ſimiles proventus pro rata dividentur, cum certò tempore fructus is immediatè non percipiatur ſed merces præſtetur pro uſu de momento in momentum, ſive prout quiſque habitaverit *arg. l. ſi operas.* 26. D. *de uſuf.* Donell. 10. *Comm.* 9. Ratio dubitandi. I. Impenſæ non ſunt reſtituendæ: Cum allegati textus *in d. l. In ſingulos. l. Arborib.* 12. §. *fur.* 5. *d. l. ſi fructuarius.* 13. generaliter indicent fructus omnes fieri proprietarii ſine ulla mentione præſtationis. II. Debent fructus pro rata temporis dividi *arg. l. Vti frui.* 5. §. *ſi poſſ. litem.* 4. D. *ſi uſusf. pet l. ſi operas.* 26. D. *de uſuf. l. Fructus.* 2. *pr. &* §. 1. D. *ſolut matrim.* Vide Cujac. *lib.* 24. *Obſerv.* 21. Id æquiſſimum eſt: maximè ſi quis uſufructum emerit. III. Malè diſtinguitur inter fructus veros ex fundo & mercede ædium: cum *in d. l. Defuncta.* 58. idem ſtatuatur in mercedibus, quod in veris fructibus.

18. In

18. Interitu vel mutatione rei ipsius quoque petit ususfructus. *l. Repeti.* 5. §. *Rei mutatione.* 2. *l. Quid tamen.* 10. §. *& seqq.* D. *h.* Est enim jus in corpore, quo sublato & ipse tollitur. *l.* 2. D. *de usuf.* Adeo quidem interitu rei interit & ususfructus, ut non possit peti, licet aliquid supersit. Ita in usufructu quadrigæ si unus equus perierit, nullius ex residuis ususfructus debebitur. *d. l. Quid tamen* 10. §. *fin.* D. *h.* In usufr. gregis, si grex esse desinat, nihil exigitur. *l. fin.* D. *h.* In pecoris usuf. si pecus extinctum fuerit, nec caro, nec corium ejusve ususfructus petitur. *l. pen.* D. *h.* In usufructu ædium, domo exustâ nec areæ constat usufructus. *d. l. Repeti.* 5. §. *pen.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. In grege contrarium est dispositum *l. Grege legato.* 21. *& seq.* D. *de legat.* 1. Idem & ad quadrigam referri potest. II. Pecore mortuo, caro debetur usufructuaria. *l. Quid ergò.* 70. §. *secundum quæ.* 2. D. *de usufr.* III. Quamvis ædificium corruerit, tamen eo non obstante areæ ususfructus deberi non desinit 1. Manet pignus in area, si corruerint ædes *l. Paulus.* 29. §. *Domus.* 2. D. *de pignorib.* 2. Villa exusta manet ususfructus soli, in quo fuit villa. *l. Fundi.* 8. *& seq.* D. *h.* 3. Ædificio sacro diruto, conditionem suam pristinam servat locus, in quo id fuit, ut area æquè maneat sacra *l. In tantum.* 6. §. *sacræ.* D. *de rer. division.* IV. Pars præcipua domus est area sive solum, cui omnia inædificata cedunt. *l. Adeo.* 7. §. *cum insula.* 10. D. *de acq. rer. dom.* sublato itaque accessorio, in principali re servabitur ususfructus.

19. Qui aliquatenus abutitur re usufructuaria eamque deteriorat non statim amittit usumfructum, sed contra eum vel ex cautione agendum est in id quod interest. *l.* 1. §. *utilius.* D. *usufr. quemad. caveat.* nusquam enim est proposita in legibus hæc pœna, quod usufructuarius sit amissurus jus suum ex deterioratione vel abusus. Vel in hoc, ut alteri res locetur eaque quasi sequestretur, *arg. l. si cum dotem.* 22. §. *fin. autem.* 8. D.

solut. matrim. l. Imperatores. 21. §. *fin.* D. *de appellat. l. ab executione.* 5. C. *Quor. appellat. non recip.* Si autem per malitiam planè dissipaturus, sit omni jure suo excidet. *arg. l. si pendentes.* 27. §. 1. D. *de usuf. l. Hoc amplius.* 9. §. *fin.* D. *de damn. infect. Auth. Qui rem. C. de sacros. Eccles. l. Eos, qui aquæ.* 2. *C. de aquaduct. lib.* 11. Beneficio enim indignus est, qui pro eo maleficium rependit. *l. fin. C. de revocand. donat.* Ratio dubitandi. I. Finitur usufructus non utendo per modum eum, quem lex præscripsit. §. *finitur* D. *de usuf.* qui verò abutitur per modum non utitur. II. Non licet deteriorem secundum leges facere rem usufructuariam. *l. Item si fundi.* 9. *l. si cujus.* 13. §. *fructuarius.* 4. *D. eod.* Non ergò potest retinere usumf. qui eum deteriorat. cum qui in leges committit, non possit beneficio ullo frui. III. Qui malè versatur in re conducta vel emphyteutica jure suo privatur. *l. ade.* 3. C. *de locat. conduct. Novell.* 120. *c.* 8. ergò & is, qui in re usufructuaria male agit: imò magis, quia jus ex emphyteusi vel conductione est multo plenius jure ususfructus. Vide Paul. de Cast. Jason. *in d. Auth. Qui rem.* Ruin. *in l. fructus.* 7. §. *si fundum.* 12. *n.* 2. *D. solut. matrimon.*

Ex tit. D. de usufructu earum rerum, quæ usu consum.

20. In vestimentorum non semper eadem ratio: non semper ususfructus verus, non semper quasi legatus censetur. Verus est certo. quoties testator talem esse voluit, *l. Sed si quid inædificaverit.* 15. §. *Et si vestimentorum.* 4. D. *de usufr.* voluntas enim Testatoris omnia regit. *l. In conditionibus.* 19. D. *de Condit. & demonst.* & est instar legis. Hac in facti specie si quotidiana sint, adtrita reddi sufficit, modò dolus absit. *l. usufs.* 9. §. *pen.* D. *quemadm. usufr. caveat.* & nullus, sit factus abusus. *d. l. Sed si quid.* 15. §. *Et si vestiment.* 4. Si autem non fuerint quotidiana, sed vel scenica vel lugu-

lugubria vel similia, non licet iis aliter uti, quam in scena, luctu vel simili casu. *d. l. sed si quid.* 15. *§. proinde.* 5. Ita tamen, ut possint & commodari & licet pater familias non soleret locare, locari. *d. §. Proinde.* Cum non constat de voluntate, & vestimenta quotidiana sunt est quasi usuf. §. *constituitur.* 2. D. *de usuf.* Ex qualitate enim rerum, quæ facilè usu consumuntur, intentio testatoris est colligenda. Ratio dubitandi. I. Semper in hisce speciebus est verus usufructus. 1. quia non pro rebus fungibilibus, & quantitatibus sed speciebus vestimenta habentur: cum possint & soleant vindicari ut certa corpora. *l. Si in rem.* 6. D. *de Rei vindicat.* & locari. §. *penult. de locat. conduct.* 2. Quia usu non consummuntur, ut quidem pecunia, oleum &c. Nec in parte aliqua sui minuuntur. Consumi autem vel minui pro parte necesse est res, quarum est quasi usufructus. *l.* 1. D. *h.* Nec atteri sufficit; alioquin enim esset quasi usufructus in domo, contra *l. Vsufructu.* 7. *§.* 1. D. *de usufr.* cum & ea vetustate corruat, vel in navi, cui sæpe naufragii periculum imminet. *l. arboribus.* 12. *§.* 1. D. *eod.* II. Semper est horum quasi usufructus, ut apparet ex §. *Constituitur.* 2. & ratio ipsa exigit, quia usu tolluntur non per unicum actum sed frequentiorem. Vide de hac re Donell. 10. *Comm.* 3.

21. Cautio in quasi usufructu ut & in vero non est de substantia: Est enim tantum remedium, quo consulitur proprietario in casum dissolvendi usufructus ac omitti potest sine læsione juris usufructuarii. *l. hoc SCtum.* 5. §. 1. D. *h.* & eadem tam in vero quam in quasi & fideicommisso remittitur fisco. *l.* 1. §. *si ad fiscum* 18. D *ut legat. vel fideicomm. nom. cav.* Patri *l fin.* §. *fin. autem æs.* 4. *in fin.* C. *de bon. quæ lib.* Vide Pinell. *in l.* 1. *part.* 2. *n.* 78. *C. de bon. matern.* Fachinæ. 8. *Controv.* 43. Ratio dubitandi. I. *Ex l.* 1. *C. de usuf. l. Si cujus.* 13. D. *eod. l. pen. C. ut in possess legator.* II. Per cautionem inducitur quasi usufructus & ipsa cautio

rem usufructuariam repræsentat. *d.* §. *Constituitur.* 2. Quod autem non aliter potest induci quam per cautionem & quod repræsentatur per eandem, id pro essentia ac forma habet cautionem & sine eadem subsistere nequit. Vide Donell. 10. *Comment.* 4.

Ex titul. D. Si ususf. petat. vel ad al. pertin. neget.

22. Circa usumfructum multæ actiones concurrunt, quarum aliquæ jus constituendum, aliquæ jus constitutum spectant, Hac Thesi de jure constituendo agemus. Cum ex contractu debetur, nulli alia competit actio quam personalis ex eo contractu, cum ex obligationibus oriantur actiones in personam. §. 1. *Inst. de actionib.* Cum ex testamento, datur vel in personam vel in rem, secundum formam *l.* 1. *C. Commun. de legat. junct. l. legatum* 80. D. *de legat.* 2. Cum ex lege, intentari potest vel actio in rem, quia lex cum effectu res ipsas transfert & directo jure dominos facit, quibus quid addicit §. 1. *vers. Per legem enim. Inst. de bonos. possess. junct. d. l. legatum.* 80, vel condictio ex lege. Quandoquidem vero est adjudicatus, uti fieri in judiciis didivisoriis potest. *l. ususfructus.* 6. §. 1. D. *de usufr. l. Et puto* 26. §. 1. D. *famil. ercisc. l. Si quis putans.* 6. §. *officio.* 10. D. *Commun. dibid.* actio judicati est conveniens, sive executio sententiæ peti potest. Ratio dubitandi. I. Ex omni causa videtur competere actio in rem confessoria ob usumfructum. §. *æque.* 2. *Inst. de action.* Ea enim actiones agi potest indistincte ab omnibus, qui contendunt sibi esse jus, hoc est facultatem utendi, fruendi. *d.* §. *æque.* 2. tam autem facultatem & jus tale quis habet ex contractu, quam ex reali causa II. Licet in speciebus legatis dominium rectâ transeat & actio in rem sit, tamen in usufructu est tantum in personam. 1. Quia is per se jus personale est. 2. Quia desiderat cautionem, quæ tota continet obligationem &

& jus in personam, sive fiat jurato sive alio modo. 3. Quia per aditionem, quæ actionem in personam parit. *l. si quis absentis.* 5. *§. heres.* 2. *D. de oblig. & act. junct.* *§.* 1. *Inst. de action.* cedit, debetur & constituitur ususfructus. *l. un. §. Dies autem.* 2. *D. Quand. dies legat. ususf. eod.* III. Quamvis lex addicat usumfructum, non tamen sequitur perpetuo ex ea dari actionem in rem, cum obligationes multæ ex lege sint. *l. obligamur. pr. & §. lege.* 5. *D. de oblig. & act.* Imo omnes vel à lege vel à prætore, qui legis est viva vox *l.* 8. *D. de Iust. & Iur.* procedant. *§.* 1. *Inst. de obligat.* & consequenter quoque à lege descendant actiones in personam quia eæ sunt ex obligatione.

23. Usufructu constituto, prout res postulat, dantur confessoria, negatoria: imò & uti possidetis interdictum *l. fin. in fin. D. uti possidet.* Dejecto per vim datur Interdictum Vnde vi. *l. Quod est, h. §. In id, quod pervenit.* 13. *D. de vi & vi armata.* & quidem directum *d. §. In id, quod pervenit.* 13. *& seq. junct. l.* 1. *§. Dejicitur.* 9. *D. eod. l. naturaliter.* 12. *pr. l. possessio.* 49. *D. de acq. vel omitt. possess.* Menoch. *rec. poss. remed.* 1. *n.* 74. Ratio dubitandi. I. Cum Interdicta *uti possidetis & Vnde vi* directa dentur contra possessorem, non autem eum, qui alieno nomine est in possessione, uti videre est in colono. *d. l.* 1. *§. Dejicitur.* 9. *in fin. §. retinendæ.* 4. *Inst. de interdict.* & usufructuarius sibi non possideat, sed proprietarii nomine sit in possessione, unde & videri possidere naturaliter dicitur: fiet contra juris rationem, si ei directum tribuendum sit vel etiam utile interdictum. Vide Jason. in *d. l. naturaliter* 12. II. Nullo modo interdictum datur usufructuario; quia causa possessionis rem ipsam afficit, & præparatoria est ad alias, quæ ad dominium asserendum, conservandum vel defendendum spectant, vel iisdem est præjudicialis. Actiones verò tales, quæ ad restitutionem rei vel juris, quod rem ipsam contingit, non dantur usufructuario. Ita & dum denegatur vindicatio rei

per *l. In rem* 23. *De de Rei vindicat.* petitio servitutis, *l.* 1. *Uti frui.* 5. §. *utrum.* 1. *D. h.* non obstante. *l.* 1. §. 3. *D. de remiss.* & consequenter possessionis: quia absurdum est, cum de jure servitutis agere nequeat usufructuarius, ei concederetur actio ad possessionem.

Ex tit C. & D. de us. & habitat.

24. Proprietarius potest prohibere, ne usuarius recipiat in ædes, quarum usus est datus, meretricem vel concubinam, per textum *l. Non aliter.* 7. *D. h. l. Si pendentes.* 27. §. 1. D. *de usufr.* Idem & statuendum est, etsi testator ipse concubina vel meretrice sit usus sive abusus. Non enim ex abusu ac peccato testatoris usuarius potest licitè abuti jure suo aut peccare. Ratio dubitandi. I. Loquitur textus *in d. l. non aliter.* de fæmina usuaria, non de viro: à fæmina autem ad virum argumentum deductum non valet. *l.* 45. *D. de legat.* 1. Deinde textus *in d. l. si pendentes* 27. §. 1. loquitur de eo, qui injuria vel contumelia famam defuncti lædit in utendo. Scortatio autem usuarii non vergit in injuriam testatoris. II. Nihil facit ad usum domus, utrum vir honestus vel inhonestus sit, qui eam inhabitat *arg. ancillarum.* 17. §. 1. *in fin.* D. *de petit. heredit.* & maximè si testator fuerit talis, qui scorta amavit cum ex ejus moribus soleat in dubio ratio interpretationis assumi in modo utendi. *d l. si pendentes*, 27. §. 1. *l. Si cujus.* 13. §. *Inde.* 5. D. *de usufr.*

vget ad tit. seq. ff. n. 9. 25. Cautio usufructuaria non potest à testatore remitti fructuario, sive verus sive quasi usufructus sit relictus *l.* 6. D. *ut in possess. legat. l. si cujus.* 13. *D. de usufr. l.* 1. *C. de usufr. l. pen. C. ut in possess. legator. arg.* §. *constituitur.* 2. *Inst. de usufr.* Vide Donell. 10. *Comm.* 4. Clar. *recept. sentent.* § *Testamentum quæst.* 64. Ratio dubitandi. I. Remitti potest fiduciario, qui ex re fideicommissaria habet usumfructum, *l.* 2. *C. ut in possess. legat.* Cur ergo non Fructuario? II. Patri

per

per legem remittitur cautio in bonis liberorum, adventitiis, quorum usumfr. tantum habet. *l. fin.* §. *fin autem* 4. *C. de bon. quæ liber.* Remittitur & cautio cum incidit casus qui est in *l. si usufr.* 9. §. *planè.* 2. *D. h.* Non ergò debet denegari omni testatori, ut cum effectu prohibere possit: quandoquidem ejus voluntas pro lege est, secundum jus novissimum, in *Novell.* 22. *c.* 2. *vers. Disponat.* quod omne prius jus corrigit. *l. fin. D. de constitut. Princip.* III. Si Heres possit remittere, cur non testator à quo jus habet *l. Nemo plus.* 120. *l. Qui in jus.* 177. *D. de Reg. Iur?* IV. Si testator proprietatem Fructuario potuisset relinquere, cur non vetare hanc cautionem? Qui enim majus potest, potest & minus. *l. Non* 21. *l. Qui potest.* 26. *D. de Reg. Iur.* V. Licet admittatur in vero usufr. remitti non posse, quia in eo cavendum est de utendo & fruendo ex viri boni arbitratu *l.* 1. *D. h.* Non tamen idem dici poterit de quasi usufr. cum ibi tantum agatur de eadem quantitate restituenda 1. Quia rescripto *in d. l. pen. C. ut in possess. legator.* remissio cautionis in vero usufructu tantum negatur. 2. Quia nullus est expressus textus de quasi usufructu. 3. Quia ratio cessat in quasi usufructu. Proptrea enim remissio fieri nequit, quia per eam usufructuarius invitaretur ad delinquendum & abutendum: id verò in quasi usufr. locum non habet, cum abuti non possit in eo fructuarius, quandoquidem dominium in eo transit.

26. Usufructus, licet remissa sit cautio, nihilominus debetur, verum remisio habenda est pro non adjecta; prout & aliis casibus, quibus testator adjecit quod per legem adscribi non poterat. Ita si in impossibili conditione, addita institutioni, legato. *l. Conditiones.* 14. *D. de condit. Institut.* in parte vel re certa addita Institutioni unius heredis. *l.* 1. §. *Ex fundo.* 4. *D.* §. *Hereditas.* 5. *Inst. de Hered. Instituend.* Quod ideò receptum est, ne utile per inutile vitietur. *l.* 1. §. *sed si mihi.* 5. *in fin. D. de Verbor. Obligat.* & per subtilitatem

defraudentur hominum ultimæ voluntates, *l. si quis. 7. C. de Inst. & substit. in fin.* Vide Johann. de Castill. *de usufr. c. 15. n. 30.* Ratio dubitandi. I. Quod contra leges datum est, modo sc. illegitimo, non habetur pro dato: Forma enim non observata totus actus interit. *l. si unus. 12. C. de Testam.* De forma autem est cautio. *l. 1. C. de usufr.* sic, ut ex remissione ejusmodi jure vindicare proprietarius rem possit. *l. si ususfructus. 7. D. h.* II. Inutile solet vitiare utile *arg. l. Pedius. 7. §. 1. D. de Recept. qui arbitr. recep. l. 1. §. Item quæritur. 17. D. de Aqu. quotidian. & æstiv.* III. Effectus remissionis hic esse posset justior, ut eo modo proprietas videatur relicta, sub onere ejus quod est residuum restituendi, *l. Species auri. 15. D. de Iur. & argent. legat. l. Filios. 39. D. de usu & usuf. legat. arg. l. Titius. 54. D. ad SC. Trebell.* Quoties enim ordinarios actus terminos quis transcendit, transire videtur ad actum quo alio modo voluntas consistere potest. *arg. l. 9. §. fin. l. 10. D. de reb. credit. l. Vbi ita 27. D. de Donat. mort. causa.*

27. Cum usufructuarius non potest invenire fidejussores, aut alias sufficienter cavere nequit, pendebit ex arbitrio judicis ut æstimet, utrum usufructuario sub cautione juratoria committi res queant, annon. Id enim facti est & multis sæpè implicitũ circumstantiis, quæ jus uniformiter non posse dici suadent. Huc facit *l. Mora. 32. D. de usur.* Pone, Bona esse immobilia, fundum & similia, quæ non possunt facilè consumi: Pone, Vsufructuarium esse hominem non nimium pauperem & optimæ fidei virum. Nulla sanè ratio æquitatis hisce casibus usumf. negabit sub cautione jurata usufructuario: quo faciunt *Auth. Generaliter. C. de Episc. & Cleric. Nov. 112. c. 2. l. Cum non facilè. 6. D. si cui plus quam per leg. Falcid. §. sed hodiè. Inst. de Satisdationib. l. 1. §. super peculio. C. de adsertion. toll.* Vide Donell. 10. *Commentar.* 14. Johann. de Castill. *d. tract. c. 18.* Gail. 2. *Observ.* 47. Pone, Fructuarium esse hominem vitæ suspectæ; pone valde pauperem, eumque bonum quidem

dem, sed negligentiorem sive non capacem ejus administrationis, ac bona esse valde diffusa, in nummis ac similibus consistere: sanè hisce casibus tutius erit sequestrari res usufructuarias, ut locentur tertio, vel tradi pro re nata proprietario, ita tamen, ut Fructuarius non privetur reditu. *arg. l. Imperatores. 21. §. fin. D. de appellat. l. si cum dotem. 22. §. sin. autem 8. D. solut. matrimon.* Ratio dubitandi. I. Si non fiat satisdatio, amittitur usus fructus. *l. si usus-fructus. 7. fin. D. h. l. si cujus. 13. pr. D. de usufruct. l. 1. C. eod.* II. Certissima est juris regula, quod nec juratoria cautio sufficiat ullo casu, nec fieri debeat sequestratio: cum hi duo modi in hac causa nusquam sint propositi vel admissi jure. Sed res debent manere apud proprietarium, ut is reditum ex iis præstet usufructuario. *arg. l. Hac edictali. 6. §. His illud adjungimus. 1. C. de secund. nupt. l. filiusfamilias. 114. §. Idem rescripserunt. 12. D. de legat. 1.* Ubi Angel. Huc facit ratio, quod, quemadmodum legatarius, cum heres cavere non potest, mittitur in possessionem *l. Qui legati. 5. & l. seq. C. ut in possess. legator.* ita & mitti debeat proprietarius. Vide post Mynsing. Fachin. 8. *Controv.* 40. III. Imò videtur, quod remitti debeat cautio ei, qui eam facere non potest, cum nulla sit ab eo exigenda, qui eam præstare non potest. *arg. l. Obtinuit. 3. D. de Condit. & demonstrat.*

28. Caveri oportet in vero usufructu, & quidem cautissimè in commodum proprietarii. 1. Ut usufructuarius promittat se usurum fruiturum boni viri arbitratu. *l. 1. D. h.* 2. Ut, si ex officio viri boni non utatur, res redeat ad proprietarium, nec expectandus sit casus, quo amittatur ususfructus. *l. 1. §. Utilius 5. D. h.* 3. Ut proprietarius in testatum redigat, qualis sit res, cum uti frui incipit Fructuarius. *d. l. 1. Rectè. 4. D. h.* In Quasi vero usufructu, si non sint nummi, æstimandæ sunt res, & pro æstimatione restituenda præstari oportet cautionem. *§. Constituitur. 2. Inst. de*

 usufr.

usufr. Sin autem nullum ſit factum inventarium, nulla fiat æſtimatio, reſtituetur quod probari poteſt fuiſſe tempore mortis teſtatoris vel, ſi probari hoc nequeat, tantùm id quod invenitur tempôre mortis Fructuarii: Debet enim ſibi imputare proprietarius quod ita egerit, & non melius ſibi vigilaverit, *arg. l. ſi is, à quo*. 3. §. *fin. D. ut in poſſeſſion. legator*. Et cum proprietarius agat & petat, probare ipſe debet. *l.* 2. *D. de probat*. Valet hic regula, Jus non deficit ſed probatio. *l. Duo*. 30. *D. de teſtam. tutel.* Ratio dubit. I. In vero uſuf. non eſt de neceſſitate ab uſufructuario præſtanda cautio, ut, ſi quis non benè utatur, res uſufructuaria redeat ad proprietarium. Cum tantum ſit neceſſaria hæc cautio, ut quis boni viri arbitratu utatur, non alia *l. ſi cujus*. 13. *verſ. ſi uſusfructus. D. de Vſufruct. l.* 1. *D. h.* Nec obſtat *d. l.* 1. §. *utilius*. 5. Quia reſponſum id non ad juris neceſſitatem ſed ad utilitatem referendum eſt, uti indicat verbum utilius. II. Malè hoc allegatur, quod proprietarius in teſtatum debeat redigere æſtimationem, cum in verò uſufructu res etiam attritæ & per ætatem ac juſtum uſum non ex culpa ſive facto ſequiori *d. l.* 1. §. *Cavere*. 3. *D. h.* factæ deteriores poſſint reddi. *l. ſi uſusfructus*. 9. §. *pen. D. h. l. Arboribus*. 12. §. 1. *D. de uſufr.* III. Si omiſſa ſit à proprietario exactio cautionis, non id eſt imputandum proprietario, ſed Fructuario, ad cujus officium pertinet offerre ſatiſdationem *l.* 1. *C. de uſufruct.* & propterea in dolo eſſe dicitur: atque hac ratione, ſi fructuarius non poſſit docere plures res non eſſe tranſlatas, per alia proprietario eſt conſulendum juris remedia.

EXER-

EXERCITIUM XXVII.

Resp. JOHANNE FRANCKEN.
Lubecensi.

Ex tit. C. D. & Inst. de servitutib.

THESIS PRIMA.

SErvitus realis est vel rustica vel urbana. Rustica, quæ prædio rustico;urbana, quæ urbano utilitatem præstat. In omni autem servitute desideratur. 1. ut sit prædium, cui sit constituta: cum uti qualitas sine subjecto esse non potest, ita nec servitus sine prædio. *§. pen. Inst. h.* 2. ut semper utilis sit servitus: quia cum nulla utilitas est, nihil valet *l. Quotiens.* 15. *D. h. arg. l. Et ideo* 5. *D. si servit. vindic. l. Ergò.* 5. *§.* 1. *D. de Serv. Rust. dior.* Uudè servitus prædialis, ut pomum decerpere liceat, ut spaciari, ut cœnare in alieno possimus, imponi non potest. *l. ut pœnam.* 8. *D. h.* Ratio dubitandi. Vide Donell. 11. *comment.* 1. I. Potest sine prædio subsistere servitus, quia efficaciter constituitur ædificio, quod nondum est. *l. pen. D. h. l. Si servitus.* 23. *§.* 1. *D. de servit. urban. præd. l. Labeo.* 10. *D. de servit. præd. rust. cor. l. pen. D. eod. l. fin. D. si serv. vindic. l. Heredes.* 25. *§. contra* 10. *D. fam. ercisc.* II. Etiam inutilis potest constitui. *l. pen. D. h.* vel ea, quæ non in utilitate sed amœnitate consistit. Ita aquæductus *l. Hoc jure* 3. *pr. D. de aqua quotid. & æstiv.* prospectus. *l. Quotiens.* 15. *§.* 1. *D. h.* ac similes servitutes quæ ad solam amœnitatem pertinent. *l. Competit.* 16. *§.* 1 *D. Quod vi aut clar.* Vide D. Busium. *in d. l. pen. D. h.*

2. Vicinitatem in prædiis, quibus servitus constituta est vel quibus est acquisita, requiri jure receptissimum est. *d. l. Quotiens.* 15. *pr. D.* 4. *fin. verb. vicino inst. h.* Nec distingui oportet inter urbanas & rusticas servitutes. De rusticis sunt expressi textus *in l. Ergo.* 5. *§.* 1. *l. fin. D. de servitut. præd. rustic.* ac ratio hujus juris est mani-

manifesta: quia si vicina non sint prædia, utilitas nulla potest ad ea redundare. & ubi nulla est utilitas, ibi nec servitus. Quæ ratio cum valeat etiam in urbanis, cum & textus multi generaliter loquantur, jus aliud in urbanis dici nequit. *arg. l. Illud.* 32. *D. ad l. aquil.* & de urbanis est responsum *in l. In tradendis.* 7. §. 1. *fin. D. Comm. præd.* Vide Donell. 11. *Comm.* 2. Cæpoll. *de servit. Vrb. c.* 2. *n.* 18. Ratio dubitandi. Ex *l. si quis duas.* 6. *pr.* Ex *l. In tradendis.* 7. §. 1. *D. Comm. prædior. l. Et ideo.* 5. *l. Et si forte.* 6. *D. si servit. vindic.* Vide Vult. 1. *Jurisp. Rom. c.* 63. *n.* 50.

3. Non est dubium, quin & testamento constituantur servitutes §. *fin. Inst. h.* cum legatum rectâ via transeat ad legatarium. *l. Legatum.* 10. *D. de legat.* Uti & contractu. *d.* §. *fin.* Ratio dubitandi. Non consistit obligationum substantia in eo, ut servitutem quis suam faciat, sed tantum persona personæ astringatur ad præstandum. *l. Obligationum.* 3. *D. de Oblig. & act.* Ut nec dominia aliter transeunt quam facta traditione *l. Traditionibus.* 20. *C. de pact.* ita nec servitutes, quæ res ipsas afficiunt *arg. l. fin. D. h.*

4. Servitutes reales ipso jure nec ex tempore nec ad tempus constitui possunt, uti nec sub conditione nec ad eam. *l. servitutes.* 4. *D. h.* Cæterum si vel tempus vel conditio adjiciatur, per pacti vel doli exceptionem occurretur vindicanti servitutem contra placita. *d. l. servitutes.* 4. Vide Connan. 4. *Comment.* 8. Donell 11. *Comm.* 10. Ratio dubitandi. I. Imò & diem & conditionem recipiunt. *l. Heredes.* 25. §. *Contra.* 10. *D. Famil. Ercisc.* II. Ususfructus admittit diem vel conditionem *l. Vsusfructus.* 4. *D. de usufruct.* Cur non ergò servitus realis? III. Ipso jure Modum ferre possunt servitutes reales. *d. l. servitutes.* 4. §. 1. *D. h.* Cur minus tempus vel conditionem, cum modus conditioni æquiparetur. *l.* 2. *C. de his quis sub mod?* IV. Cur magis dabitur exeptio pacti vel doli ob ejusmodi adjectionem, quam ipso jure defendi poterit

con-

contrahens eo modo? Non enim per indirectum & circuitum quid concedendum est, quod directò fieri nequit.

5. Servitutum realium pars in obligationem deduci non potest: quia usus earum est individuus. *l. Via itineris.* 17. *D. h.* Pro parte dominii nec acquiri, nec adimi posse in confesso est. *l. pro parte.* 11. *D. h.* Unde nec unus ex sociis potest imponere vel rectè acquirere servitutem *l. unus.* 2. *D. h. l. proprium in fin.* 5. *D. Commun. prædior.* Ratio dubitandi. I. Expresse responsum est *in l. Ad certam.* 6. *D. h.* Ad certam partem fundi servitutem tam remitti quam constitui posse: Per partem servitutem retineri. *l. ut pomum.* 8. §. 1. *D. h.* II. Imò si quis eam parti constitui velit, totam acquirit. *d. proprium.* 5. *D. Commun. prædior. l. si pactem.* 19. *D. Quomadm. servit amittant.*

6. Dubitandum non est, quin servitutes præscribi possint ad exemplum rerum immobilium *l.* 2. *C. de servitut. & aq. l. fin. C. de longi tempor. præscript. l. Si quis diuturno.* 10. *D. si servit. vindicet. l.* 1. §. *fin. D. de aqua & aq. pluvia. l. Foramen.* 28. *D. de servitut. prædior. urbanor. l. apparet.* 5. §. *pen. D. de itiner. actuque privat.* Ratio dubit. I. Ex *l. servitutes.* 12. *D. h.* ubi in omnibus speciebus servitutum negatur usucapio, cujus juris ratio est in promtu; quia servitutes sunt jura incorporalia, quæ non possidentur. *l. possideri.* 3. *D. de acquir. vel amitt. poss.* & ideo earum nulla est usucapio *l. Sine possessione.* 25. *D. de usucap.* II. Videtur esse statuendum potius; ut cum rebus, quibus inhærent, possint usucapi. *l. sequitur.* 4. §. *si viam.* 27. *l. si aliena res.* 10. *D. de usurpat. & usucap.* cujus ratio est certa, quia servitutes sunt qualitates & habitus prædiorum. *l. Qui fundus re verbis. Fundus enim qualiter se habens &c. D. Quemadm. servit. amittant.* & corporibus accedunt. *l. servitutes.* 14. *pr. D. h.* III. Præstat distinguere inter continuas & discontinuas servitutes, Ut in illis sit usucapio, non in hisce: quia non

est

eſt earum uſus perpetuus & continuus, procedat Vide Hottomann. 4. *obſervat.* 2. Sichard. *ad l.* 1. *C. h.* Cæpoll. *de Servitut. c.* 19. IV. Satius eſt diſtinguere inter acquiſitionem veræ & quaſi ſervitutis: inter utilem ex ea acquiſitioue actionem ac directam *l.* 1. *in fin. verbis eritque ea quaſi ſervitus: in quam rem utilem actionem habemus.* D. *de aqua & aq. pluv. arcend. l. ſi quis diuturno.* 10. D. *ſi ſervit. vindicet. l.* 1. C. *de ſervitut.* V. Cum huic rei nullum certum ſive ordinarium tempus ſed immemoriale tempus præſcribatur. *l. hoc jure.* 4. §. *Ductus.* 4. *D. de aq. quot & æſtiv.* Melius eſt definire pro regula, quod ſervitutes non præſcribantur.

7. Non ambigo, quin ad directam & veram præſcriptionem ſervitutum, quæ fit eo tempore, quo uſucapiuntur res immobiles, ſit neceſſarius titulus: Cum enim præſcriptio fiat exemplo immobilium *l. ſi aquam* 2. *C. h* eorumque jure ac regulis. *l. fin.* C. *de præſcript. longi tempor.* etiam titulum requiri abſolutè eſt ſtatuendem. Cum & in immobilibus & mobilibus is deſideretur de eſſentia. *l. Celſus.* 27. D. *de uſurpat. l. Nullo.* 24. C. *de Rei vindicat.* ac vix ubi juſtus non eſt titulus, poteſt eſſe bona fides. *arg. l. fin. C. unde vi.* Bona fides autem præciſe ab hac re abeſſe nequit. *l. fin.* D. *Quemadm. ſervitut. amittant.* Vide Duaren. *lib.* Coraſ. *in d. l. ſervitutes.* 14. D. *h.* Ratio dubitandi. I. In legibus omnibus, quæ agunt de præſcriptione ſervitutum *l. ſi quis diuturno.* 10. *D. ſi ſerv. vindic. l.* 1. §. *fin. in fin.* D. *de aquin. & aq. pluv. arcend. l.* 1. 2. *C. h. l.* 4. §. 4. D. *de aqua quotid. & æſtiv.* nulla fit mentio tituli, ſed tantum conſuetudinis & uſus. II. Longè eſt alia ratio in ſervitutibus quam in corporalibus rebus cum ſervitute quis nemo poſſit uti, niſi ſciente vel conſentiente Domino *d. l. ſi aquam.* 2. *C. h.* à quo cauſa ſive titulus proceſſiſſe præſumitur propter ſcientiam ſive tacitum conſenſum. Mobilia verò vel immobilia etiam ignorante domino ab alio poſſunt poſſideri. *arg. l. fin. C. de præſcript. long. tempor.* Vide Donell. 11. *Commentar.*

mentar. 12. Gomez. 3. *variar. resolut.* 15. Fachin. 8. *controv.* 22. Covarr. 1. *resolut.* 17. *d.* 7.

8. Scientiâ autem vel patientiâ ad præscriptionem servitutum non esse simpliciter opus, est verius. Propter textum generalem *in l. fin. C. de præscript. longi tempor. l. un. C. de usucap. transform.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. si aquam.* 2. *C. h.* qui textus desiderat absolutè scientiam: Quia per modum conditionis loquitur, *si sciente eo duxisti*: Quæ verò ita conditionaliter dicuntur, necessitatem, maximè, si per duos ablativos efferantur, habent. II. Ubique desideratur, ne clam quis utatur. *d. l. si quis diuturno.* 10. *D. si servit. vindic. l.* 1. *in fin. D. de aq. & aq. pluv. arcend.* ergò ut dominus sciat: factum enim clam & ex scientia Domini opponuntur. *l. prohibere.* 3. §. *Clam facere. pen. & fin. ac ll. seqq. D. Quod vi aut clam.* III. Cum ignoranti non possit præjudicium creari ex alterius facto. *l.* 29. *D. Mandat.* nec æquum est, nec ut ex ignorantia amittat dominus rem sive servitutem suam, licet sit ignorantia juris. *l. Iuris.* 7. *& seq. D. de Iur. & fact. ignorant.*

9. Servitute simpliciter concessâ per prædium, id totum censetur servire. *l. Si cui simplicius.* 9. *D. h. l. si mihi concesseris.* 21. *D. de servitut. prædior. rusticor.* ita tamen, ut is, ad quem ea pertinet, suo jure civiliter utatur; non per mediam villam nec per medias vineas. *d. l. si cui simplicius.* Quapropter solet pars certa fundi adsignari: quod ubi fuerit factum, reliquæ partes erunt liberæ. *l. Certo generi.* 13. §. 1. *D. de servitut. prædior. rust.* ac portio assignata sola serviet *d. l. Certo.* 13. §. 1. *l. sed quæ loca* 23. *D. eod.* Cum verò incidit quæstio, utri debeat dari electio loci per quem est dirigenda servitus: magis est, ut domino prædii servientis, ea permittatur. dummodo nulla captio legatario in servitute sit. *l. si via.* 26. *D. eod.* In dubio enim solet electio dari debitori *arg. l. In stipulationibus.* 34. *D. de Regul. Iur.* Ratio dubitandi. I. Si non sit destinata pars, per quam volue-

voluerit Dominus fundi dominantis, ei ducere iter vel viam licet. *d. si mihi concesseris.* 2. D. *eod. d. l. Certo generi.* 15. §. 1. & §. *fin.* & cum semel via est directa, non est permissum id mutare. *d. l. si cui simplicius.* 9. II. In ambiguis pactis est facienda interpretatio contra eum, qui legem dixit & sic contra venditorem sive debitorem: quia sibi imputare debet, cur non apertius, cum posset re integra, legem dixerit. *l. Veteribus.* 39. D. *de pact. l. Labeo.* 21. *l. Cum in lege.* 33. D. *de contrah. emtion.*

Ex tit. D. de Servitut. prædior. urbanor.

10. Prædia non loco, sed materia, qualitate, usu distinguuntur. *l. Urbana.* 166. *l. Urbana.* 198. & ibi Gœdd. D. *de verbor. significat. l. si prædium.* 16. C. *de præd. & aliis reb. minor. sine decret. non alien. l.* 1. D. *Commun. prædior.* §. 2. *Inst. h.* Vide Donell. 11. *Comment.* 4 Marc. à Lyclema. *Membran.* 8. Ratio dubitandi. I. Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificiis, accensentur, si in oppidis habeantur, prædiis urbanis. *l. Eo jure.* 4. §. 1. D. *In quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrahat.* II. Prædia sequuntur publicum jus loci, tanquam suum principale: Ita in urbe dici non possunt rustica, nec quæ ruri sunt urbana. Non enim destinatio privati jus rerum locique publicum turbare potest.

11. Servitus altius tollendi, servitus urbana propriè, *l. Urbanorum.* 2. *pr.* D. *h.* duobus modis constituitur. 1. Cum quis cogi potest ad certam altitudinem ædificare, Gothefred. *in d. l. Urbanorum* 2. *verbi altius.* 2. Cum alicui est concessum contra vel præter communem statuti regulam altius habere ædificium: primo altius tollitur jure servitutis, posteriori jure dominationis. Ratio dubitandi. I. Altius tollendi non est urbana, sed rustica servitus. *l. Rusticorum.* 2. D. *de servit. prædior. insticor.* II. Non potest talis dari Servitus ut

quis

quis cogatur altius tollere: Cum servitutum non sit ea natura, ut quis aliquid faciat, sed patiatur aut non faciat. *l. Quotiens.* 15. §. 1. *D. h. l. Et si forte.* 6. §. *Etiam.* 2. *D. si servit. vindic. l.* 1. §. *fin. vers. Non ergò. D. de aqua & aq. pluv. arcend.* III. Altius tollendi non potest jure servitutis constitui, cum naturaliter cuique sit liberum ædificare ad eam, quæ ei placuerit, altitudinem. *l. si in ædibus.* 8. *& sequent. in fin. C. de servitutib. & aqua.*

12. Servitutes urbanæ Tigni immittendi, Oneris ferendi, Projiciendi, sunt distinctæ. Tigni immittendi servitus competit ei, cui trabem vel quid aliud, quo ædes contignantur, licet immittere in alienum parietem vel aliam partem prædii alieni. *l. Vrbanorum.* 2. *l. Hoc, quod dictum.* 25. *l. Etias.* 36. *& seq. D. h.* Oneris ferendi competit ei, cui est jus alieno parieti vel columnæ vel alteri parti prædii vicini imponere parietem vel quod aliud onus ad prædii urbani commodum. *d. l. sicut.* 8. *pr.* Species hæ & aliter distinguuntur. 1. Qui oneris debet, ipse cogi potest ad reficiendum id, cui onus incumbit. *l. Et si fortè.* 6. §. *Etiam.* 2. *D. si servit. vindic.* ita tamen, ut fultura ædificiorum ejus, cui servitus debetur, quandiu paries reficiatur, ad eum, cui debetur, pertineat. *l. sicut.* 8. *pr. D. eod. si servit. vindicat.* verum is, cui Tigni immittendi debetur, id juris habet, ut alter cogatur suscipere Tignum & nihil facere vel reficere. *d. l. sicut.* 8. §. *Distant.* 2. 2. Non requiritur de essentia in Oneris ferendi, ut onus in prædio dominante requiescat: in tigni immittendi utique *l. Malum.* 242. §. 1. *& ibi* Gœdd. *D. de Verbor. signific.* Projiciendi competit ei, cui est jus suę domus partem provehendi vel protendendi supra alterius domum vel aream sive alium locum, ita ut nusquam requiescat in vicini prædio. *d. l. Malum.* 242. §. 1. *ubi* Alciat. Forner. Gœdd. *de Verbor signific.* Coras. 3. *Misc. c.* 25. *n.* 5. *& seqq.* quale est Mænianum *d. l.* 242. §. 1. cujus mentio fit *in l. Prætor.* 2.

§. *Cum quidam 6. D. ne quid in loc. publ.* Huic projiciendi servituti affinis est protegendi, quæ ad projiciendi instar speciei ad genus se habet, competens ei, qui jus habet projiciendi certas partes ad suarum ædium protectionem adversus imbres aliaque, quæ ædibus ullo modo nocere possunt. Ratio dubitandi. I. Qui alienum tignum recipit, etiam onus consequenter recipit; cum, qui jus tigni immittendi habet, possit supra tigna immissa ambulatoriam porticum facere, superque eum parietem, in quem immissum est, columnas structiles, quæ tectum porticus ejusque onus sustineant, imponere. *l. sicut* 8, §. *Competit.* 1. *D. si servitus vindic.* Si autem certum sit eum quoque onus recipere, cogitur dominus prædii servientis reficere parietem, in quem immissum est; *l. Et si forte.* 6. §. *Etiam de servitute. D. eod. l. Eum debere. D. h.* II. Iusta quoque ratio suadet, ut qui servitutem immittendi debet, cogatur reficere: quia, qui concedit servitutem simul promittit se facturum in suo ea, sine quibus servitutis usus nullus est, uti notum est: Atqui sine refectione parietis non potest servitutis immittendi esse ulla utilitas, quia sublato pariete omnia immissa & imposita corruunt. III. Etiam mæniana immittuntur *l. servitutes.* 20. *D. h.* non ergò ea possunt referri ad projiciendi, tanquam speciem distinctam ab immittendi.

13. Si quis citra jus servitutis immisum quid à vicino in suum prædium vel onus impositum inveniat, potest id propria authoritate destruere ac tollere *l. Quemadmodum.* 29. §. 1. *vers. aliud est dicendum.* ibidem Gloss. & DD. *Communiter* D. *ad l. aquil.* Cujac. 16. *Observ.* 12. Cæpoll. *h. de servit. præd. urban. c.* 3. *n. h.* 8. Coras. *in l.* 1. *n.* 62. D. *de servitut.* Ratio dubitandi. Non licet vel minimum facere sine Judicis authoritate *l. Extat.* 13. D. *de eo quod met. causa*: cum idcirco vigor judiciorum jurisque publici tutela in medio sit constituta, ne quis sibi permittere valeat ultionem ullam. *l. nullus.* 14. *C. de Iudæ. l. Non est singulis.* 76. *D. de Reg. Iur.*

hinc

hinc recepta est regula, non permitti ab executione facere initium. *l. 1. C. de Execut. rei judic.* Nec obstat, quod videatur prædii servientis dominus id in suo facere, cum quod inædificatur, cedat ei, cui inædificatur ut solet cedere adjunctum subjecto. *l. adeo. 7. §. 12. D. de acquir. rer. domin.* Nam qui immisit vel imposuit, jure servitutis, quam sibi putabat competere, hoc fecit: id verò, quod jure servitutis imponitur vel immittitur, non cedit domino prædii, cui immissum vel impositum est.

14. Sunt servitutes stillicidii avertendi & non avertendi separatæ. Avertendi est, per quam est jus aquam in tectum cadentem, in ædes, cloacam vel aream vicini derivandi. *l. Vrbanorum. 2. D h.* Proprium est huic servituti, quod, qui eam habet, altius quidem possit tollere sed non demittere inferius & deprimere ædificium. per textum & rationem *in l. Servitutes. 20. §. stillicidium, 5. D. h.* Licet autem ædificium, cui hæc debetur servitus, sit sublatum, non tamen tollitur si fuerit eadem specie & qualitate repositum. *d. l. servitutes. 20. §. si sublatum. 2.* Cæpoll. *h. c. 28. n. 6.* Non avertendi est jus, quo vicinus stillicidium suum ab ædibus vicini avertere prohibetur *d. l. 2. D. h.* usum hæc servitus habet non exiguum. Vide Donell. 11. *comm.* 5. Ratio dubitandi. I. Absurdum est, ut qui habet avertendi non possit inferius demittere ædes: eo enim modo fieret, ut stillicidii servitus esset planè inutilis dominanti prædio, eaque ipsa, quæ exigui est momenti, totam domum dominantem faceret servientem. II. Non avertendi jus cuilibet naturaliter competit: non ergo dici potest servitus.

15. Differunt servitutes altius non tollendi & luminibus non officiendi: item luminum, prospectus, ne prospectui officiatur. Altius non tollendi est jus, quo non licet vicino altius tollere, sive officiat luminibus, sive non. Ne luminibus officiatur est jus, quo vicino nec altius tollendo, nec alio ullo modo

viridariis, arboribus prohibitum eſt obſtruere & impedire lumina, poſſumuſque non tantum luminibus officere altius tollendo, ſed & deprimendo *l. qui luminibus.* 11. *l. Si arborem.* 17. §. *Interdum*, 2. D. *h.* Luminum eſt jus, quo vicinus cogitur noſtra lumina, noſtras feneſtras per quas lumen haurimus cælumque intuemur *l. lumen.* 16. *D. h.* excipere in ſuum vel communem parietem. *l. lumen* 4. *l. Eos, qui jus.* 40. D. *h.* Plenior itaque eſt ſervitus ne luminibus officiatur, uti apparet ex *l. Si ſervitus* 23. D. *h.* Proſpectus eſt jus, quo in vel per certum locum proſpicendi facultas eſt. Proſpectui ne officiatur generalius poteſt accipi pro ea, qua conſtituitur jus, ne liceat impedire proſpectum in quemcunque locum. Vel dici poteſt *Proſpectus* eſſe, cum id agitur ut quis habere poſſit jus proſpiciendi, quod antè non habebat vel commodè habere poterat. *Ne* verò *proſpectui officiatur* eſſe, cum hoc agitur, ut nullum poſſit objici obſtaculum proſpectui, quo quis utebatur. Id verò certum eſt, quod, qui ſibi proſpectus ſervitutem comparavit, per conſequentiam hoc juris ſimul adeptus ſit, ne vicinus eum offendat. huc faciunt textus *in l. Ædificia.* 12. *l. Inter.* 15. *& ſeq.* Vide Cæpoll. *h. c.* 34. *n.* 3. Coraſ. *in l.* 1. *D. de ſervit. n.* 37. Ratio dubitandi. I. *Altius non tollendi* ſervitus eſt eadem cum ea, quæ eſt, *ne luminibus officiatur*: quia cum imponitur ſervitus, ne luminibus officiatur, hoc adepti videmur, ne jus ſit vicino invitis nobis altius ædificare. *l. Luminum.* 4. *verſ. cum autem D. h.* II. *Luminum* & *ne luminibus officiatur*, promiſcuè accipiuntur. Ita in *l. Inter.* 15. *& ſeq. D. h.* ſervitus *ne luminibus officiatur* dicitur *luminum* vel *Lumen*. Huc facit *l. ſi ſervitus.* 23. *D. h.* Vide Donell. 11. *Comm.* 5. Cujac. 17. *Obſerv.* 35. III. Non poteſt diſtinctio dari ſolida & realis inter *proſpectum* & *ne proſpectui officiatur.* eſt enim utriuſque idem effectus, eadem vis, idem finis. Vide Donell. 11. *Comment.* 5. Duaren. *libr.* 1. *diſput.* 6. 33. Robert. 4. *Sentent.* 7.

16. Suum

16. Suum parietem aperire, in eo lumina vel fenestram, ex qua in alienum prospiciat, habere suo jure, hoc est vicinis refragantibus, cuilibet permissum est. Non enim est denegandum, ut quis in suo non possit facere, quod sibi conducere putat modò in alienum nihil immittat. *l. sicut autem.* 8. §. *Aristo.* 5. *versic. In suo enim. D. si servit. vindicet.* Vide Donell. 11. *Comment.* 5. Connan. 4. *Comment.* 10. Cæpoll. *h. t. c.*62. D.Tim.Fabr. *disp.* 15. *th.* 6. Si verò alicui ex vicinis nimis id molestum videatur, is poterit in suo ædificare vel quid collocare, quod impediat prospectum. Ratio dubitandi. I. Nequaquam id concedendum est, vel ad lumen vel prospectum, cum nemo re sua uti possit ac debeat, ut molestia afficiat alios. *arg. l. sicut.* 8. §. *aristo.* 5. II. Fenestram habere est species servitutis. *l. Inter.* 15. *& seq. D. h. Cajus in fragm. tit.* 19. Non ergò quilibet suo jure sibi eam parare potest: quandoquidem jura non permittunt, ut quis utatur servitute sibi non constituta ab alio. *arg. l. altius.* 8. *C. de servitut. & aqua.* Et sanè libertas vicini, in cujus locum prospectus ex fenestris alienis patet, non parum imminuitur, quotiens is in aream vel hortum prodiens emissitiis undiquaqne oculis, qui in ipsum porriguntur, latenter cingitur, ac sæpè facta & res ejus produntur: Hinc receptum est jure, ne quis in sua area ædificet, nisi legitimo intermisso spacio. *l. Impp.* 14. *D. h.* Spacium vero illud est duodecim pedum. *arg. l. Ex quo pace.* 12. §. 1. *C. de ædific. privat.* III. Prohibentur fenestræ luciferæ & prospectivæ. *d. l. Ex quo pace.* 12. §. 1. *vers. si enim hoc liceat.* Vide Cujac. 1. *Observ.* 31. *Duaren.* 1. *disp.* 33. Besold. *in delibat. Iur. ex lib.* 1. *D. n.* 12. IV. Annon præstaret controversiam hanc sic decidere, ut liceret quidem luminis causa aperire parietem sed non ob prospectum, &, si ob lumen aperiendus esset, ut inter infimam partem fenestrę & pavimentum sit spacium sex pedum. Ab hac decisione non videtur multum abludere consuetudo.

Ex tit. D. de servitut. prædior. rusticor.

17. Nemini permissum est ire per alterius fundum nisi ei, qui servitutem talem habet. *l. Divus.* 16. *D. h. l. per agrum.* 11. *C. de servit. & aq.* nec quis potest cogi vendendum ad iter per suum fundum: *l.* 11. *C. de cont. Emt. l.* 16. *C. de jure delib.* Ratio dubitandi. I. Licet Thesaurum effodere invito domino, modo de damno infecto caveatur. *l. Thesaurus.* 15. *D. ad Exhibend.* ergo & in alienum prædium ire. II. Imò potest quis cogi, ut vendat iter. *l. Si quis sepulchrum.* 11. *D. de relig.* Vide Cæpoll. *h. n.* 22. *& seqq.* Coras. in *l.* 1. *n.* 77. *& seqq. D. de servitut.* DD. in *d. l. per agrum.* 11. *C. eod.*

18. Iter est servitus & quidem rustica, qua est constitutum jus eundi, ambulandi hominis per fundum alienum. *l.* 1. *vers. Iter. D. h.* Ire autem dicitur & qui vehitur sella aut lectica. *l. Qui sell.* 7. *D. h.* vel equo. *l. Inter.* 12. *D. h.* vel navi: cuique est iter concessum, potest fodere, substruere, fabros & mercenarios in fundum inducere. *l. Refectionis.* 11. *§. fin. D. Commun. prædior. l. si iter.* 10. *D. de servitut.* ex ratione *l.* 2. *D. Iurisdict.* licet eidem gradus, clivos facere: licet & demoliri, quod iter impedit. *d. Servitutes.* 20. *§.* 1. *D. de servitut. præd. urban.* Ratio dubitandi. I. Iter non est servitus. *l. D. servitutibus.* 2. *§. Recte Neratius.* 2. *vers. Namque sciendum est. D. si servit. vindicet.* & rectè: generatim enim est traditum, quod servitus eundi, spaciandi, ambulandi non possit constitui. *l. ut pomum.* 8. *D. de servitut.* II. Iter est servitus personalis. *l. pen. D. de servit. legat. l. plenum.* 12. *§.* 1. *D. de usu & habitat.* Est enim ad usum personæ tantùm: & definitio itineris facit mentionem hominis. III. Iter est servitus non rustica, sed urbana *d. l. Servitutes.* 20. *§.* 1. *D. de servit. præd. urban. l. Iter.* 14. *D. commun. prædior.* IV. Non

it, qui

it, qui equo vehitur: quia jumentum non ad iter sed actum pertinet *d. l. 1. versic. Iter. vers. actus:* D.h.

19. Actus est jus agendi vel jumentum vel vehiculum. Itaq; qui iter habet, actum non habet; qui actum habet & iter habet, etiam sine jumento. *d. l. 1. actus. d. l. Qui sella. 7. versic. Qui actu.* D. h. Potest is autem, qui actum habet, ire sine jumento non tam jure servitutis specialis, quam ex consequentia: quia amplius in actu est. *l. non debet. 22. l. In eo. 110. D. de Reg. Iur.* Vide Donell. 11. *Comment.* 6. Duaren. 1. *disput.* 31. Cujac. 22. *Observ.* 35. Marcum à Lydem. 3. *Membran. Eclog.* 12. Ratio dubitandi I. Qui ad iter egit & non obtinuit & postea ad actum agit, dicitur aliud petere: *l. Si mater. 11. §. si quis iter petierit. 6. D. de except. rei judicat.* Itaque si aliud sit iter, aliud actus, non potest iter esse in actu. II. Is demum habet actionem de servitute actus, qui actum habet sine itinere *l. loci. 4. §. 1.* D. *si servit. vindic.* III. Si iter in actu esset nulla distinctio daretur inter actum & viam: cum via consistat itinere & actu tanquam partibus viam constituentibus. *l. Et per jusjurandum 13. §. 1. in fin. D. de acceptilat.* IV. Conveniens est, ut singulis servitutibus suæ sint & certæ formæ quæ eas constituant, & absurdum, ut nimis confusè una sub alia comprehendatur. V. Actus est, cum non est vehiculum. *l. si tam angusti. 13. D. de servitut.* ac malè vehiculum agi dicitur.

20. Via est jus eundi & agendi & ambulandi *d. l. 1. versic. via est.* D. *h. pr. versic. via. Inst. h.* Nam & iter & actum & se via continet. Se continet, id est suas proprietates. 1. quod latitudinem certam habeat ex lege. *l. viæ latitudo. 8. D. h.* 2. quod jus vehundi complectatur absolute. 3. quod simul contineat jus hastæ ferendæ, lapidis tignive trahendi. *d. l. Qui sella 7. D. h.* Itaque certum est, in via esse iter & actum, tanquam speciales servitutes. Vide Duaren. 1. *disp.* 31. Cujac. *d. Observ.* 35. Coras. *ad d. l. 1. num. 99. & seqq. D. de servitutib.* unde, si convenerit, ut quis viam sine itinere habeat

non valebit conventio, ut quidam opinantur; verum mihi id non placet, cum via distinctam habeat essentiam, & suas proprietates, de quibus antè. Ratio dubitandi. I. Non est conveniens viæ definitio, quia eadem & actui tribui potest. II. Præstaret pro *eundi*, legi, *Vehundi*. Via enim quasi vehia à vehendo. D. Althus. 1. *Dicæolog. c.* 12. Deindè verbum *eundi* malè hic positum, cum post *agendi* addat JCtus *in d. l.* & *ambulandi*. Sin autem, *Vehendi*, legatur, via hæc tria continet. 1. Per verbum *vehendi*, se ipsam. 2. Per *agendi*, actum. 3. Per *ambulandi*, Iter. Id optime respondet verbis sequentibus: *nam & Iter & Actum & Se Via continet*. III. Imò videtur non valere pactum, ut quis viam habeat sine itinere vel actu, hoc est, non possit ire sine jumento vel possit vehi, lapidem trahere, rectam hastam ferre, ire, sed non agere: quia pacta contra essentiam & naturales proprietates rerum nullius sunt momenti tanquam remota à jure communi ejusque legitimo ordine. *l. Iurisgent.* 7. §. 7. §. *Et generaliter.* 16 *l. si tibi decem.* 17. *D. pen.* D. *d. pact. l. nec ex solemni.* 27. *D. de Reg. Iur.* Vide Donell. 11. *comment.* 6.

21. Si quis fundum, confinibus undique prædiis non servientibus, circundatum habeat, eumque non possit adire, compellet judex proximum confinem, ut aditum concedat. *arg. l. Testatur. pen.* D. *si servit. vindic. l. pen. D. de servit. prædict. urbanor. l. servum.* 44 §. *fin. D. de legat* 1. *l.* D*amnas.* 15. §. 1. *D. de usu & usufruct. legat.* Publicè enim expedit, ne cui rei suæ usus intereat: præcipuè id in prædio rustico admittendum est ob favorem agriculturæ. Vide Bocer. *class.* 5. *disp.* 8. *Thes.* 23. ubi allegat Mansuer. & alios. Ratio dubitandi. I. Sine lege loqui erubescimus *Novell.* 18. *c.* 5. Nulla est lex, quæ confini proximo talem necessitatem vendendi imponit: leges enim suprà allegatæ ad hanc rem non pertinent,

cum specialem habeant rationem: nam loquuntur de legato usufructu ac præsumta voluntate, voluisse censeatur testator, ut eo casu daretur ad prædia usufructuaria aditus. II. Obstat generalis regula: Nemo tenetur invitus rem suam vendere, vel onus suis rebus imponere. *l. Invitum* 11. *l. In vendentis* 13. *& seq. C. de cont. Emt.* III. Imputet sibi, cur tale prædium sibi comparaverit. *arg l. factum.* 155. *D. de reg. Iur.* IV. Potest inveniri alius hujus rei exitus: locet is, qui talem habet fundum, proximis, qui confines habent agros.

22. Aquæductus est servitus realis rustica, ex qua nobis est jus per fundum aut fossam alienam ducendæ aquæ vel nostræ ut ab ea liberetur nostrum prædium, vel alienæ ad irrigandum nostrum fundum vel adaquanda pecora. *pr. in fin. Inst. h.* Cui verò concessus est ductus suæ aquæ, in suum prædium nequit recipere alienam exonerandam, & cui alienæ concessus est ad utilitatem sui prædii, nequit alteri aquam concedere. *l.* 1. §. *Illud.* 15. *D. de aqua quotid. & æstiv. l. Ergo.* 5. *in fin. l. Qui duo.* 29. *l. Cum essent.* 33. §. 1. *D. h.* Nemini enim est permissum aliter uti servitute quam ad utilitatem sui prædii. *dd. ll.* nec constitui potest fructus servitutis. *d.l. Cum essent.* 33. *in fin.* Ratio dubitandi. I. Aquæductus est servitus urbana. *l. Si ego.* 11. §. 1. *D. de public. in rem act.* II. Aquæductus est servitus personalis, quæ sine prædio consistit. *l. Lucius.* 47. *D. h.* III. Cum est constitutus aquæductus, is inservit commodo Domini prædii dominantis: quocircà & idem dominus eo tanquam proprio suo jure & aqua sua uti potest & aliis eam concedere. *l. Rusticorum.* 2. §. *fin. D. h.* Est enim domino permissum de rebus suis disponere pro lubitu. *l. in re mandata.* 21. *C. Mandat.* IV. Id verè dici posset, quod si sufficiens sit aqua omninò id permittendum sit: nec enim invidendum

eſt domino prædii dominantis, ut fructum aliquem capiat, modò aquam non nimium exhauriat, & domino prædii, ex quo eſt aqua, non noceat: Æquitas enim ſuggerit etſi jure deficiamur, ut concedatur id quod alicui prodeſſe poſſit & alteri non noceat *l. In ſumma. 2. §. Item Varus. 5. in fin. D. de aqua & aqua pluv. arcend.*

Ex tit. D. Quemadm. ſervit. amittantur.

23. Interitu prædii ſimul & ipſa ſervitus tollitur; quia ſine prædio eſſe nequit. *§. pen. Inſt. de ſervit. prædior. ruſt. & urban.* Quid dicendum, ſi prædium reſtituatur? etiam ſervitutem reſtitui eſt verius. *l. Servitutes. 20. §. ſi ſublatum. & ibi Coſtal. 2. D. de ſerv. præd. urban. l. Certo generi. 13. l. Et Attilicinus. 35. D. de ſerv. præd. ruſt. l. Si locus. 14. D. h.* Vide Donell. 11. *comm. c. fin.* Arum. *Exercit. 5. Theſ. 15.* Ratio dubitandi. I. Sublato corpore, omne jus interit & qualitas rei. *l. 2. D. de uſuf.* II. Obſtare videtnr textus in *l. ſi ager. 23. & ſeq. D. quib. mod. uſuf. amitt.* Vide Bocer. *claſſ. 5. diſp. 8. Theſ. 71.* Weſenb. *in paratit. l. h. n. 4.*

24. Confuſione amittuntur ſervitutes. Fit verò confuſio, cum idem utriuſque prædii dominus eſſe cæperit. *l. 1. D. h.* undè, & ſi ſocii in commune emant fundum qui communi prædio ſerviebat, ſervitus extinguitur. *l. Si communi. 27. D. de ſervit. prædior. ruſticor.* Nec enim res propria nobis ſervire poteſt. *l. Uti frui. 5, pr. D. ſi uſusf. petat. l. In re communi. 26. D. de ſervitut. prædior. urbanor.* Quocircà, ſi fuerint confuſæ ſervitutes, & res ipſæ poſt vendantur, vendentur liberæ, ſi nihil ſit dictum. *l. ſi quis ædes. 30. D. de ſervit. prædior. urban.* Servitutes verò non tolluntur confuſione, cum quis pro parte eſt dominus factus; in totum enim quoad illam partem retinentur. *l. ut pomum. 8. §. 1. D. de ſervit. d. l. ſi quis ædes. 30. §. 1.* Pariter, ſi per plures

plures fundos habeam servitutem, ac summum & medium, interjectis item & aliis, mihi comparaverim, nulla fiet confusio *l. si cum servitus.* 15. D. *h. l. Tria prædia.* 31. D. *de servit. rust. prædior.* Ratio dubit. Si translata sint prædia in alios, reviviscunt servitutes, malè ergò supra positum, libera ea vendi. Nominatim enim responsum *in l. Si ei, cujus.* 9. D. *Commun. prædior.* Si ei cujus prædium mihi serviebat, heres extiti, & eam hereditatem vendidi tibi, restitui in pristinum statum servitutem oportere: & *in l. Papinianus.* 18. D. *de servitutib.* In omnibus servitutibus, quæ confusæ sunt per aditionem, responsum esse doli exceptionem nocituram legatario, si eas non patiatur iterum imponi. Et *in l. venditor.* 2. §. *Et si servitutes.* 19. D. *de hered. vel act. vendit.* si servitutes sint amissæ per aditionem hereditatis, ex vendito venditorem posse experiri adversus emtorem, ut servitutes ei restituantur. II. Onera realia res comitantur *l. Rei annonariæ.* 2. *& fin. C. sine cons. vel reliq.* & non attendi oportet, à quo possessæ fuerint: Conditio enim personæ possidentis non immutant qualitatem & conditionem rerum: *l. via constitui.* 23. §. *si fundus.* 2. D. *de servit. præd. rusticor.* qualitas verò rerum maximè est servitus.

25. Non utendo quoque amittuntur servitutes *l. Nam satis* 6. §. 1. *vers. & sibi quisque dominorum verbis: sibi non utendo deperdit.* D. *h.* per lapsum decennii inter præsentes, vicennii inter absentes. *l. Sicut* 13. *& seq. C. de servit. & aqua.* Est autem aliquod discrimen inter urbanas & rusticas. Hæ sola cessatione intereunt, nec in iis opus ullo facto illius, qui præscribit. *l. partem.* 19. §. 1. *D. h.* Illæ verò non aliter, quam si factum ejus, cujus prædium servit, accedat: ut si quid novi fecerit, ex quo possit constare de interpellatione possessionis ususfructus. *l. Hæc autem jura.* 6. *& seq.* D. *de serv. præd. urban. l. si quis alia.* 18. §. 1. D. *h.* Vide Donell. 11. *Comm. c. fin.* Bocer. *d. class.* 5. *disp.* 8. *Th.* 70. Connan. 4. *Comment.* 12. *n.* 6. 7. Ratio dubirandi.

di. I. Hactenus non potuit dari justa differentiæ ac firma satis ratio, ob quam aliter jus sit dicendum in urbanis quam in rusticis. Præceptum verò cui ratio non est, assumi pro lege nequit. *l. Quod non ratione.* 39. D. *de leg.* Varietas nimia rationum observari potest in traditis ab Accursio ad *l. hæc autem.* 6. *in verb. tuas.* D. *de serv. præd. urb.* Donell. *d. loc.* Coras. *in l. servitutes.* 14. *n.* 42. D. *de servitut.* & ibid. Forcatul. *n.* 23. quocirca nonnulli, cum diffidant posse inveniri ullam, confugiunt ad Asylum Iuris, intima non valentibus rectè perscutari erectum à ICto Juliano *in l. Non omnium.* 20. D. *de legib.* II. Videtur tota hæc causa decidi *in d. l. sicut* 13. *C. de servit.* ubi Impr. idem in rusticis vult observari quod in urbanis & contra adeoque omnem differentiam sustulit. III. Imò non utendo non possumus amittere servitutes *l. Et atilicinus.* 35. D. *de servit. præd. rustic. l. Iter.* 4. D. *h. l. viam.* 2. D. *de via publ.* Id autem certissimam habet rationem, quia ea quæ sunt meræ facultatis, non sunt subjecta præscriptionum juri

---

EXERCITIUM XXVIII.

Resp. HENRICO à GERWEN, Lugdunensi Batavo.

Ex tit. D. si quadrup. pauper. fecisse dicatur.

THESIS PRIMA.

GEneraliter actio de pauperie locum habet, quoties quadrupes, non fera, contra naturam mota feritate pauperiem dedit. *princ. Inst. h.* Ita quidem, ut, etiamsi ex morbi dolore sit concitata & nocuerit, hæc actio jure optimo intentari possit. Sin autem secundum naturam damnum intulerit, depascendo scilicet

licet gramina, alio judicio agendum erit vel proprio de pastu ex *l. 12. tabb.* si nullius factum accesserit vel ex l. Aquilia *l. fin. D. ad l. aquil.* si scilicet impulsa fuerit, vel aliud factum sive culpa hominis accesserit. Bald. *in d. l. fin. C.* vel præscriptis verbis, cum quis glandem, quæ ex aliena arbore cecidit in suum fundum, immisso pecore depascit *l. Qui servandarum.* 14. *§. fin. D. de præscript. verb.* Ratio dubitandi. I. In actione *si quadrupes pauperiem*, non de cicuribus, sed & de fera quadrupede agitur directò *l. 1. §. Et generaliter.* 7. *verbis: fera mota. D. h.* Malè ergò ad non feram tantum hæc actio restringitur. II. Non est necesse, ut contra naturam quadrupes noceat; cum, etsi secundum naturam suam quid agat in detrimentum alterius, sit huic actioni locus: ita de equo naturâ suâ calcitroso, de bove cornu petere solito, qui naturali vitio cornu petendi laborat, responsum est *in d. l. 1. §. Itaque. 4. D. h.* III. Cum dolore quadrupes est concitata, cessat hæc actio. *d. l. 1. §. Et generaliter. 7. verbis: Ideoque si dolore concitatus equus calce petierit, cessare hanc actionem.* IV. Non agitur ob gramina depasta ex l. Aquilia tunc tantum, cum impulsa est quadrupes, sed omni casu, etiam cum non est impulsa: quandoquidem *d. l. fin. C. ad l. Aquil.* est generalis & non distinguit. V. Cum quis depavit fructus, qui ex aliena arbore ceciderunt in suum fundum, datur actio ad exhibendum. *l. Iulianus. 9. §. 1 D. ad Exhibend.* Adeo ut actio præscriptis verbis, cujus sit mentio eo casu *in d. l. Qui servandarum.* 1. *§. fin.* non possit exerceri; cum ei non detur locus, nisi omnibus aliis, quæ ex jure civili descendunt, deficientibus. *l. 1. 2. 3. D. de præscript. Verb.*

2. Non est permissum de jure civili alienam pecudem deprehensam in fundo nostro includere; sed oportet vel eam abigere sine Domini damno vel dominum admonere, ut eam recipiat *l. Quintus 39. §. Quamvis. 1. D. ad l. Aquiliam.* Si verò de domino non con-

conſtet, magis eſt, ut cuſtodiatur, donec poſſit ſciri, ad quem pertineat, teſtandæ ejus rei cauſa *arg. l. Capite quinto.* 25. *D. ad l. Iul. de adulter.* Ratio dubitandi. I. Imò & jure civili retineri poteſt, quandiu dominus damnum reſarciverit, vel ſaltem caverit. Ita, ſi ratis ſit delata vi fluminis in agrum alterius, cavendum eſt & de præterito & de furturo damno. *l. Celſus ſcribit.* 5. §. *ſed & ſi ratis.* 4. *D. ad Exhibend.* Idem probatur per *l. Hoc amplius.* 9. §. 1. *D. de damn. infect. l. Ratis.* 8. *D. de incend. ruin. & naufrag.* II. Si poſſet Dominus pecoris id recipere & cogeretur is, cui damnum eſt illatum, reſtituere, antequam vel damnum reſarciret vel caveret, injuria ſumma inferretur ei, qui damnum ſenſit: cum leges omnes magis, ut quis incumbat rei quam actionem in perſonam moveat, expedire doceant. §. *Vnde conſtat.* 14. *D. de Oblig. q. ex delict. naſc. l. Plus cautionis.* 25. *D. de reg. jur.* ac nemini poſſeſſionem ſive detentionem auferant, dominoque nolint reſtitui rem ſuam vel jus ſuum, antequam ea, quæ abſunt detinenti quæque liquida ſunt, ſint ſoluta â Domino vel illiquidorum nomine ſit cautio præſtita. *arg. l. Adeo.* 7. §. *Ex diverſo.* 12. *verſ. D. de acq. rer. domin. l. ſtatuliber.* 5. *D. de ſtatulib. l.* 1. §. 11. *D. de Collation.* III. Videtur denique textus *d. l. Quintus.* 39. §. *Pomponius* 1. male hactenus acceptus & intellectus: Non enim negat retentionem fieri poſſe, donec vel re vel cautione ſatisfactum ſit ratione dammi illati per pecus, ſed prohibet tantum incluſionem, perquam ſcilicet ex fame pecus poſſet interire, vel quæ aliter noxia eſſet & pecori & ejus domino. Quod eo magis admittendum eſt, quia locorum Conſuetudines, quæ optimè leges interpretantur *l.* 37. *D. de legib.* retentionem admittant.

Ex

Ex tit. C. & D. de l. Aquil.

3. In l. Aquilia resarciri solet eodem modo damnum, sive dolo sive culpa illatum. *§. ac ne is quidem. 3. vers. nam alioquin. Inst. h.* Extrinsecus verò ob dolum agitur. Si ergò per dolũ sit interfectus servus, potest non tantum ex l. Aquilia sed & publico judicio ex l. Cornelia agi: ita quidem, ut neutrum judicium alteri præjudicet. *l. Inde Neratius. 23. §. si dolo. 9. D. h.* Culpam verò hic non tantum latam, quæ solet dolo comparari, sed & levem ac levissimam accipimus. *l. In lege. 44. D. h.* Non verò satis manifestè decisum Iure, an ob levissimam culpam in omittendo sit danda actio ex hac lege, & consequenter, an ob levissimam culpam possit agi ex h. l. contra depositarium ac similes, qui de lata culpa vel qui de levi ac lata tantum tenentur. Respondeo negativè: cum lex Aquilia, factum, quod in omissionis culpam non ita cadit, desideret. *pr. junct. §. Capite tertio 13. Inst. h. t. t. D. h.* Omissio quidem & negligentia l. Aquilià punitur, sed non ea, quæ ad culpam levissimam spectat, nisi agatur de illis, qui peritiam alicujus rei aut robur profitentur, uti sunt Medici, Obstetrices, de quibus. *l. Qua 7. §. fin. & l. Item si 9. D. h. junct. l. Idem. juris. 8. §. 1. D. h.* Muliones, de quibus *d. §. 1.* Nautæ, de quibus. *in l. Quemadmodum. §. Item labeo. vers. planè si culpa. D. h.* ac arbitror non posse contra depositarios & similes agi ob levissimam culpam ex l. hac: Siquidem enim contractui iisque, quæ ex natura contractus sunt præstanda, satisfactum sit, ulterius quæri non debet. Huc facit textus *in l. Si vendit. 11. D. de peric. & commod. rei vend. l. Si putator. 31. D. h.* Ratio dubitandi. I. Imò & in omittendo ob levissimam culpam agere licebit, propter generalitatem textus *in d. l. In lege 44. D. h.* II. Nunquam ullius negligentiæ vel facti, ex quo alius damnum sentit per injuriam, debet esse impunitas: Factum enim

enim cuique ſuum, non alteri ſive adverſario nocere debet. *l. Factum.* 155. D. *de Reg. Iur.* neque alteri per alterum iniqua conditio eſt inferenda. *l.* 74. D. *de Reg. jur.* Nec in omiſſione negari poteſt eſſe factum; cum is qui non facit id quod facere debet videatur facere D.Buſ. *in l. ſi ſervus.* 27. *n.* 2. D. *h.*

4. In eo, qui confeſſus eſt falſo hominem ſe occidiſſe, ſi poſteà paratus ſit oſtendere hominem eſſe vivum, ceſſat aquilia. *l. Indè nentius.* 23. §. *fin.* D. *h.* Ea enim, quæ ſimulatè ſunt concepta ac dicta veritati non præjudicant. *l.* 1. *&. t. t. C. plus valere quod agit.* Si verò poſteà nequit docere eum eſſe in vivis, & conſtat eum eſſe occiſum, licet ignoretur autor, tenebitur confeſſus de occiſo. *d. l. Inde neratius.* 23. §. *fin.* cujus legis hic eſt ſenſus, quod actor ex l. aquilia non debeat probare adverſarium occidiſſe, ſi is eſt confeſſus, ſed oporteat hominem eſſe occiſum licet, non ſit occiſus à confeſſo ſed ab alio. *l. Si is,* 4. D. *de confeſſ.* Ratio dub. I. Qui eſt confeſſus ſe interfeciſſe tenetur de occiſo, ſive ipſe ſive alius occiderit, ſive quis ſit occiſus ſive non, ſecundum effatum Davidis: *Cædis tuæ cauſa eſt ſuper caput tuum: nam os tuum eſt teſtatum contra te.* 2. *Samuel. cap.* 1. *v.* 16. Idem expreſſi textus noſtri juris confirmant. Hinc *in l. Proinde,* 25. §. *fin.* D. *h.* inquit Ulpianus: notandum, quod in hac actione, quæ contra confitentem datur, judex non rei judicandæ ſed æſtimandæ detur. Hinc Impp. *in l. ſi quis in hoc genus.* 10. *verbis: in convictos ſeu confeſſos reos C. de Epiſcop. & cleric.* convictos & confeſſos pro iiſdem habent, ut & *in l. Servos* 8. *verbis: confeſſionibus teſtium aut propriis docebuntur. C. ad. l. Iul. de vi publ. & priv. Et in l. Qui ſententiam.* 16. *C. de pœn.* II. Ex Confeſſione ſola non eſt quis condemnandus: Divus enim Severus reſcripſit, confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem judicantis inſtruat. *l.* 1. §. *Divus.* 17. D. *de Quæſtionib.*

5. Si

5. Si plures in turba rixati sint & pugnaverint, ûnusque sit interfectus, nec appareat cujus ictu perierit, omnes de occiso tenebuntur, & si cum uno agitur, reliqui non liberabuntur. *l. Item mela.* 11. §. *Sed si plures.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Nimis est durum, ut ob unum homicidium multi puniantur qui non interfecerunt & quorum aliqui certò sunt innocentes, utputa de quorum dolo non constat. Satius verò est in tam gravi causa nocentem dimittere quam innocentem condemnare *l. Absentem.* 5. D. *de pæn.* Est enim in pænis mitior sententia semper eligenda. *l. Pen.* D. *eod.* ex communi regula: leges proniores sunt ad absolvendum ac liberandum quàm condemnandum. *l. Arrianus.* 47 D. *de oblig. & action.* II. Imò, quoties cum uno actum est & is pœnam solvit, reliqui liberantur ab actione ex delicto descendente. Responsum enim est *in l.* 1. §. *Si plures.* 4. ubi Gloss. D. *de eo per quem factum erit, quo minus judic. se sist. Si plures dolo fecerint, omnes teneri: sed si unus præstiterit pœnam, reliqui liberantur.* Et *in l. licet.* 6. *in fin.* D. *Naut. caupon. stabul.* sæpius de unius hominis admisso non esse quærendum & propterea, si unus quid præstiterit, reliquis dari exceptionem: Ut & *in l.* 1. §. *fin. l.* 2. & 3. D. *de his qui dejec. vel effuder. in l. Si multi* 6. D. *de publican. & vectigal.* Idem rescriptum est *in l.* 1. *C. de condict. furtiv.*

6. Frequens est quæstio de incendio in ædibus orto, cui in dubio detrimentum ex eo imputari debeat. Videtur sic posse convenienter distingui; ut, si is, apud quem ortum est, teneatur ex contractu damnum passo de levissima culpa, resarcire damnum debeat: præsumuntur enim incendia culpa inhabitantium fieri *l. Nam salutem.* 3. §. 1. *versic. & quia* D. *de offic. Præfect. vigil.* Idem est, si convenenisset antè, *ut ignis innocens haberetur. l. Si quis domum.* 9. §. *si colonus.* 3. *l. videamus.* 11. §. 1. *in fin.* D. *locat. cond.* vel, *ne fœnum in villa componeretur*, & compositum fuerit. *d. l. videamus* §. *fin.*

vel alias quid contra legem ob eam rem contractui dictam vel morem communem sit factum. Multo magis, si convenerit, *ne ignem haberet* & habuerit: hoc casu etiam tenebitur, licet casus fortuitus admiserit incendium ex eo igne. *l. Videamus* 11. §. 1. quia non debuit ignem habere. Si vero sit casus, quo non tenetur alteri de levissima culpa is, apud quem ortum est, sed de levi vel lata, conveniri hujus damni nomine nequit, licet etiam ejus servi sese reddiderint vel in committendo vel in omittendo latæ aut levis culpæ reos. *l. Si vendita.* 11. D. *de per. & comm. rei vend. arg. c. cum ad Sedem. de restitut. spoliator.* nisi probari possit, quod negligentior in eligendis servis vel ministris fuerit. *l. Si servus.* 27. §. *si fornicarius* 9. §. *Proculus* 11. *D. h.* Servorum autem culpæ nomine agi potest, si nulla negligentia domini doceri possit, contra dominum judicio noxali. *d.* §. *Proculus.* 11. Et hodie contra ipsos ministros & famulos actione ex l. Aquilia. Ratio dubitandi. I. Imò, qui de levi culpa alteri tenetur, cogitur damnum ex incendio in suis ædibus orto præstare: quia præsumuntur in dubio incendia fieri ex levi culpa. Nam *in d. l. Nam salutem.* 3. §. 1. *D. de offic. præf. vigil.* de culpa simpliciter agitur & quoties nomen *culpæ* invenitur simpliciter positum, de levi id accipi solet *l. si ut certo* 5. §. *Nunc videndum.* 7. *vers. sed ubi utriusque.* D. *commod. l. Contractus.* 23. D. *de Reg. Iur. l. Si cum venderet.* 13. §. 1. & *seq.* D. *de pign. act.* Delr. *in d. l. Contractus.* itaque non potest *d. l.* 3. de alia specie intelligi quam de levi. II. Imò ex incendio damnum latâ tantum culpâ datum præstandum est; alias venia indiget. *l. Si fortuitò.* 11. *D. de Incend. ruin. naufr.* III. Non tantum suam paterfamilias levem culpam, sed & suorum servorum præstat; quia quilibet tenetur de damno, quod illatum est per eos, quorum opera utitur. §. *fin. Inst. de obligat. q. quas. ex delict. nasc.* Et si propter ejecta & effusa teneatur is qui inhabitat, licet nulla in culpa sit *l.* 1. D. *de*

de his qui effud. vel dejec. cur non absolute tenebitur de incendio, quod ex malitia vel negligentia servorum fit?

7. Qui alienas ædes, ad quas nondum ignis pervenerat & quæ certò non erant perituræ, intercidit metu ne ad se ignis perveniret, cogendus est damnum ita datum resarcire. *l. Si alius fecerit.* 7. §. §. *Est & alia.* 3. D. *Quod vi aut clam.* Nemini enim permissum est res suas servare cum incommodo alterius. Ratio dubitandi. Directò contrarium respondetur *in l. Siquis fumo.* 49 §. 1. *D. h. & in l. Quo naufragium* 3. §. *Quod at.* 7. *vers. Quemadmodum* D. *de Incend. Ruin. & Naufr.* ex hac ratione, Quia injuria nulla fit ab eo, qui se tueri voluit, cum alias non possit: & solent ea, quæ ex improviso, casu & ex necessitate magis, quam fraude accidunt, nunquam noxæ imputari. *l. Scientiam.* 46. §. *Qui cum.* 4. *pr. D. h. l.* 1. *C. Ad l. Cornel. de ficar.* Vide Salicet. *in l. Quæ fortuitis.* 6. *n,* 11. *c. de pignor. act.*

8. Si ædes vicini, ne ignis latius serpat ad totius viciniæ ædes, fuerint destructæ, non semper à vicinia communi contributione sunt restituendæ: sed tunc demum, si ita convenerit, *arg. l.* 1. §. 6. *D. Deposit.* vel si incertum sit an ædes, si non destructę fuissent, per incendium periissent *arg. l.* 1. *& seq.* D. *ad l. Rhod. de jact.* Si verò certum sit, eas ædes nullo modo potuisse esse salvas, nihil contribuetur. *d. l. Si alius fecerit.* 7. §. *Est & alia.* 4. D. *quod vi aut clam. Huc facit textus in l. metum.* 9. §. *animadvertendum.* 1. *vers. D. de Eo quod met. caus.* Ratio dubitandi. I. Semper debet fieri contributio à tota vicinia, sive convenerit sive non, sive certum sive incertum fuerit ædes æque perituras: quia æquissimum est, ut communi contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. *l.* 1. D. *ad l. Rhod. de Iact.* vel, uti *in l. Si laborante.* 2. *pr. in fin. ibidem* inquit Paulus, est æquissimum commune detrimentum fieri eorum, qui, propter res aliorum amissas, consecuti sunt, ut suas salvas haberent. II. Ex casu fortuito

incidens damnum ab iis qui communem ;habent causam communiter ferendum est. *l. Cum duobus.* 52. §. *Quidam sagariam.* 4. D. *Pr. soc.* incendium vero est casui fortuito ascribendum *l. Incendium.* 11. C. *si cert. petat. l. Contractus.* 23. *in fin.* D. *de Reg. Iur.* III. In dubio humanius est plures in talibus onerare quam unum. Si enim uni totum imputetur, ejus facultates vel in totũ vel magna ex parte consumentur : si omnibus, facilius feretur onus, & quidem maxime cum toti viciniæ eo modo sit prospectum. Ita quoque ex publico damnum restituendum docet Sande *lib.* 5. *Decis. frisic. t.* 7. *de fin.* 3. si ædes ad arcendos hostes, qui æquè easdem occupassent, sint dirutæ. vide Bald. *in d. l. si laborante.*

9. Si navis tua impacta in meam scapham damnum dederit & in potestate nautarum fuerit, ne id fieret, cum nautis agendum est ex l. Aquilia: sed, si fune rupto aut cum à nullo regeretur, incurrisset, cum domino non est agendum. *l. Quemadmodum.* 29. §. *si navis. D. h.* Ratio dubitandi. I. Ratis, si vi fluminis illata in alienum fundum damnum dederit, non potest tolli, nisi de damno præterito caverit ejus dominus. *l. Celsus.* 5. §. *sed & si ratis.* 4. *vers. Vnde quærit. D. ad Exhibend. l. Hoc amplius.* 9. §. *Neratius.* 3. *D. de damn. infect.* Cur non damnum est resarciendum, si illata sit in scapham? II. Si ob pauperiem, quam fecit contra naturam & sine ulla culpa domini animal, quod sensu caret. *l.* 1. §. *Ait.* 3. *D. si quadr. paup. fec. dicat.* dominus conveniatur ut aut noxiæ æstimationem offerat, aut animal quod nocuit, det sive dedat *l.* 1. *D. eod. pr. &* §. *itaque.* 4. Idem ergò ob damnum illatum per navem, cujus regendæ rationem accuratissimam esse oportet, statuendum; ita tamen, ut domino navis supra sui non noceat precium. Hinc quoque ex lege Draconis res inanimatæ apud Athenienses dederunt pœnas. testib. Pausan. Demosthen. Suida. III. Si fune rupto vel cum à nemine regeretur navis incurrit, cum domino est agendum. 1. Quia dominus

in culpa est, quod non bonis funibus vel gubernatore navem instruxerit. 2. Quia contextus & verba in *d. l. Quemadmodum.* §. 29. *si navis.* 2. monent, ut negatio in verbis, *cum domino agendum non esse*, tollatur. Vide Anton. Fab. 5. *conjecturam* 17. *& ad d. §. si navis. in rationalib.*

10. In actione ex l. Aquilia totum hoc quod interest petendum, licet excedat duplum: Nulla enim lege expressum est, ultra duplum nihil esse præstandum: quinimò, cum hereditates ac similia, quæ duplum servi occisi excedunt, præstari oporteat §. *Illud non ex verbis.* 10. *Instit. h.* dubium esse non debet. Accedunt & textus generales *in l. Proinde.* 22. *pr. & seq.* D. *h. l. Iulianus.* 13. *pr. versic. Si verò sciens.* D. *de action. Emt.* l. *Interdicto.* 6. D. *de vi & vi armat. l. Inficiando.* 67. §. 1. *& seq.* D. *de furt.* Et sane esset iniquum, ut in delictis totum, quod abest, non possit quisque consequi, & ex alieno facto sentiat detrimentum: cum ad hoc lex Aquilia sit inventa, ut indemnitati consuleretur. Nec unquam adjuvandi sunt delinquentes juris beneficiis *l. Auxilium.* 37. *in fin.* D. *de minorib.* Vide Alciat. *tract. de Eo quod inter. c.* 10. Donell. 26. *Comment.* 18. Molinæ. *de eo, quod interest. quæst.* 8. *n.* 154. *& seqq.* Nec puto hic distingui oportere inter damnum dolo & culpa illatum: cum tantum in hac causa ratio damni habeatur & lege Aquilia non aliter dolus quam culpa puniri soleat. §. *Ac ne is quidem.* 3. *Inst. h.* Ratio dubitandi. I. Generaliter definitum, sententias, quæ pro eo quod interest non proferuntur, posse plus quam duplum complecti. *l. un. C. de eo, quod interest.* II. Expressè traditum est *in l. Domini* 6. *& l. fin.* D. *de calumnatorib.* eos, qui studiosè in hoc incumbunt, ut servum per calumnias accusent ac Domino reddant eum inutilem ac damnum eo modo inferant, eo nomine in duplum esse condemnandos. huc faciunt textus *in l. si postulaverit.* 27. *pr. & §. fin.* D. *ad l. Iul. de adulter. l. Patre.* 6. D. *de quæstion.* III. In-

interdicto uti possidetis fit æstimatio ejus quod interest, quanti revera res est, *l. Si duo. 3. §. fin. D. uti possidet* ergò non ultra duplum. Interdictum verò uti possidetis ad delictum violentiæ, per quam possessio turbatur, pertinet. *arg. l. 1 verbis: vim fieri veto.* D. *eod.*

11. Uxorem & liberos, Mariti ac patris interfecti nomine agere posse hac actione, ut iis præstentur operæ, quibus caruerunt & carituri sunt ad familiam paternam sustentandam, æquitati consentaneum est. Uti iidem repetere possunt sumtus factos in curationem, *arg. l. Qua actione. 7. pr. & §. si quis in colluctatione. l. liber homo* 13 *l. nam sicut.* 36. D. *h.* Non enim est justum, ut cum æstimentur depreciationes aliarum rerum & quicquid ullo modo abest, non habeatur ratio viduæ & liberorum, quibus omnis utilitas hæc ademta. Deindè nec æquum est, ut facinus tale privatim non puniatur: & cum ipsi libero homini vulnerato detur hæc actio *d. l. liber* 13. contra rationem statueretur, eam non dari uxori atque heredibus: cum pœnales actiones etiam ab heredibus possint moveri. Vide Wesem. *in paratit.* 5. *n.* 7. Gomez. 3. *resolut.* 3. *n.* 37. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Huic scripturæ.* 15. §. 1. *vers. sed si vulneratum. & l. seq* D. *h.* II. Quia absurdum est, ut heres consequatur precium occisi ejus, cujus est heres. *d. l. nam. sicut.* 36. §. 1. *versic. nam sanè* D. *h.* Undè & liber homo tantùm suo, non ergò hereditario nomine habet actionem. *d. l. liber.* 13. D. *h.* cumque de libero tantum vulnerato, non occiso agi posse responsum est. *d. l. Qua actione* 7. §. *si quis in colluctat. vers. In filiof.* D. *h.* Vide Paul. Berens. *disputat.* 14. *Them.* 1. *quæst.* 4. Cujac. 21. *Observat.* 20.

12. Nulla habetur ratio deformitatis ex cicatrice & doloris ex vulnere libero homini illato. *l. fin. vers. Cicatricum.* D. *de his qui dejecer. l. Ex hac lege.* 3. *vers. scilicet ut.* D. *Si quadrup. pauper. feciss. dicat.* cum liberi corporis & eorum, quæ ad id pertinent, nulla sit æstimatio, *dd. ll.* Ratio dubitandi. I. Durum nimis & contra

contra rationem id esse receptum videtur. I. Quia in nullo debet esse sceleris impunitas. *l. nũnquam.* 2. *D. de privat. delict.* & malitiis non est indulgendum. *l. in fundo.* 18. *D. de Rei vindicat.* hoc verò casu id fieret: quandoquidem mali homines ea ratione invitarentur inimicis suis ad levia vulnera, notas manifestas inducentia, infligenda ac ita à Deo ornatam deformarent faciem. II. Per cicatrices sæpe quis fit inutilis sibi ac Reipub. non enim ad optata matrimonia vel honores admitti ita notatos observamus nec sanè hac injuria læso sed lædenti nocere debet *l. non debet.* 74. *l factum.* 155. *D. de Reg. Iur.* III. Per dolores exhauriuntur vires & cui eæ desunt, non ita operari potest: cum itaque ob operas cessantes detur locus actioni, ergò & ob imminutum per dolores robur. IV. Si læso nihil pro cicatricibus & dolore retribuatur, is dolore justo motus in hoc omnis erit, ut par pari referat: Hinc pugnæ frequentes, familiarum perturbationes, cædes quandoque. Præstat ergò ob publicam tranquillitatem, ob æquitatem rei & ut majoribus turbis occurratur, aliquid læso adjudicari eo nomine, quam per nimiam subtilitatem fovere errorem pernitiosum. *arg. l. si servum.* 91. §. *sequitur.* 3. *vers. Esse enim hanc. D. de verbor. Obligat.* & permittere, ut vitæ animæque subditorum in discrimen veniant, & Iustitiæ ac legibus, quæ suum cuique tribui volunt, non satisfiat plenissimè. *Nov.* 69. *in præfat.*

13. Si non petierit duplum, qui propter inficiationem ad hoc agere poterat, *l. contra* 4. *C. h.* ei Iudex non potest adjudicare, quia actio eo nomine datur & concepta est. *l. lege aquilia.* 2. §. 1. *l. Inde Neratius.* 23 §. *Hæc actio.* 10. *D. h.* §. *omnes autem actiones* 27. §. *In duplum agimus.* 23. *Inst. de actionib.* Quia ubi nulla est actio mota, ibi potestas Iudicis non potest exerceri. *arg. l. ut fundus.* 18. *D. Comm. divid.* Nunquam enim officium suum impertit Iudex nisi rogetur. *l. Dies.* 4. §. *Hoc autem Iudicium.* 8. *D. de damn. infect.* Vide Bald. Sich.

in d. l. Contra. Ratio dubitandi. I. Iudex supplet ea, quæ sunt Iuris. *l. un.* C. *ut quæ advocat. part. des. Iud. suppl.* atqui juris est, ut inficiando lis crescat. Undè & ex natura ipsius actionis duplum debetur jure ipso §. *fin.* I*nst. de* Oblig. *q. ex quas. contract. nasc. d. l. 2. §. 1. & l. 23. §. 10.* D. *h.* II. Tantùm ad judicis officium hæc causa referenda est, non ad petitionem partis. Nam rescriptum est simpliciter. *d. l. contra.* 4. C. *h.* negantis condemnationem fieri in duplum, nulla ibi facta mentione necessitatis ad hoc agendi. III. Non obstat: Iudex non rogatus nihil facit; quia cum in genere actio coram eo proponitur, semper rogatur & à jure & litigantibus, ut judicet secundum id, quod legibus & moribus est proditum *pr.* I*nst. de off.* I*udic.* adeoque, cum eo modo rogatus est, impertiat ut suum officium necesse est.

14. Etiam datur actio in duplum contra eum, qui qualitates essentiales damni à se dati negat. Perindè enim est ipsum crimen negare vel eam qualitatem, quæ ipsum crimen tollit. *arg. l.* 15. *D. ad l. Corn. de sicar.* Ita docuit Sichardus *in d. l. Contra.* 4. *C. h.* Idem dicendum est, sive directa sive utili aut in factum agatur: Leges enim non distinguunt. Duplum autem non veri rei precii præstandum est, sed omnis interesse: Nam quoties in simplum agitur, omne quod interest petitur, *§. His a. verbis. Inst. d. l. Ait lex* 21. *in fin. D. h.* Ergò est & id omne est duplandum. *arg. l. Item, si.* 14. *§. 1. & §. Quadruplatur. 7. D. de eo quod met. caus.* Ratio dubitandi. I. Pœnæ & odia ampliari non debent *c. odia. de Reg. Iur. in 6.* Loquuntur omnes textus de eo, qui se damnum intulisse negat. *d. l. Contra.* 4. *C. h.* non ergò extendere licet ad eos, qui ad defensionem allegant justam causam damnum inferendi. II. Imò duplari oportet tantum verum precium. *l. In furti actione.* 50. *pr.* D. *de furt.* vel id, quo quis emere rem voluisset *l.* 52. *§.* 29. *D. eod.* qui textus licet loquantur

tur de furto, possunt tamen & ad hanc causam referri; cum furtum sit magis odiosum.

Ex tit. D. de nox: action.

15. Actio noxalis caput sequitur. *l. Qui ex pluribus.* 20. *l. fin. D.* 1. *C. h.* adeo ut qui post commissam noxam dominus fuerit factus, is solus conveniri debeat. §. *Omnis.* 3. *Inst. h.* Nec tantum dominus verus judicio noxali pulsari potest sed & bonæ fidei possessor. *l. Et generaliter.* 28. *D. h* Ratio dubitandi. I. Non debet delictum, quod servus commisit, cum alterius dominio subjectus esset, nocere novo domino: Debet enim prior dominus noxæ solutum servum præstare ex ædilitio edicto. *l.* 1. §. 1. *l. Quis sit fugitibus.* 17. §. *Quod ajunt. ædiles.* 17. *D. de ædilit. Edict.* II. Non potest hæc actio dari simpliciter contra possessorem. 1. Quia ea tantum adversus verum dominum parata est. *l. si servus.* 27. §. *servi.* 3. *ad l. Aquil.* 2. Quia is, qui dominium transferre nequit, noxæ deditione non liberatur *l. si noxale.* 27. §. 1. *vers. non tamen. D. h.* Bonæ fidei autem possessor non potest dominium transferre *arg. l. Nemo.* 54. *D. de Reg. Iur.* 3. Quia possessor non tenetur servi corrupti. *l.* 1. §. 1. *D. de serv. corrupt.*

Ex libro Decimo,

Ex tit. C. & D. Finium regundor.

16. Finalis quæstio tollitur tantummodò præscriptione 30 annorum. *l. fin. C. h.* eodemque tempore fines acquiruntur & amittuntur. Cum enim sit actio de finibus mixta, tam in rem quam personam. §. 10. *D. de actionib.* præscribi ea breviori tempore nequit *l. Hereditatis.* 7. *C. de petit. hered.* Add. *l. sicut.* 3. *C. de præscript.* 30. *vel.* 40. *annor.* Vide Sichard. & DD. *in d. l. fin.* Ratio dubitandi. I. Hæc actio speciem qui-

ciem habet actionis in personam, sed reverâ est pro vindicatione *l.* 1. *D. h.* debet igitur jus vindicationis rerum immobilium, quæ longo tempore perimitur *l. fin. C. de long. tempor. præscript.* sequi: cum à potiori ac magis naturali causa & ex ipsa re jus sit constituendum. Unde & expressis verbis responsum est, 1. Fines præscribi longo tempore, & ad exemplum totius fundi longa possessione acquiri. *l. Qui fundum.* 7. §. 1. *in fin. D. eod.* Fines autem nihil aliud sunt quam partes fundi quæ eum limitant. III. Quinque pedum nulla est præscriptio *l. pen. C. h.* Nec ulla sufficiens ratio dari potest, cur non idem dicendum sit de in aliis pedibus sive finibus.

Ex tit. C. & D. Famil. Ercisc.

17. Iudicium familiæ erciscundæ datur inter coheredes tantum. *l.* 1. *D. h.* Is verò qui id instituit, non statim confitetur adversarium esse coheredem suum *l. Qui familiæ.* 37. *D. h.* Durum nimis est, ut heredi error in tantum noceret: cum in errante nullus sit consensus *l. Non fatetur*, 2. *D. de confess. l.* Nihil. 116. §. *fin. D. de Reg. Iur. l.* 15. *D. de jurisd.* Sive enim sit error facti, sive juris, non præjudicat. Error facti nemini nocet. *l. Error.* 8, *l. Regula.* 9. *pr. D. de Iur. & fact. ignorant.* uti nec Juris, si per eum quis sit amissurus rem suam. *l. Iuris.* 7. *& seq. D. eod.* ac consequenter, si ex hac causa à Judice quis sit condemnatus, id ei non nocebit: etiam distractis rebus, *dd. ll.* Ratio dubitandi. I. Ob textum *in l. Cum putarem.* 36. *D. h.* II. Cum ipse egerit, debet sibi imputare, cur eum tanquam coheredem agnoverit. Potuisset opponere exceptionem præjudicialem, ut prius ageretur cum adversario, an is heres esset. *l.* 1. §. 1, *D. h.* quem exceptionem cum omisit, eum ut coheredem admisit: reprobare enim nemo potest, quod anteà probavit, in tantum, ut necesse sit apud judicem pro rato haberi, quod quis

quis probavit. *l. Pomponius*. 9. *D. de Negot. gest. l.* 2. *C. de pact.* III. Si condemnationes ex hoc judicio sint factæ, eæ nocebunt, ut pòst non liceat agere: Quia non datur repetitio ejus, quod ex causa judicati est in alium ex voluntate translatum, licet error fuerit commissus *l.* 1. *C. de Condict. Indeb.* propter authoritatem judiciorum. *l. si fidejussor.* 29. §. *In omnibus*. 5. *D. de condict. indebit.* Vide Hotomann. 5. *Observat.* 1.

18. Etiam unus petere potest arbitrum familiæ erciscundæ. Nam provocare ad vel apud Iudicem vel unum heredem posse palam est: Igitur & præsentibus cæteris & invitis poterit vel unus arbitrum poscere. *l. Arbitrium*. 43. *D. h.* junct. *l. Qui potest*. 26. *D de Reg. Iur.* Ratio est, quia nemo compelli potest, ut in communione, quæ discordiarum mater appellatur *l. Cum pater*. 77. §. *Dulcissim.* 20. *D. de legat.* 2. maneat. *l. fin. C. Commun. divid.* Nec puto, heredem quid committere contra testamentum, qui, cum defunctus mandasset, ne heredes unquam possint dividere hereditaria bona, mandatumque non haberet singularem justamque causam, judicio hoc egerit. *d. l. fin. junct. l. Nemo*. 55. *D. de legat.* 1. Potest verò prohibere testator, ne ad tempus fiat devisio, sc: donec liberi omnes sint facti 30. annorum. *arg. l. Quintus*. 7. *ubi* Bartol. *D. de ann. legat.* Boër. *decis.* 87. Cæterum, si testator jusserit, ut nemo ex heredibus quid sibi habeat aut petat divisionem, priusquam creditoribus omnibus hereditariis fuerit satisfactum, justissime defenditur, non esse ante huic actioni locum. Si itaque, addita tali clausulâ, liberi non specialiter in legitimam, sed simpliciter sint instituti, ac petant sibi præstari legitimam ejusque separationem à reliquis bonis, eam, renitentibus creditoribus, non obtinebunt in bonis ipsis: verum, si creditoribus possit satisferi, alimentorum causâ reditum iis concedendum esse ad eum modum, qui ex legitima haberi posset, æquius est. Si verò Legitimá certò sit adscripta, non potest clausula hæc obesse liberis

ris, quominus ad judicem provocent & suam portionem à reliquorum partibus separari petant. *arg. l. Quoniam.* 32. *C. de Inoffic. test.* Modò nihil fiat ad jus Creditorum, quorum causa est semper præcipua, intervertendum. *arg. l. Non debet.* 74. *D. de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Unus reliquis invitis non potest petere arbitrum vel judicem in hoc judicio. 1. Cum Judex vel Arbiter non detur, nisi ex consensu litigantium. Briss. 2. *Antiquit.* 1. Rævard. *pro Tribun. lib. singular.* 11. 2. Cum in re communi prohibentium sit melior conditio. *l. sabinus.* 28. *D. Comm. divid.* II. Non potest jure jubere pater, ut ad tempus certum maneant communia bona: quia id est contra bonos mores. *arg. d. l. fin. junct. d. l* 77. §. 20. Huc facit textus *in l. si convenerit.* 14. *vers. sed & si convenit.* D. *pro soc.* III. Videtur absurdum, quod liberis non sit concedenda in ipsis rebus legitima, cum clausula est addita de non dividenda hereditate antequam dimissi sint creditores: quia legitima nullam pati potest moram, nullum onus. *d. l. Quoniam.* 32. *C. de Inofficios.* & legitimario debetur ea portio, tanquam æs alienum. *Auth. Hoc amplius. C. de Fideicomm.*

19. Actioni familiæ erciscundæ non præscribitur, quia qui possidet hereditatem ut communem cum aliis, nihil sibi possidet singulariter; ubi autem non est possessio animo sibi quid habendi, ibi nec usucapio vel præscriptio est *l. sine possessione.* 25. D. *de usucap. l. sine possessione. de Reg. Iur. in* 6. Nec quoq; mutare quisquam sibi potest causam possessionis, &, quæ facti sunt, non præscribuntur. Nec sane ullus esset exitus hujus præscriptionis alius, quam ut res perpetuò maneret communis, quod nec legibus convenit, nulloque pacto, nullo testamento juduci potest *arg. d. l. fin. C. Comm. div.* Vide D. Busium *in l.* 1. *D. h.* Costal. *ibid.* Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. §. 1. *versic. Nemo itaque. C. de annal. Except.* II. Omnes actiones personales tolluntur 30. annis. *l. sicut.* 3. C. *de præscript.* 30. *annor.* III. Petitio here-

hereditatis tollitur longissimo tempore *l. hereditatis.* 7. C. *de petit. heredit.* ergo & hæc actio; cum petitio hereditatis sit huic præjudicialis. *l.* 1. §. 1. *versic. Quod si.* D. *h.* Vide Accurs. Bald. Angel. *in d. l.* 1. §. 1. *vers. Nemo.* C. *de annal. Except.*

20. Iudicium Familiæ ercifcundæ, cum sit universale, non amplius quàm semel, agi potest, nisi causa cognita: Quod si quædam indivisæ res relictæ sint, communi dividundo de his agi potest. *l. Si filia nupta.* 20. §. *Familiæ.* 4. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Iudicium hoc non est universale, cum eo quisque ex coheredibus agat ad suam partem: quinimo non tam competit ad partes singulas hereditatis adjudicandas quam ad distribuendas singulas res hereditarias *l.* 1. *pr. in fin. verb. qua inter eos res heredit. distribuerentur. adde l. Item labeo.* 22. D. *l. Quoties.* 10. C. *h.* §. *si familiæ* 4. *verb. singulas res singulis. Inst. de offic. Iudic.* II. Sæpius potest institui hoc judicium, *l.* 1. C. *h. l. Tres fratres* 35. D. *de pact. l. fundus.* 30. D. *h.* potest etiam divisio, quæ perperam est facta, reformari. *l. Majoribus.* 3. C. *Comm. utriusque Iudic.* III. Si aliquid indivisum sit relictum, male ad judicium communi dividundo confugiendum esse dicitur. 1. quia non potest arbiter *famil. ercisc.* videri prius officio suo esse functus & potest defungi, quam omnia diviserit, quæ sunt in hereditate. *l. Heredes.* 25. §. *Iudex.* 20. D. *h.* Est itaque rei singularis divisio appendix officii ejus, quod arbiter sustinet *arg. d. l. Fundus.* 30. D. *h.* ac sic magis ad famil. ercisc. quam communi divid. referetur. 2. In actione instituenda non res de qua agitur, sed jus ejus, qui agit, attendendum est; *l.* 1. §. 1. D. *si pars heredit. pet.* Cum itaque jus dividendæ rei sit ex causa famil. ercisc. universali, & jus communi divid. ex causa singulari non potest haberi ratio Iudicii comm. dividundo: causa enim universalis cum singulari non est confundenda.

21. Cum facienda est divisio, imprimis judex debet attendere ad divisionem à parentibus factam, licet non

non satis solemniter: servari enim oportet voluntatem parentum etiam omni solemnitate juris destitutam, sive sit scripta sive non scripta. *d. d. Si. filia nupta.* 20. §. *si pater.* 3. D. *l. filii.* 16. *in fin.* C. *h. l. hac consultiss.* 21. §. 1. *C. de testament.* sive in testamento sive codicillis expressa. *l. Ex parte.* 39. §. 1. D. *Si cognatione* 21. *C. h.* Ita tamen, ut falcidiæ, vel trebellianicæ & legitimæ sit habenda ratio. *d. l. si cogitatione.* 21. *l. fin. C. h.* Nec distinguo, cum constat de parentum voluntate recte quamvis non solemniter descipta, utrum liberi subscripserint Divisioni an non, utrum æqualiter vel inæqualiter sit facta divisio. *d. l. fin. C. h. l. Parentibus.* 8. *C. de Inoff. testam.* nusquam enim leges distinguunt. Ratio dubitandi. I. Periculosa est & contentionum inter liberos maxima causa, si ea sine ulla solemnitate sit admittenda pro legitima voluntate, *Nov.* 18. *c. Et quod* 7. *in pr.* II. Parentum voluntas non aliter valet, quam, si parentes vel liberi subscripserint. *d. Nov.* 18. *c. & quod.* 7. Vide Bus. *in d. l. si filia.* §. *si pater.* D. *h.* Gail. 2. *observ.* 126. & expresserint integris literis numerum & quantitatem unciarum & in res, quas assignant in divisione liberis, instituant & institutionem ita factam literis declarent. *Nov.* 107. *c.* 1. Requiruntur ergò aliquæ solennitates. 1. Subscriptio parentum vel liberorum. 2. Expressio unciarum per literas sive scripturam. 3. Descriptio per integras literas non ciphras vel notas. 4. Institutio in singulas res. III. In testamento non scripto non valet voluntas facta citra solemnitates, si testator potuerit, scribere: quia *Nov.* 107. de eo est concepta, qui scribere possit. Ita Martin. Fulgos. & Salicer. senserunt. IV. Explorati juris est, æqualitatem inter liberos oportere servari in divisione facienda, vel alius, à ac si nullum sit testamentum conditum, inæqualiter facta divisio, ad æqualitatem est redigenda. *l. Inter filios.* 11. C. *h. Auth. In successione.* C. *de suis D. legit. lib.* Itaque sine solemni testamento non potest fieri divisio

sio ut huic quid amplius quam alteri ex liberis tribuatur.

22. Si pater, qui divisit inter liberos bona omnia, singulis suas ascripsit literis portiones, vocavit notarium, ut is, quæ concepit, in mundum redigat; moriatur antequam Notarius advenerit vel omnia descripserit, quæstionis est, an possit subsistere ea voluntas. Non dubito, quia ad patris voluntatem nec Notarii annotatio nec testes desiderantur, sed sufficit certa ac indubitata voluntas, secundum jura præcedenti Thesi allegata & in specie *l. fin.* C. *h.* Alexand. *in d. l. hac consultiss.* 1. §. 1. Cephal. *consil.* Ratio dubitandi. I. Uti contractus non est plenè celebratus, si aliquid restet, quod in mundum redactum non est, cum hoc actum est ut is describeretur. *l. Contractus.* 17. C. D. *fide Instrumentor.* ita & testamentum non potest dici plene perfectum, si id non sit factum quod testator destinavit ac jussit ad ejus perfectionem fieri Hinc responsum est *l. fideicommissa.* 11. §. *Quotiens.* 1. D. *de legat.* 3. Quotiens quis testamenti exemplum præparat, & prius decedat quam testetur (id est, testamentum plenè secundum intentionem perficiat) non valet. Undè testamenta fieri cœpta pro non factis habentur jure, & sunt nulla. §. *Ex eo solo* 7. *Inst. Quib. mod. testam. infirmant. l. Quotiens* 9. §. *Tantundem.* 5. D. *de hered. Inst.* Dubitari omninò non debet, quin fortè nonnulla coram notario vel significantius vel limitatius vel latius vel explicare vel alia addere vel mutare, ut potuisset, ita voluisset. Adeoque hoc casu voluntatis hic est defectus, ob quem testamenta etiam privilegiata effectu omni destituuntur. II I. Desideratur ex *Nov.* 18. *c.* 7. ut vel ipse Testator vel liberi subscriptione sua tabulas muniant, ut voluntas circa divisionem possit valere. Cum exemplum vel conceptum quid invenitur, nulli us manu corroboratum pro prefecta divisione recipi nequit.

23. Cum itaque paventes vel alii testatores nullam fece-

fecerunt divisionem, Iudex optimè sic dividit, ut ante omnia res omnes æstimet vel per se, vel, si non satis intelligat rerum precia, per peritos & juratos, publica fide adsumtos, æstimatores, ac, si nullis prærogativa debeatur, res omnes recte secundum æstimationem in tot partes distinguat, quot haberi debent, §. *si Familiæ*. 4. *Inst. de offic. Iudic.* ita ut singulis portionibus res singulas vel partes rerum, vel si non possint tribui singulis corpora eorumve partes, fiat in aliquibus pecuniæ adsignatio, uni proprietatis alteri usufructus emolumentum cedat. prout Judici commodissimum videbitur. Hoc pacto, ne ulli ex heredibus favere videatur, per sortitionem singulis addicet portiones antè certo ordine descriptas. *arg. l. fin. C. comm. de legat. & fideic. l.* 2. *C. Quando & quib. quart. pars.* & passim. Debet quoque curare arbiter hujus judicii, ut fiant cautiones, cùm nomine evictionis. *d. l. Heredes*. 25. §. *Item*. 21. D. *h.* licet, si eæ omissæ sint, ipso jure insint. *l.* 13. *C. h.* tùm alias ob causas, non per fidejussores, sed nudam repromissionem *l. Si dictum*. 55. D. *de Evict.* Judex & habebit rationem damni si quod illatum fuerit, fructuum, si qui sint percepti, aliarumque personalium præstationum. *d. §. si familiæ*. 3. *Inst. de offic. Iudic. l. Item labeo*. 22. §. *Familiæ*. 4. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Non debet in hac re fieri sortitio, cum ad eam non liceat confugere 1. nisi quid sit custodiendum ex rebus communibus heredum apud unum, cum omnes sunt ex iisdem partibus heredes. *l. siq. quæ sunt cantiones*. 5. *vers. si omnes* D. *famil. Ercisc.* 2. nisi eligenda sit persona, cum dubitatur de majori hujus quam illius aptitudine. *Actor*. 1. *v.* 23. *& seq. C. cleros. distinct.* 21. 1. *Paralip.* 24. 25. 26. sive res, cujus electio est data *l. fin. C. comm. de legat. & fideicom.* §. 23. *Inst. de legat.* 3. nisi ordinis causa sors mittatur, ut hic sit actor ille reus in duplicibus judiciis. *l. Sed cum ambo*. 14. *D. de Judic.* Verum non est permissum per sortem jus dicere huic vel illi, sed oportet, ex justitiæ regulis adjudicare: quia id non

non judicii sed fortunæ est, Bald. *in d. l. fin. C. Commun. de legat. & fideicomm.* II. Præstat, ut major ex heredibus, maximè si sint fratres heredes, dividat, & eligat minor natu. *arg. c.* 13. *Genes. vers.* 6. *& seqq. c.* 1. *x. de paroch. l.* 1. *C. de his qui defens.* Vide Gail. 2. *Observ.* 116. *n. fin.* Mynsing. 4. *Observ.* 37. Menoch. 2. *Arbit. Iud. q.* 124. Guid. Pap. *dec.* 289.

24. Cum divisio est facta per judicem æstimatione rerum præcedente, & singulis per sortem suæ sunt portiones adsignatæ, potest ea ipsa divisio secundum formam *l. Rem majoris.* 2. *C. de Rescind. vendit.* vel rescindi vel ad æqualitatem reduci, si deceptio ultra dimidium probetur ab actore. Postulat id humanitas, ne Iudicis officium damnosum sit alicui præter intentionem: Cum enim Iudex assumtus est ad justè judicandum, non debet is injustitiæ & iniquitatis esse stabilimentum. Nec enim inde injuriarum occasiones unde jura exspectantur nasci debent. *l. Memineritis.* 6. *C. Vnde vi.* Nec attendi tam debet modus contrahendi, quam id quod æquum & bonum est. Idem jus multo magis statui oportet, si heredes simpliciter sine interventu Iudicis hereditatem diviserint. Est enim divisio loco emtionis. *l.* 1. *C. Commun. utriusque Iudic.* vel permutationis. *l. si Filiæ nupta.* 20. *§. si pater.* 3. *in fin. D. h.* ut & æstimatio, *l.* 1. *C. de Iur. dot.* Uti itaque in emtione ac permutatione locum habet *d. l. Rem majoris.* 2. ita quam maximè in hac causa. *arg. l. Majoribus.* 3. *C. Commun. utriusque judic.* Et sanè nihil æquius est, quam ut per omnia jus suum cuique tribuatur, etiam hoc casu. Ratio dubitandi. I. Nihil est Reip. perniciosius, quam ut, quod Iudex semel constituit, privatorum querimoniis labefactatur *l.* 65. *§.* 2. *D. ad SC. Trebellian.* & in jus ambulare quis cogatur, ut causam sui facti dicat privatis, quorum causam authoritate decidit. Huc faciunt textus *in l.* 1. *C. præd. Decurion. l. Cum putarem.* 36. *D. h. l.* 1. *§. Causæ.* 2. *D. de ædilit. Edict. l. Iustè.* 11. *D. de acq. vel amitt. possess. l.* 1. *D.*

Quæ sentent. sine appellat. rescind. §. fin. Inst. de off. Iudic. Vide Pinell. *in d. l. Rem majoris 2. part. 2. c. 2.* Arum. *disp. singular. 3. ad d. l. Rem. Themat.* 18. II. Non convenit pietati, ut, quæ per sortem huic vel illi obtigerunt, eadem eidem auferantur, vel in totum vel pro parte in rebus aut precio: Cum per sortem nemini fiat injuria, sed judicium Deo tribuatur. Conjicitur enim sors in gremium, sed à Jehova tota ejus ratio. *Prov. 16. v. ult.* Vide Fachin. 8. *Controv.* 36. Fabr. 8. *Error. pragm.* 2. Joh. Decker. 2. *Dissertat.* 7. *n.* 6. 7. 8. III. Non potest præceptum ac jus, quod est in *l. Rem majoris. 2. C. de resc. vendit.* referri ad hunc casum, cum is textus agat de venditione ac tantum venditore. IV. Imò & ob modicam læsionem potest reformatio divisionis fieri *l. Majoribus. 3. C. Commun. utriusque judic.* Vide Fachin. *d. loc. in fin.*

Ex tit. C. & D. Comm. divid.

25. Non semper res potest dividi: qui enim navim dividit, eam perdit: qui equum, eum occidit. Quotiens itaque res communis nullam sine totius interitu aut periculo, vel non satis commodam recipit divisionem, & paria sunt partium jura, præstat eam licitationi, de qua Mornac. *in l. 1. C. h.* subiici, vel uni adjudicari, eumque ut reliquis pecuniam præstet condemnari. Sin autem quis ex sociis majorem reliquis habeat in ea re portionem, ei est ea res adjudicanda. *arg. l. De modo. 7. D. fin. regundor.* si voluerit: vel si noluerit, poterit socius, cui minor est in re portio, postulare ut sibi adjudicetur *l. Sancimus 34. §. ne autem. 2. C. de Donat.* Vide Coler. *decis.* 45. *n.* 10. Sin autem nullus ex sociis sibi adsignari eam desideret, poterit vel publicè ea res divendi, vel sortitione facta uni addici: ita tamen, ut cæteris præstetur suarum partium æstimatio *l. Ad officium. 3. vers. cum autem. C. Commun. divid.* Ratio dubitandi. Indistinctè est traditum ac simpliciter, quòd

quod uni tota res, quæ non recte potest dividi, ex officio judicis, reliquis verò precium suarum partium adjudicari debeat §. *Eadem interveniunt*. 5. *Inst. de offic. indic.* Cessat ergò venditio publica, sortitio, ac prærogativa ejus, qui habet majorem partem.

Ex tit. Cod. Comm. utriusque Iudic.

26. Iudicia *famil. Excisc. & Comm. divid.* cóncurrere non possunt cum actione *neg. gestor. l. heredes*, 25. §. *Non tantum. versic. & ideo D. fam. Ercisc. l. si quis putans.* 6. §. *sive autem* 2. *Comm divid.* Sed hæc ita sunt accipienda, ut *Fam. Ercisc. & Comm. divid.* agi possit tunc demum, cum coheres vel socius gesserit quid, sine quo partem suam non potuit rectè administrare: Iudicium verò *negot. gest.* tunc intentanda sit, si potuerit suam portionem administrore sine eo quod gessit. *d. §. sive autem in fin. l. Si commune* 40. *D. de negot. gest. d. l. heredes*. 25. §. *non tantum*. Vide D. Bus. 1. *subtilit. c.* 18. Ratio dubitandi. I. Datur semper gestorum negotiorum actio, quoties quis aliena gessit negotia. *l. ait prætor*. 3. *pr. D. de negot. gest.* Ergò & *in fam. Ercisc. & comm. div.* judiciis, quia quod commune est, etiam est alienum. II. Rescriptum est expressè *in l. sive pro patre*. 3. *C. de negot. gest.* concurrere actionem *negot. gest.* cum *famil. Ercisc.* III. Responsum est *in l. Mævius*. 52. §. 1. *D. famil. Ercisc.* ea, quæ pro parte expediri possunt, venire in judicium. *famil. Ercisc.*

Ex tit. C. & D. Exhibend.

27. Ad exhibendum potest agere dominus ob suum tignum, quod alius sciens junxit suis ædibus. *l. In rem*. 23. §. *Tignum* 6. *D. de Rei vindicat. l.* 1. *in fin.* D. *de tign. junct.* Non verò illud vindicare. *d. §. Tignum*. 6. Ratio dubitandi. I. Non potest agere ad Exhibendum §. *Cum in suo solo*. 21. *Inst. de rer. division.* II. Imo potest & vindicare *l. fin.* D. *de Tign. Iunct.*

Ex lib. undecimo. tit. C. & D. de aleator.

28. Constitutum est, quod victus in alea non possit conveniri, ut præstet quod perdidit *l.* 1. *Ch. l. fin.* §. 1. D. *quar. rer. act. non dat.* & si solverit, habeat repetitionem, nisi sit valde modicum, tam ipse quam heres ejus, adversus victorem ejusque heredem: & quidem perpetuo, post triginta annos. *d.l.* 1 *.pr.* Quod si vel ipse vel heredes repetere neglexerint, liceat cuicunque volenti & præcipuè defensori civitatis, in qua lusum est, repetere *d. l.* 1. Optima sanè ratione: quia nihil tam pernitiosum est familiis illustribus ac reip. quam aleæ lusus, per quem, præterquam quod cum eo multæ soleant impietates concurrere, familiæ facile subvertuntur. Adeo quidem hoc recipiendum est, ut consuetudo contraria introduci non possit, quæ valeat. *arg. l. Quod non ratione.* 39. D. *de legib. junct. arg. Auth. Navigia. C. de furt. l. Consuetudinis.* 2. C. *Quæ sit long. consu.* Ratio dubitandi. I. Sibi imputet, qui lusit: nec, qui ipse turpiter fecit, quid condicere potest *l. ubi autem.* 2. D. *de cond. ob turp. caus.* Præstaret itaque pecuniam perditam per aleæ lusum fisco addici. II. Consuetudo facit licitum, quod alias est illicitum *c. Objiciuntur. caus.* 32. *quæst.* 4. III. Pugnat cum honore ac existimatione illustrium personarum & nimis vile est repetere, quod perditum est: quocirca Juris *in d. l.* 1. vix ullum exemplum dari potest.

EX-

EXERCITIUM XXIX.

Resp. ABRAHAMO KNYFF, Ultrajectino.

Ex lib. 12. D. tit. de reb. Credit. & si cert. petat.

THESIS PRIMA.

Res dicuntur in genere creditæ ex omni contractu, quem alienam fidem secuti instituimus. *l. 1. D. h. l. Creditorum. 11. D. de verbor. significat.* Contractus rectè distinguitur. Aut enim fit re aut verbis aut literis aut consensu. *§. fin. Inst. de obligat.* Re contrahitur mutui datione, solutione indebiti, commodato, deposito, pignore. *pr. & §§. seqq. Inst. Quib. mod. re Contrah. obligat. est action.* Verbis, stipulatione. *d. l. 1. §. verbis. 7. Eod.* Literis, professione de pecunia numerata in Chirographo facta spe numerationis. *t. t. Inst. de literar. obligat.* Consensu, emtione venditione, locatione conductione, societate ac mandato. *l. Consensu. 2. D. eod.* Ratio dubitandi. I. Contractus literis vere fieri non potest. 1. Quia literarum non fit mentio, cum omnium contractuum species enumerantur. *d. l. 1. §. 1.* 2. Quia in literis non est causa obligandi *l. Non. figura. 38. D. Eod.* & sine causa non est contractus. *l. Iurisg. §. sed etsi. 2. l. sed cum nulla. 4. D. de pact.* & si quis agat ex conventione sive etiam stipulatione, quæ causam non habet, ei obstat exceptio doli. *l. Palan. 2. §. Circa. 3. D. de dol. mal. & met. Except.* 3. Si quis spondeat vel literis vel aliter, spe futuræ numerationis, quæ non sequitur, nulla datur ullo tempore actio. *l. Qui pecuniam. 30. D. h.* II. Nullus fit contractus, sine re, literis vel verbis: ergo malè ii contractus, qui re, literis vel verbis fiunt à cæteris separantur. III. Nullus potest iniri contractus sine consensu *l. 1. §. Convention. 3. D. de pact.* ergò

 con-

consensu aliqui soli non dicuntur fieri. IV. In præcedentibus non plenè enumeranter omnes contractuum species, cum non tantum modis prædictis, sed & delicto contrahatur *l. Post contractum.* 15. *D. de donat. l. Vt si cui ex emto.* 12. *vers. sed et si.* D. *de verbor. signific.*

2. Mutuum est contractus re initus, quo quantitas alteri præstatur, ut eadem ipsa ejusdem generis restituatur. Mutuum contractum esse, probatur. *pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. l.* 1. §. 1. *& seq.* D. *de oblig. & action.* §. 2. *in fin. Inst. de Iur. natur. gent. & civil. l. Certi.* 9. §. *Numeravi.* 4. *D. h.* Re fit mutuum, quia id non aliter contrahitur, quam datione. *l.* 1. §. *Re contrahitur.* 2. *D. de obligat. & act.* non sponsione. *d. l. Qui pecuniam.* 30. *D. h.* Quantitas hæc præstatur in rebus, quæ pondere, numero & mensura constant, quæ in suo genere magis per solutionem recipiunt functionem, quam specie & obligatione. *l. Mutuum.* 2. *D. h.* Itaque ad hoc fit mutuum, ut eadem quantitas, idem genus reddatur. *d. l. Mutuum.* 2. *pr. & l. seq.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Mutuum non est contractus. 1. Quia ex eo non est ultro citroque obligatio, sed tantum ab una parte. Contractus verò non est numeratio, sed obligatio utrinque consistens, in qua est synallagma *l. Labeo.* 19. *D. de verbor. signif.* 2. Quia opponitur contractui *l. Creditores.* 10. *in fin.* D. *eod. l. Denique* 3. §. *sed utrum.* 4. *versic. igitur filius. junct. vers. proinde.* D. *de minorib.* II. Mutuum non tantum re contrahitur, sed & verbis *d. l. Mutuum.* 2. §. *fin.* D. *h.* & literis. *l. In contractibus.* 14. *C. de non numerat. pecun.* III. Non potest dici quantitas dari in mutuo vel quantitas restitui, sed species. *d. l. Mutuum.* 2. *verb. non eandem speciem.* Non enim naturaliter datur vel solvitur quantitas, sed tantum species, quarum æstimatio quantitatem justam explicat.

3. In mutui contractu non potest dici vera alienatio. Id quidem verissimum est, quod species, quæ tra-

traduntur, alienentur. *l. si socius* 16. *Ejus* 41. D. *de* Verum, quod ex eo solo dicenda sit vera alienatio, non video. 1. Quia non est intentio contrahentium, ex qua omnia sunt æstimanda. *l. non omnis*. 19. D. *h.* ut ulla certa species mutuatario acquiratur vel ab eo solvatur, sed tantum quantitas: adeoque species non ad obligationem ejusque causam ac essentiam vere referenda est, sed ab incidentem quantitatis præstationem ac solutionem, Unde genus præstari per species ac idem genus reddi dicitur. *d. l. Mutuum* 2. *pr.* Et in genere suo res, quæ dantur, functionem recipiunt magis, quam specie sua. *d. l. Mutuum.* 2. *pr.* 2. Quia species, quæ dantur à creditore, ipsæ possunt restitui invito creditori si debitor velit: quod in vera alienatione inauditum, ut sc. res, quæ est alienata, alienanti solvatur. Equum, quem Titius vendidit Cajo, Cajus non potest Titio invito solvere, sed tenetur ei ad precium. Equum, quem ex permutatione facienda Cajus accepit, non potest reddere ei qui dedit, sed alium equum vel rem de qua convenit. 3. Quia non tam absolutè alienantur res, quæ pondere numero ac mensura constant ex proposito contrahentium ac natura contractus, quam ex natura rerum, quæ non admittunt usum sui, nisi erogentur, consumantur. Ratio dubitandi. I. Non est mutuum, nisi, quod præstatur, fiat accipientis *pr. junct.* §. 2. *Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* Unde mutuum dicitur, quod ex meo fiat tuum. *d. l.* 2. §. *Appellata.* 2. II. Qui prohibentur res suas alienare, prohibentur consequenter mutuum dare. §. *fin. Inst. Quib. alien. non lic. l. Obligari.* 9. D. *de authorit. tutor.* III. Siquidem nulla fieret alienatio, esset idem cum commodato: quod absurdum esse indicat. §. *Item is.* 2. *Inst. Quib. mod. re contrah. obligat.* IV. Res mutuo data est periculo mutuatarii *d.* §. *Item is.* 2. *l. Incendium.* 11. *C. si cert. pat.* est ergò mutuatarius dominus, quia Domino, non debitori res perit. *l. pignus.* 9. *C. de pign. act. l. si ex legati.* 23. D. *de verb. oblig.*

4. Mutuum non est verum nisi quod sit naturale, quodque omnibus gentibus commune. §. *Sed jus quidem* 2. *Inst. de jure natur. gent. & civil. l. Iurisg.* 7. §. 1. D. *de pact.* Nec ulla alia species est jure cognita. Ratio dubitandi. I. Imò etiam est Civile, in quo non est æquitas naturalis ex numeratione, sed tantùm civilis, cum spe futuræ numerationis se accepisse quis profitetur & ad restituendum se obligat. *de hoc t.t. Inst. de literar. Oblig.* II. Est & Mixtum, cum numerationi est subdita stipulatio. Nam ex numeratione est naturalis, ex stipulatione est civilis obligatio. *arg. l. lecta.* 40. *D. h.* Vide Gloss. Bartol. Dec. Zas. *in l. mutuum* 2. *in f. D. h.*

5. Quod DD. Improprium vocant mutuum, quod per consumtionem confirmatur & parit condictionem, non est dicendum mutuum. Est enim de essentia mutui, ut Dominus det mutuo vel alius nomine aut voluntate Domini *d. l. mutuum.* 2. §. *pen. D. h.* ac Dominus habeat administrationem rerum suarum, qui species, quas mutuo dat, possit in alium transferre. Sic mutuo non dant pupilli. §. *fin. vers. Ideoque Inst. Quib. alien. non lic.* furiosi prodigi & similes. Ratio dubitandi. Imò, licet ab initio non domini, iique qui contrahere alias non possunt, mutuum non rectè dent, confirmatur tamen mutuum per consumtionem, daturque iis condictio ex mutuo, *l. si à furioso.* 12. *in fin. l. seq. pr. &* §. 1. *l. omnis.* 19. §. 1. *D. h.* & semper quoties ex re actio venit, ejusmodi personæ quæ non possunt contrahere, validè obligantur & sibi alios obligant. *l.* 46. *D. de Obl. & Act.*

6. Principalibus constitutionibus cavetur: Ne hi, qui provinciam regunt, quique circa eos sunt, negotientur, mutuamve pecuniam dent fœnusve exerceant, *l. Principalibus.* 33. *D. h. l. hos.* 3. *C. si cert. pet.* Ratio hujus juris est in periculo oppressionis & metu ob potentiam. Quinimò nec gratis pecuniâ alterius uti possunt *Connan.* 7. *Comm.* 2. *n.* 1. Adeò verò hoc jus obtinet, ut ne quidem possint Moderatores provinciarum

emere mobilia vel immobilia in provinciis, quas regunt *l. un.§. provincias. 2.C. de contract. Iudic.* nec contractus eorum valeant post depositum officium, licet post consenserint, *d. §. provincias. 2. in fin.* Pecuniam vero mutuam accipere officiales ac ipsi Præsides non prohibentur. *l. Præsidis* 34. §. 11. *D. h.* Officiales perpetui licitè fœnus exercere possunt. *d. l. Præsidis. pr.* Ratio dubitandi. I. Nimis est inhumanum ut fœnori dare nequeant Præsides, nimis id illiberale. Connan. *d.* 7. *Comm.* 2. *n.* 1. II. Nulla est ratio, cur accipere possint, fœnori non possint dare. Ius enim in correlatis est idem. Et majus est periculum oppressionis circa receptionem quam mutui dationem. III. Expressè constitutum, quod non liceat dare mutuo Iudicibus in provinciis *l. pen. C. si cert. petat.* IV. Non potest ratio dari, cur magis Officiales perpetui possint fœnus exercere, quam non perpetui: Imò in perpetuis major est metus de oppressione & violentia: cum qui perpetuo est in officio, potentior sit eo, qui tantùm ad tempus quid administrat.

7. Præsidibus ne quidem palam & bona fide mutuo dare conceditur. Principales enim constitutiones, non distinguunt *d. l. principalibus.* 33. *d. l. eos.* 3. Accedis ad confirmationem *arg. l. un. C. d. contract. judic.* Vide Fachin. 2. *Controv.* 79. Iason. Alex. Alciat. Zas. *in d. l. principalibus.* Ratio dubitandi. Quæ publicè fiunt ac bona fide, fraude & malitia carent: Ea verò quæ clam committuntur, dolum ac iniquitatem vel sinistram de malo suspicionem habent *arg. l. fin. D. de rit. nupt.* Ita in tutela receptum, ut quæ latenter geruntur, speciem doli habeant, non quæ publicè *l. non existimo.* 54. *D. de administrat. tutor. l. Pupillus.* 5. §. *sanè.* 4. *D. de administrat. tutor.* Vide Angel. Dec. in *d. l. Principalibus.*

8. Receptum est circa pecuniam creditam: 1. Si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, obligatis mihi, quamvis nummos meos non acceperis. *l.*

singularia. 15. *D. h.* 2. Cum ex mandati causa pecuniam mihi debes, & convenit, ut crediti nomine eam retineas, videtur ea pecunia mihi data & à te profecta. *d. l. singularia.* 3. Deposui apud te decem, postea permisi tibi uti, possunt condici tanquam mutua etiam antequam moveantur. *l. certi.* 9. §. *fin.* & *l. seq.* D. *h.* Ita, si deposui pecuniam apud te, ut, si emisses prædium, crediti nomine obligatus esses, hoc depositum est periculo ejus, qui suscepit. *l. si quis nec causam.* 4. *D. h.* 4. Rogasti me ut tibi crederem pecuniam: ego, cum non haberem nummos, lancem tibi dedi vel massam auri, ut eam venderes & nummis utereris: si vendideris, erit mutua pecunia. *l. rogasti.* 11. *D. h.* 5. Si filiusfamilias solverit pecuniam, quam mutuatus erat, pater vindicare quidem eam extantem potest, sed non condicere consumtam. *l. si filiusf.* 14. *D. h.* 6. Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam acceperis, donatio non est, nec mutuum, nec pecunia fiet accipientis, sed si consumseris, dabitur condictio. *l. Si ego pecuniam.* 18. D. *h.* Ratio dubitandi, ad I. Non est mutuum, nisi ex meo tuum fiat. *d. l. mutuum.* 2. §. *Appellata.* 2. & dominus fuerit, qui dat *d. l. mutuum.* 2. §. *In mutui.* 4. Ejus verò pecuniæ, quæ à debitore meo proficiscitur, non sum dominus. *arg. l. Traditionibus.* 20. C. *de pactis.* Ad II. Ex *l. Qui negotia.* 34. *pr.* D. *Mandat.* Ad III. Ex *l. Lucius.* 24. & *l. seq.* §. 1. & *l. si sacculum.* 29. §. 1. D. *deposit.* ubi non mutuum contrahi sed depositum manere dicitur, cum circa depositam pecuniam convenit, ut tantundem redderetur, ut posset uti depositarius: atque ita consequenter usuræ citra vinculum stipulationis ex sola mora debentur & pecunia periculo est deponentis, quamdiu non fuerit usus ea depositarius. Ad IV. Ex *d. l. Qui negotia.* 34. *vers. His argumentum.* D. *Mandat.* Ad V. Ex *l. Sed si paterfamil.* 9. §. 1. D. *Ad SC. Macedon.* ubi datur condictio indistincte omni eventu, sive pecunia sit consumta, sive

sive non. Ad VI. Ex *l. Cum in corpus.* 36. D. *de acquir. rer. domin.*

9. Mutuum non contraho, si jusserim ut debitor pecuniam det, is autem non præstet sed promittat tantum: non enim est mutuum nisi pecunia proficiscatur *d. l. Mutuum.* 2. §. *Creditum.* 3 eaque fiat accipientis: nec mutuum fit promissione *l. Qui pecuniam.* 30. *D. h.* sed datione. Hoc ita, nisi is cui annumeranda erat pecunia, voluerit sibi promitti potius, quam præstari: vel fuerit in culpa aut mora: Eoque si sine culpa pecuniam, quæ ei erat præstanda, non potuerit consequi, satisfaciet, si actionem cedat adversus debitorem priorem ex promissione: Quotiens enim quis tenetur ad id quod actionem habet, liberatur cedendo actionem *l. Quod debetur.* 57. D. *de pecul.* Cum verò in culpa fuerit vel moram commiserit, non tam directò contra eum agetur ex mutuo, quam utiliter ob culpam aut moram. *arg. l. Si & me & Titium.* 32. D *h.* Vid. Castrens. *in l. singularia.* 15. *D. h. n.* 19. Jason. *n.* 31. Zas. *n.* 9. Ratio dubitandi I. Ex *d. l. singularia. in fin.* II. Qui ex promissione habet actionem, rem habet. *l. Is, qui actionem.* 15. *D. de Reg. Iur.* III. Debet sibi imputare, quod receperit promissionem: nam eo ipso omne in se recipit periculum rei & jus creditoris absolute confirmat. *l.* 2. *C. de pact.* IV. Paria sunt solvere & promittere. *l. fin. C. ad l. Falcid.* §. *venditæ.* 41. *Inst. de Rer. divis. l. Si rem.* 9. §. *Omnis.* 3. D. *de pign. act.* V. Ipsum hoc, quod mandaverim debitori meo, est loco delegationis: delegatio autem est loco solutionis etiam in fœnerationis negotio. *l. In eum.* 39. D. *de instit. act.* Solvit qui delegat, inquit, Ulpianus in *l. Quamvis.* 8. §. *Interdum.* 3. D. *Ad SC. Vellejan.* Et bonum nomen facit, qui admittit delegatum debitorem. *l. Inter causas.* 26. §. *Abesse.* 2. *in fin.* D. *Mandat.* ut & qui debitorem suum delegat, pecuniam dare creditur. *l. Qui debitorem.* 11. *D. de fidejussor.* *le* 2. *C. de novat.* Vide Salic. in *d. l. singularia.* Fulgos. in *d. l. si me & Titium.* 32. *D. h.*

10. Ci-

10. Civitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ ſint verſæ, *l. Civitas.* 27. D. *h.* adeoq; res civitatis etiam pro mutuo obligari poſſunt. *l. Si is, qui.* 11. D. *de pignorib.* alioquin, ſi pecuniæ non ſint verſæ in rem Civitatis, illi ſoli qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur. *d. l. Civitas* 27. niſi ii, qui civitatem repræſentant, acceperint vel eorum juſſu Quæſtor. Zaſ. *in d. l. Civitas.* Jaſon *ibid.* Nam ſi ex communi facto ac delicto civitas teneatur. *l. Metum.* 9. §. 1. *D. Quod met. cauſ.* magis ex publico decreto. Eo itaque caſu non erit neceſſe probari pecuniam eſſe in commodum civitatis converſam. *c. pen. x. de Fidejuſſor.* Probatio autem, quod pecunia ſit erogata in rem civitatis, pertinet ad debitorem. *Nov.* 120. *c. Et hoc.* 6. §. *fin.* quamvis civitas opus habuerit pecunia: non enim diſtinguitur. *in dd. ll.* Ratio dubitandi. I. Imò licet ii, qui civitatem repræſentant, acceperint, tamen probanda eſt pecunia verſa. *d. l. Civitas.* 27. II. Cum opus habet civitas pecunia, non eſt neceſſe probare eam eſſe in commodum Civitatis redactam & conſumtam, ſed ſufficit, ſi civitas indiguerit, per textum *in l. fin. pr. & §. fin.* D. *de Exercit. act.*

11 Arbitror eſſe veriſſimum, quòd præceptum *d. l. Civitas.* 27. non habeat locum in aliis contractibus. Jus enim hoc ſingulare eſt, & tantum de mutuo textus in *d. l. Civitas.* agit. Vide Bartol. *in l.* 1. *C. de vend. reb. Civit. lib.* 11. Coſtal. in *d. l. Civitas.* Cæterum non tantùm in nummis mutuò datis, ſed & aliis quantitatibus valet. 1. Quia dicta lex *civitas,* collocata eſt eo titulo quo præcipue agitur de mutui datione in genere, & pecuniæ, cujus ibi eſt mentio, nomen non præcisè ſignificat nummos, ſed in hac materia rem, quæ pondere numero & menſura conſtat. *arg. d. l. Mutuum.* 2. §. *Creditum. verſic. Item. Mutuum.* D. *h.* 2. Adde *l. Receptitia.* 2. C. *de conſtit. pecun. pr. verſ. Cum igitur.* 3. Quia & praxis communis & ratio idem ſuadent. Vide Zaſ. *in d. l. Civitas. n.* 9. & *Communiter*

muniter DD. Ratio dubitandi. I. Etiam cæteri contractus comprehenduntur. 1. Quia civitas in iis tam fruitur beneficio restitutionis, quam in mutuo, *l. Rempublicam.* 3. *d. de Iur. Reip. lib.* 11, 29. 2. Quia pecuniæ appellatio, quæ est in *d. l. Civitas.* 27. refertur ad omnes res, tam soli quam mobiles, tam corpora quam jura. *l. Pecuniæ.* 178. *l. Pecuniæ.* 222. *D. de verbor. signific.* II. Quia cum agitur in d. lege, *Civitas*, de pecunia, numerata intelligitur: pecuniæ enim nomen simpliciter positum tantum numeratam significat *l. Naturalis.* 5. §. 1. *D. de præscript. verb. junct.* §. *Item precium.* 2. *Inst. de Emt. vendit.* maximè in materia exorbitante à communibus juris regulis, sive jure singulari, quale est *in d. l. Civitas. arg. l. Quod vero.* 14. *& seqq. D. de legib.* & magis, quia in dubiis semper, quod minimum est, sequimur. *l. Semper.* 9. *l. In stipulationibus.* 34. *D. de Reg. Iur.* Vide Bald. *in l. Singularia. D. h.*

12. Consistit mutuum in rebus, quæ pondere numero ac mensura consistunt. *d. l. Mutum.* 2. *D. h.* Non tamen in vestibus, lignis, lapidibus: Non in grege ad numerum dato: sed rectè in panibus, si in eadem quantitate & bonitate sint reddendi. Vide Bartol. Castrens. *in d. l. Mutuum.* 2. Cujac. 8. *Observat.* 37. *in fin.* Ratio dubitandi. I. Constitui potest in vestib. lign. lapidib. grege. 1. Quia numero consistunt, & mutuum fit in iis, quæ numero consistunt. *d. l. Mutuum.* 2. Quia id innuit textus *in l. Quod sæpe.* 35. §. *In his, quæ pondere.* 5. *& seq. D. de contrah. Emt.* quandoquidem grex ad numerum datus ibidem confertur cum rebus pondere &c. consistentibus. Vide Cujac. *d. Observ.* 37. II. Non potest in panibus mutuum consistere: quia nusquam id legibus probatur, iique non habent certam semper quantitatem. Vide Accurs. *in d. l. Mutuum.* 2. §. 1. *verb. Creditum in fin.* Azon. *in summa. n.* 18. *C. si cert. petat.*

13. Si pactus sit creditor cum decem dat mutuo, ut unde-

undecim recipiat, non naſcitur ultra decem obligatio. *l. Rogaſti.* 11. §. 1. *D. h.* Cum enim mutuum re tantum fiat, non poteſt ex eo ultra rem datam deberi. *l. Si tibi decem.* 17. *D. de pact. l. Cum ultra.* 9. *C. de non num. pec.* Vid. Anton. Fabr. *in rational. ad d. l. Si tibi.* 17. Donell. *in d. l. Rogaſti.* 11. §. 1. *D. h.* Idem aſſero, licet ſit addita ſtipulatio; quia ſtipulatio confirmans actum non ſolet tollere actus eſſentiam. Ratio dubit. I. In traditionibus rerum quodcunque pactum validum eſt. *l. In traditionibus.* 48. *D. de pact.* Si non poſſit valere ut mutuum, valeat ut donatio, cum ea ſolo pacto fieri poſſit *l. Si quis argentum.* §. *pen. C. de donation.* In dubio enim ea interpretatio eſt aſſumenda, ut actus valeat. *l.* 12. 21. *D. de reb. dubiis.* & ſi non poſſit valere ut agitur, valeat eo modo quo poteſt: uti de donatione inter vivos, licet id non ſit verbis actum, eſt reſponſum. *l. Ubi.* 27. *D. de donat. int. vir. & uxor.* II. Suſtineatur hæc conventio pro pœna tardæ ſolutionis vel pro uſus precio; pœnam autem & uſuras ſtipulari in mutuo eſt permiſſum. *l. Lecta.* 40. *D. h. l.* 3. *C. de uſur.*

14. Debet in mutuo idem genus præſtari. *d. l. Mutuum.* 2. *pr. D. h.* Unde concludo, pro frumento vel oleo æſtimationem non poſſe ſolvi. Vide Bartol. Blonet. *in d. l. Mutuum.* 2. §. 1. Fachin. 2. *Controverſ.* 69. *in pr.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Vinum.* 22. *D. h.* II. Ex *l. Si quis ſtipulatus.* 57. *D. de ſolution.* III. Quia omnia æſtimantur nummis, & idem eſt, an quis rem vel precium rei habeat; cum precium ſoleat in locum rei ſuccedere. *arg. l. Iulianus.* 17. *pr. D. de Rei vindic. l. Si eum.* 23. *D. h.* §. 2. *Inſt. de Vſufruct.*

15. Pro aureis nummis argenteos ſolvi poſſe eſt indubium. *l.* 1. *D. de Contrah. emt. l. Quæ extrinſecus.* 85. §. 1. *D. de Verb. Obligat.* Quantitatem enim non corpora in nummis ſpectari oportet. Vid. Donell. *in d. l. Mutuum.* 2. §. 1. Hottoman. *Illuſtr. quæſt.* 15. Ratio dubitandi. I. Non debet quis compelli ut in

alia

alia qualitate recipiat, quam dedit. *l.* 3. D. *h. l.* 99. D. *de solut.* Nec quoque aliud pro alio solvendum est *d. l. Mutuum.* 2. §. 1. Vide Borcholt. *de Reb. credit. c.* 7. *n.* 4. *& seqq.*

16. Si mutatio monetæ sit facta, non uniformiter DD. respondent, quid & quantum solvi oporreat. Mihi videtur distingui oportere, utrum de certa specie monetæ reddenda sit actum, an tantum de quantitate. De certa specie agitur, cum contrahitur e. g. ut tales aurei Rhenani, tales Ducati reddantur, quales mutuo dati sunt: De quantitate, cum in genere dictum est, ut reddantur centum libræ flandricæ vel aliæ quantitates, quæ ex genere non ex speciebus nomen & æstimationem suam habent. Primo casu, siquidem interna sive intrinseca bonitas monetæ mutata sit, ut si materia auri vel argenti, ex qua nummi sunt cusi, eo tempore non sit tam bona quo petitur, quam fuit tempore contractus, præstare oportet, cum nummi tales solvi nequeunt, æstimationem, quæ earundem est specierum eo tempore, quo solutio fieri debet, si de certo tempore sit actum. *arg. l. Vinum.* 22. *D. h.* vel quo solutio petitur, si dies nullus sit additus. *d. l. Vinum.* Idem est dicendum, si extriuseca bonitas, hoc est valor, alia sit quam antè. Ratio est, quia debet præstari tantundem in eadem bonitate & qualitate, de qua convenit & quæ præstita erat. *l. Cum quid mutuum.* 3. *D. h.* Sin autem eædem species monetæ non sint reddendæ, sed in genere fuerit actum de quantitate, eadem quantitas est restituenda & augmentum vel decrementum æstimationis nummorum cedet commodo & damno mutuatarii. Ratio est, quia tantum solvitur, quantum annumeratum erat. Huc facit. *d. l. Cum quid mutuum.* 3. D. *h. d. l. Mutuum.* 2. §. 1. 2. Ita E. C. si centum libræ flandricæ sint mutuo datæ per annumerationem 240 imperialium, quorum singuli valent quinquaginta ut nos appellamus, stuferis sive sestertiis, & tempo-

re

re solutionis valeant sexaginta stufer. satisfacit debitor, si solverit tantum 200 Imperiales, quamvis bonitas quoque intrinseca sit commutata. Idem statuo, licet convenerit expresse, ut generaliter vel in auro vel in argento eadem summa, quæ mutuo erat data, reddatur. Ratio dubitandi. I. Non valet conventio contra essentiam contractus *l. Nec ex solenni.* 27. D. *de Reg. Iur.* 1. *Iurisg.* 7. *Et general.* 16. D. *de pact.* At mutuum hanc habet essentiam, ut non eædem species monetæ reddantur sed aliæ. *d. l. Mutuum* 2. D. *h.* frustra ergò de tali conventione ejusque effectu disputatur. II. In conventione de specie monetæ, non de alio cogitasse contrahentes præsumuntur, quam de valore in iisdem nummis reddendo *arg. d. l. mutuum* qui si haberi non possint, in aliis valor est reddendus is, qui fuit certus tempore eo quo contractus celebratus est: nec videtur esse veritati consentaneum, quod de incerta mutatione monetæ senserint. *arg. l. si ita esset,* 7. *vers, quia præsens.* D. *de aur. & arg. legat.* III. Siquidem de certa monetæ specie non sit actum, non potest minus solvi, vel non debet amplius, quam valor, qui fuit tempore contractus, *arg. l. si tibi.* 17. D. *de pact. l. Rutilia* 69. D. *de contr. emt. l. Cum quis.* 22. D. *de Obl. & act. c. olim.* 20. *x. de censib.* Pro qua sententia hæc ratio est, quod æstimatio pecuniæ sit certa. *l. Nummis.* 3. D. *de in lit. jurand.* Unde per subsequentem monetæ mutationem incerta fieri nequit, sed debet manere æstimatio, quæ fuit tempore contractus *arg. l. hominem* 37. D. *mandat.* IV. Non debet creditor compelli, ut in alia forma accipiat quam dedit, si ex eo sit passurus damnum *l.* 99. D. *de solut.* Atqui damnum pateretur, si aucto valore minus acciperet in speciebus sibi solutis quam in iis dedit: præcipue, cum per augmentum valoris etiam rerum precia aucta sint vel augeantur. Vide de hac materia variè differentes Bartol. Castrens. Alexand. *in d. l. Cum quid* 3. Fachin. 2. *Controv.* 9. Coras. 4. Miscell. 13. *n.* 5. Et Hotomann.

Illust.

Illust. quæst. 15. Menoch. 2. *arbit. Iud.* c. 207. *n.* 9. & 10.

17. In æstimatione rerum, nullo die vel tempore apposito, si ea ex actionis jure descendat, inspiciendum est tempus contractus *l. Hominem.* 37. D. *Mandat. l. Cum quis.* 22. D. *de oblig. & act. l. Fundum cornelianum.* 28. D. *de novat.* Ex Iure autem actionis venit, si vel æstimatio sit promissa, vel à fidejussore quid sit solutum aut simili casu. Ratio est, quia quod debetur præstandum est, debetur verò æstimatio die contractus. Id verò ita accipio, nisi postea in mora sit; tunc enim si à tempore moræ incipiat æstimatio crescere, cedet hoc commodo creditoris & damno debitoris. Mora enim cuique sua non adversario nociva esse debet. *c. Mora.* 25. *de Reg. Iur. in* 6. Ratio dubitandi. I. Cum tempus vel dies non additur, tempus petitionis & non contractus est spectandum. *l. Vinum.* 22. D. *h.* II. Tempus condemnationis est inspiciendum *l. In hac actione.* 3. D. *de action. Triticar.*

18. Si dies sit adjectus, & æstimatio non veniat ex jure actionis, redigetur ad diem, si locus, ad locum *d. l. vinum.* 22. si conditio, ad diem, quo conditio extiterit. *l. Quoties* 59. D. *de verbor. oblig.* Tunc enim ab illo peti potest *d. l. Quoties* & in mora est debitor: Ita tamen, ut crescat æstimatio, si post diem vel existentiam conditionis perseveraverit in mora, vel dicto loco non solverit: ne cuiquam mora prosit sed ut obsit. Ratio dubitandi. I. Tempus contractus & hoc casu attendendum est. 1. Quia dies non imminuit jus obligationis ejusque essentiam: statim enim debetur, etiam antequam dies venerit. *l. Centesimis.* 46. D. *de verbor. Oblig.* sed differtur tantum solutio. *d. l. Centesimis.* 46. & conditio solet retrotrahi sua natura ad tempus contractus, si in futurum vel præsens sit concepta; nec conditio est de essentia ipsius contractus, sed tantum adjectio ex accidenti, uti & locus. 2. Quia expresse dicitur in *l. cum quis iu diem.* 22. D. *de Oblig. & action.* quod, cùm fidejussor est acceptus ad stipula-

tionem in diem, non æstimatio ad diem adjectum, sed fidejussionis initæ sit revocanda.

19. Cum æstimatio non ex natura ac jure actionis præstanda est, nec dies, locus aut conditio est addita, sed per judicem fieri debet simpliciter ac verè, est inspiciendus dies sive tempus moræ, sive ea contracta fuerit per interpellationem, secundum *l. Mora.* 32. *D. de usur.* sive aliter sine interpellatione. Id expressum est *l. In hac actione.* 3. *in fin.* D. *de condict. triticar.* Ratio dubitandi I. Imò spectatur tempus non simpliciter moræ, sed quo petitur, quo lis contestatur ac judicium accipitur. *l. fin.* D. *de cond. triticar. d. l. Vinum.* 22. II. Imò hoc tempus, quo res unquam plurimi fuit, in moroso debitore attendendum non tantum in fure. *l. In re furtiva.* 8. §. 1. D. *de condict. furtiv.* sed & quolibet alio: quia per moram debitoris nihil debet decedere Creditori. III. Ulpianus respondit, ad condemnationis diem esse æstimationem referendam. *l. In hac actione.* 3. D. *de Cond. Triticar.* IV. Distingui oportet inter stricti juris & bonæ fidei judicia. *l. Sed mihi videtur.* 3. §. *In hac actione.* 2. D. *commod.* Id sanè justissimam habet rationem; quia in bonæ fidei judiciis potest judex æstimare ex bono & æquo, quomodò & quantum satisfieri oporteat. §. *In bonæ.* 30. D. *de action.* nec alligatus est tempori sed ex æquitate decernit: In stricti verò Juris actionibus observare eum oportet vel tempus contractus & id quod præcisè partibus placuit. *l. Quicquid.* 99. D. *de Verbor. Oblig.* vel diem litis contestationis, quo novatio necessaria per judicii constitutionem introducitur. *l. Aliam causam.* 92. D. *de novat.*

20. Cum per juramentum in litem æstimatio facienda est, rei judicandæ tempus, quanti res sit observatur. *l. Sed mihi.* 3. § *In hac.* 2. D. *commod.* Quia demum post sententiam, qua ad restituendum vel exhibendum est condemnatus, æstimatio morantis causam accipit. *l. Qui restituere.* 68. D. *de Rei vindicat. l.* 1.

2. D.

2. D. *de in lit. jurand.* Ratio dubitandi. I. Nullius temporis in hac re ratio est habenda: cum, qui jurat in litem, non tantum rem ex veritate sed & affectione, quæ metam temporis nullam admittit, æstimet in infinitum *d. l. Qui restituere.* 68. *l. Videamus.* 4. §. *Iurare.* 2. D. *de in lit. Iurand.* II. Malè dictum, quod tempus condemnationis hic spectandum esse doceatur; cum ea ratione facilè fieri posset, ut debitor per suum dolum lucrum sentiret, quod admitti non debet. *l.* 1. D. *de dol. mal.* & Creditor damno afficeretur, contra *l. Factum.* 155. D. *de regul. Iur.* Pone pluris interfuisse creditoris ante sententiam: hanc utilitatem, quam consequi potuisset, si res suo tempore fuisset restituta, inhumanum est ei adimi.

Ex tit. C. de non numerat. pecun. & Inst. de literar. Obligat.

21. Qui confessus est in Chirographo, se nummos debere, potest vel condicere Chirographum a Creditore, vel, si conveniatur, tueri sese exceptione non numeratæ pecuniæ *tit. Inst. h. l. Si ex cautione.* 3. *C. h.* In hac verò condictione & exceptione beneficium hoc singulare competit debitori, sive Actoris sive Rei partes sustineat, ut non teneatur probare, modò biennium non fuerit elapsum, se, quod mutuò datum erat, non accepisse. *d. l. Si ex cautione.* Nec distinguo, utrum publicum vel privatum sit instrumentum; cum nec leges distinguant. *arg. l. 2. fin. C. h.* Bartol. *in d. l.* 3. Ratio dubitandi. I. Si id concedatur, invitabuntur debitores ad malitias, ut negent se accepisse, quod acceperunt. II. Semper creditur instrumento *d. In exercendis.* 15. *C. de fide Instrum.* donec contrarium probetur. *l. Optim.* 14. *C. de contrah. & Comm. stipulat. l. Sciendum.* 30. *D. de Verbor. Oblig.* & confessioni: Confessus enim pro judicato est *l.* 1. D. *ad l. Aquil.* Creditor pro se habet instrumentum & confessionem de-

bitoris instrumento comprehensam. Nimis sanè indignum est, quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id eundem eo casu infirmare testimonioque proprio resistere. *l. Generaliter*. 13. C. *h.* III. Imputet sibi ac suæ negligentiæ vel temeritati acceptum ferat debitor, quod antequam acceperit, se accepisse profiteatur & nimis credulus fuerit. *l. Quod si servus*. 3. §. *sed sic*. 9. D. *de in rem vers. l. Si. is à quo*. 3. §. *fin.* D. *ut in possess. legat.* Stultis enim ac negligentibus non sunt beneficia tribuenda, sed vigilantibus. *l.* 24. *in fin.* D. *Quæ in fraud. Credito.* IV. Nulla juris ratio patitur, ut publico instrumento denegetur fides probandi, cum publica instrumenta sint potiora testibus. *l. Census*. 10. D. *de probat.* Ac nemo adeò stolidus invenietur, ut patiatur aliquid scribi contra se in publico instrumento. *l. fin. in fin. pr. C. arbitr. tutel.* V. Absurdum est, elapso biennio debitorem obligari validè; cum tempus non sit legitimus modus obligationis inducendæ vel finiendæ *arg. l. Obligationum*. 44. §. 1. D. *de oblig. & action.* Imò nemo tenetur ullo tempore ex sola promissione vel confessione debiti, si nihil acceperit. *l. Qui pecuniam*. 30. D. *de reb. Credit.* & semper potest competere exceptio doli *l. Pure*. 5. *in fin.* D. *de Except. dol. mal.* quæ ei, qui sine causa petit, potest objici *l. Palam*. 2. §. *Circa*. 3. D. *eod.* Sine causa autem petit, qui nihil præstitit.

22. Non dubito, quin inter Mercatores exceptio non num. pec. habeat locum; cum leges nusquam eos excipiant, & hoc jus à mercatoribus originem traxerit, ac in iis ratio eadem valeat. Vide Alciat. *in l. Qui pecuniam* 30. *n.* 8. D. *de reb. credit.* Strach. *de mercatur. tit. Quom. in caus. mercator. proced. sit. n.* 9. Ratio dubitandi. I. Mercatores non præsumi possunt adeò negligentes, faciles & creduli, ut sint confessuri se accepisse id quod non acceperunt; Est enim hominum genus maximè ad res suas attentum. II. Inter Mercatores cessant juris apices ac subtilitates, ad quas exceptio-

ptionis hujus biennalis jus referendum eſt. Vide Bald. *in l. Fruſtra.* C. *h.* Jaſon. *in d. l. Qui pecuniam.*

23. Exceptio privilegiata non num. pecun. per quam creditor probare tenetur, non in omnibus contractibus habet locum, ſed tantum in mutuo *l. Adverſus* 5. *l.* 14. §. 1. C. *h. t. t. Inſt. h.* & dote. Quid n. non faciet debitor indigens pecunia, ut eam impetret, & ſponſus? In dote non datur ſemper biennium, ſed id tempus expreſſum *in l. fin.* C. *de dot. caut. non num. & auth. Quod locum. ibid.* Cum verò mutuum non conſiſtat tantum in nummis, ſed & aliis rebus, exiſtimo etiam ob alias res hanc exceptionem proponi poſſe. *l. In contractibus.* 14. *verbis: in quibus pecuniæ, vel aliæ res numeratæ vel datæ eſſe conſcribuntur.* C. *h.* Ratio dubitandi. I. Imò & in aliis contractibus danda eſt hæc exceptio. 1. Per textum *in l. pen. verbis: vel dotis vel alterius cauſæ nomine.* C. *h.* 2. Eſt eadem ratio in omnibus. 3. Pecuniæ nomen ad quaſlibet res refertur, *l. pecuniæ.* D. *de verbor. ſignific.* cur non in hoc contractu? 4. Quia hæc exceptio competit in omnibus, quibus pecunia vel res numeratur, vel datur. *d. l. In contractibus.* 14. *pr. & §. fin.* Conſequenter in permutatione, in qua utrinque datur res; Emtione, in qua ab una parte precium, ab altera res datur, & ſimilibus. Vid. Emanuel. Coſt. *in d. l. Si ex cautione.* Petr. Heig. *ad tit. Inſt. h. n.* 19. *& ſeqq.* II. Tantum hæc exceptio referenda eſt ad nummos. 1. Quia ubique de pecunia numerata agitur. *t. t. C. h. & t. Inſt. h.* 2. Quia videtur in aliis rebus ceſſare ratio Juris circa hanc exceptionem.

24. Qui exceptioni non num. pec. in eodem confeſſionis Chirographo renunciavit, æquè eam habet, modò probaverit Notarium ex conſuetudine, non ex certa partium voluntate vel juſſu renunciationem adſcripſiſſe; Eadem enim facilitate permittit hanc renunciationem adjici, qua debitum, quod non accepit, confitetur ſe accepiſſe. *l. Si mulier.* 22. C. *ad SC. Velleian.*

Jan. l. Doli. vers. diversum. D. de novat. Vide Cyn. Sichard. *in d. l. Si ex cautione. 3. C. h.* Principalis contractus naturam sequuntur ea, quæ adjiciuntur *arg. l. Non est dubium. 5. in fin. D. de legib. l. fin. C. h.* Ratio dubitandi. I. Renunciatio semper est valida. *l. Iubemus. 21. c. ad SC. l. pen. C. de pact.* Nec quisquam quid scripsisse, quod mente non agitaverit, præsumi potest *l. 7. §. 1. D. de supell. legat.* Nec clausula renunciationis otiosa esse potest, cum verba cum effectu accipi oporteat *l. 1. §. 1. D. quisque jur. in al. statuer.* Vide Sande *lib. 3. decis. frisic. tit. 2. de fin. 1.* Accurs. Azon. *in d. l. 3.*

25. Potest etiam post biennium opponi exceptio non num. pecun. siquidem debitor in sese recipiat onus probandi pecuniam non esse numeratam: Est enim hæc, cum vel in specie de dilatione facta dolo Creditoris, vel de dolosa petitione, quod sine causa petat Creditor agitur, vera doli exceptio *l. Palam. 2. §. Circa 3. §. & generaliter. 5. D. de dol. mal. & met. except.* Exceptio autem doli est perpetua. *l. Purè. 5. §. fin. D. eod.* Nulla ratio patitur, ut ex causa iniqua, vel sine causa ex solo tempore & per falsitates suas commodum creditor ac actionem consequatur *l. 12. D. de furt.* Biennium in commodum debitoris introductum, non debet eidem nocere. *l. Quod favore. 6. C. de legib.* Vide Gomez. 2. *Variar. resol. c. 6 n. 7.* Bart. Ang. Salic. *in d. l. Si ex cautione.* Ratio dubitandi. I. Frustra in se onus probandi debitor suscipit, cum pecuniam non esse numeratam docere nequeat: Est enim negationis per naturam nulla probatio *l. Asseveratio 10. C. h. l. Actor. 22. C. de probat.* II. Compellitur debitor solvere lapso biennio. *d. l. Si intra in fin.* Nec ulla exceptio admittitur *l. In contractibus. 14. C. h. t. t. Inst. h.* Adeò quidem, ut nec insiurandum deferri possit *d. l. In contractibus. 14. §. Illo. 3.* III. Datur hoc beneficium minoribus, ut post biennium possint hanc except. opponere. *l. fin. C. In quib. caus. in integr. rest. necess. non est.* Absurdum autem esset minoribus hoc dari privi-

privilegium, si majoribus competeret. *arg. l. In causæ. 16. pr. D. de minorib.* IV. Postquam usucapio est impleta, nullam domino actionem dari certum est: eodem modo & in hac exceptione, quæ temporis lapsu sublata est, ut sit litium fines. *l. 1. D. usurp. & usuc.* V. De injuria nulla conqueri potest debitor, cum ex suo facto vel negligentia damnum hoc sentiat. *l. Quod quis. 203. D. de Reg. Iur. l. Damnum. 86. Eod. in 6.* Potuisset enim intra biennium tantum denunciare, & ea ratione exceptionem reddere sibi perpetuam. *d. l. In contractibus. §. fin.*

26. Quæ singularia sunt in Exceptione non num. pecun. non extenduntur ad eum casum, quo non in literis sed ad stipulationem creditoris præsentis coram testibus respondit debitor se debere. Tantum enim juris textus loquuntur de chirographo sive instrumento, de literis ac cautione. *t. t. Inst. h. l. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 14. §. 1. 2. 4. l. l. f. c. legib.* Vide Donell. 13. *Comment.* 39. Ratio dubitandi. I. Est eadem ratio testium ac instrumentorum. *l. In exercendis. 15. C. de fid. Instrum.* & eadem facilitate coram testibus quis quid promittit, qua in instrumento. II. Variis legibus fit in hac re mentio non literarum sed stipulationis *l. Cum ultra 9. C. h.* stipulatio tantùm verbis fit, *l. 1. D. de verbor. Obligat.* Adde hisce *§. Idem Iuris. 2. Inst. de Except.* Vide Alciat. in *d. l. Qui pecuniam. 30. circa fin.*

27. Si quis sit in Chirographo confessus se pecuniam ante annum vel aliud tempus accepisse, non potest privilegiata exceptione uti; scil. ut creditor probet se numerasse. *l. Adversus. 5. C. h. versic. cum autem. l. Generaliter. 13. C. h.* Ad quos textus accedit hæc ratio, quod nulla lege inveniatur cautum, quod hoc casu debitori privilegium Exceptionis tribui debeat: ubi autem lex silet in privilegio, ibi eidem non est locus. Vide Salicet. in *d. l. Generaliter.* Ratio dubitandi. I. Nulla lex excludit hunc casum, ergò includi eum oportet: nam beneficia latè sunt explicanda, maximè

cum legum generalitas non refragatur. II. Eadem facilitate debitor hoc posset confiteri, qua simpliciter ac sine tempore affirmat se accepisse, quod ei non est numeratum vel datum. Vid. Fachin. 2. *Controv.* 83. Gomez. 2. *var. resol. c.* 6. *n.* 4.

28. Exceptionis prærogativa competit etiam heredibus debitoris. *l. Si intra.* 8. *C. h.* Tempus verò iis currit non ab adita hereditate sed die mortis. 1. *Arg. d. l. Si intra.* 8. *verbis: residuum tempus ejus heres habebit. &c.* 2. Quia tempus biennii est continuum. *d. l. In contractibus,* 14. *pr.* 3. Quia conditio obligationis mutari non potest ex persona heredis. *l. stipulationum.* 2. §. *Ex his* 2. *versic. non enim. D. de verbor. obligat.* Vide Bald. Castrens. *in d. l. Si intra.* 8. Zanger. *de except. c.* 14. *n.* 49. *& seq.* Ratio dubitandi. I. Tempus restitutionis petendæ contra heredem, licet sit continuum. *l. fin. C. de Tempor. in integr. rest.* non currit, nisi ab adita hereditate *l. Ea, quæ.* 5. §. *fin. C. eod. de tempor. in integr. restit.* Nulla g. ratio erit, cur & hoc tempus ante currat, cum etiam sit continuum. *d. l. In contractibus,* 14. *pr.* II. Iniquum esset, ut heredi noceret lapsus temporis, antequam adiisset. Quandoquidem ignorat conditionem rerum hereditariarum. Succurri autem oportet ei, qui justam habet causam ignorantiæ. *l. Qui in alterius.* 42. *D. de regul. Iur. l.* 29. *D. Mandat. l.* 7. *D. de jur. & fact. ignor.* III. Ante hereditatis aditionē nullus est heres; nec agere potest qui non adiit, sed demum fit heres per aditionę & nanciscitur agendi facultatem. Qui verò agere nequit, ei præscriptio ex lapsu temporis non nocet *l.* 1. *in fin. l.* 2. *C. de annal. præscript.*

29. Qui partem debiti solvit, potest quidem pro reliqua parte allegare simplicem sive vulgarem non num. pec. exceptionem, quâ debitor probet partem reliquam non esse præstitam, sed non privilegiatam per quam creditori incumbit onus probandi se dedisse: 1. Quia agnovisse videtur debitum totum, qui partem solvit. *l. Cum fidem.* 4. *C. h. arg. l. Item si filiusf.* 7.

§. pen.

§. pen. & fin. D. ad Macedon. 2. Quia Jus Exceptionis privilegiatæ exorbitat à communis juris regulis, ac propterea cessat, quoties lex vel necessaria consequentia deficit: ex Lege verò nullâ, nullâ necessariâ consequentiâ probabitur hoc casu privilegio hujus Exceptionis esse locum. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Minorem*, 2. *C. h.* II. Idem juris est in parte quod est in toto. *l. Quæ de tota.* 76. *D. de Rei vindicat* III. Non valet argumentum à solutione partis ad debitum totius. *l. Existimarunt.* 21. *D. de rebus credit. l. Cum te ideo.* 4. *C. ne uxor. pro marit. l.* 7. *C. de usur.* Vel à parte gesta ad totum gestum vel gerendum *l. Tutori.* 20. *versic. ac satis. C. de negot. gest.* IV. Potest *d. l. Cum fidem.* sic explicari, quod in ea tractetur de eo, qui fidem cautionis totius agnovit, & præterea in signum agnitionis solvit partem vel usuras: Id indicat verbum *Etiam.* Vide Salic. *in d. l. Cum fidem.*

30. In apochis est constitutum tempus 30. dierum. *d. l. In contractibus.* 14. *§. super.* 2. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Eadem est ratio apochæ & literarum obligationis *arg. l.* 35. *D. de reg. Iur.* II. Exceptio vel querela de errore calculi est perpetua *l. Calculi.* 8. *D. de administrat. rer. ad civitat. pertin.* & sæpius potest de errore tractari *l. un. C. de error. calcul.* daturque condictio, quæ est personalis actio & perpetua, si quid ex ea causa sit solutum. *d. l. un.* Cur ergo non potest condici apocha, quæ per errorem est data seu spe solutionis.

31. Qui solvit ex condemnatione ac post invenit apocham, potest repetere solutum. Solutio enim prior, de qua apocha concepta erat, jam ante sustulerat plene obligationem omnem *pr. Inst. Quib. mod. solv. obligat.* Huc facit textus in *l. si sponsus.* 5. *§. si uxor.* 7. *D. de donat. int. vir & uxor.* Dabitur autem restitutio in integrum ex generali clausula, si qua mihi videbitur esse justa causa. *l.* 1. *l* 26. *§. fin. D. Ex quib caus. major. in integr.* Ratio dubitandi. I. Non potest esse ulla, cum res est judicata, repetitio, vel ob errorem *l.* 36. *D. Fa-*

mil.ercisc. vel ob dolum. *l. si fidejussor. 29. §. In omnibus pen. D Mandat. add. l. 60. d.* D. 1. *C. de Condict. indebit.* sed tantum agetur stellionatus. *d. §. In omnibus. pen.* II. Datur tantùm restitutio, cum per falsitates & per perjuria actor vel reus obtinuit sententiam. *l. 33. D. de re judicat.* Ergo non propter errorem vel simplicem dolum. III. Hoc casu intentanda est condictio sine causa *arg. l. 1. §. fin. D. de condict. sine caus.* Cessat ergò restitutio, cum sit remedium extraordinarium. *l. In causæ. 16. D. de minorib.* Vide de hac re Berlich. *decis. 62. n. 4. & seqq.* Paul. de Castr. *consil. 257. n. 1. & seqq.*

EXERCITIUM XXX.

cons 173

Resp. JOACHIMO JHERINGIO, Nordâ Frisio.

Ex tit. C. & D. de jurejurand.

THESIS PRIMA.

FRustra disputatur de jurejurando, si lex non permittat jurare. Statuimus itaque remedium non tantum licitum, sed & necessarium esse, jusjurandum. Deus ipse juravit. *Gen. 22. v. 16. 17. Ierem. 22. v. 5. Ad Hebræos. 6. v. 13.* præscripsit jurandi formulam. *Deuteron. 6. v. 13. & 10. v. 20.* Angeli jurejurando annunciationes suas confirmarunt. *Daniel. 12. v. 7. Apocalyps. 10. v. 6.* Et passim Pii ac Magnates populi, fœderibus suis, pactis, rebus arduis, minis ac magni momenti asseverationibus jusjurandum adjecerunt Ita ante legem jurarunt Pater fidelium *Gen. 14. v. 22. Gen. 21. v. 24. 31.* Servus Abrahami Eleazar jussu Abrahami. *Gen. 24. v. 2. 3.* Isaac. *Gen. 26. v. 28, 31.* Jacob. *Gen. 31. v. 53.* Joseph ad petitionem Jacobi. *Gen. 17. v. 31.* Fratres Josephi, ad Josephi postulationem. *Gen. 50. v. 25.* Post legem, Deputati à Josua

Josua ad explorandam terram. *Iosuæ*.2. *v*.12.14. Moses. *Ios.* 14. *v*.9. Iosua. *Ios.* 9. *v*. 15. *in fin*. 19. Seniores Gilhadis. *Iudic*. 11. *v* 10. Israelitæ. *Iud*. 21. 1. Ruth. *Ruth*. 1. *v*. 17. Boas *Ruth*. 3. *v*. 13. Saul Rex. 1. *Sam*. 14. 39. & 19. *v*. 6. *ibid*. 28. *v*. 10. David. 1. *Samuel*. 20. *v*. 3. *ibid*. 25. *v* 22. 34. 2. *Samuel*. 12. *v*, 5. *ibid*. 14. *v*. 11. *in fin*. *ibid*. 19. *v*. 23. 1. *Reg*. *v*. 13. 29. 30. Jonathan. *ibid*. *v*. 12. 17. 42. Abner. 2. *Samuel*. 3. *v*. 9. Ithai. *ibid*. 15. *v*. 21. *in fin*. Joab. *ibid*. 19. *v*. 7 Salomon. 1. *Reg*. 2. *v*. 23. 42. Elias *ibid*. 17. *v* 1. & 18. *v*. 15. Micha. *ibid*. 22. *v*. 14. Elisa. 2. *Reg*. 2. *v*. 2. aliique plurimi. In novo quoque testamento nihil immutatum esse in hac re, probari potest. Quinimo Christus Salvator noster, qui non venit ad legem, quæ & inter alia mandavit jurari. *Exod*. 22. *v*. 8. 11. & 23. *v*. 13. *Deuteron*. 10. *v*. 20. solvendam sed implendam *Matth*. 5. *v*. 17. ipsumque est Amen & veritas *Apocalyps*. 3. *vers*. 14. non infrequenter, ut populum ad pietatem inflammaret, ut verbis suis addere fidem, juravit, cum dixit *Amen* ut videre est ex *Matth*. 5. *v*. 18. 26. & 6. *v*. 2. 5. 16. *Ioann*. 6. *v*. 26. 32. 47. 53. & 8. *v*. 51. 58. & 12. *v*. 24. & 13. *v*. 16. 20. 28. 38. & 14. *v*. 12. & 16. *v*. 20. 23. & 21. *v*. 18. Est enim amen dicere, jurare. *ad hebræos*. 6. *v*. 14. Apostolus quoque gentium, ut alios prætercam, subinde usus est juramento. *ad Roman*. 1. *v*. 9. & *v*. 1. 2. *ad Corinth*. 1. *v*. 23. *Ad philipp*. 1. *v*. 8. & 1. *ad Thessalon*. 2. *v*. 10. scriptum deinde est *ad Hebræos*. 6. *v*. 16. Omnis controversiæ finis est jusiurandum. Ratio dubitandi. I. Christus dixit: ne juretis omnino. *Matth*. 5. *v*. 34. II. Christus dixit: Esto sermo vester Etiam, Etiam, Non, Non. *d*. *c*. 5. *v*. 37. Et quod supra hæc verba redundat, à malo est. *d*. *v*. 37. III, Dixit Apostolus Jacobus: ante omnia, fratres mei, ne juretis: neque per cælum, nec per terram, neque aliud ullum insiurandum: sit vestrum Est, Est, Non, non, ne in condemnationem incidatis. *Iacob*. 5. *v*. 12.

v. 12. IV. Iuramenta & eorum concessiones nec non exempla ex sacro Codice allegata ad publicum statum aut publicas personas pertinent, non ideo privatis sunt concessa.

2. Cum verò defenditur, Iuramenta esse licita, non omnia probantur sed tantummodo ea, quæ præstantur ab iis, ad quos negotium spectat: secundum ea præcepta, quæ Dei & justæ legumlatores leges præscribunt: Inter hæc primarium est, ut Iurent tantum illi, qui intelligunt. Nunquam itaque exigendum est Iusjurandum ab illis, qui judicio non valent vel alias sunt incapaces. Iuramenti enim fundamentum est Iudicium: imo nec ab illis, qui facilè fidem fallunt & gratiam ac commoda religioso cultui præponentes cum juramentis, ut pueri cum talis, ludunt. *arg. Quæ sub conditione.* 8. *D. de condit. Inst. l. Eos* 5. *C. de testib.* Qui enim talibus scientes deferunt Iusjurandum, quandoquidem ansam aliquatenus malo committendo præbent, tantumnon animas suas à perjurii crimine ac criminatione non liberant: non enim videtur non delicti esse reus & is, qui ei præbet perfectam causam *l. nihil interest.* 15. *D. ad l. Cornel. de sicar. l. De cætero n. x. de Homicid.* & is, qui occasionem sive causam imperfectam. *l. Qui occidit.* 30. *§. pen. versic. Nam & D. ad l. aquil.* In confesso quoque est, Iuramentum esse cultum Dei moralem *Deuteronom.* 6. *v.* 13. *&* 10. *v.* 20. præstatur enim ut honor Dei illustretur, ac invocetur Deus per jurantem, ut veritas, gloriosa Deo, patefiat. Quocirca impuris hominibus, qui perjuria meditantur, nullo modo in publicum scandalum ac privatorum detrimentum committenda. *Nec date quod sanctum est canibus, nec proiicite margaritas vestras coram porcis, ne quandoque conculcent eas pedibus suis & versi vos lacerent*, inquit Salutis nostræ Author *Matth.* 7. *v.* 6. Adde *Proverb.* 9. *v.* 6. *& seqq. &* 1. *Corinth.* 10. *v.* 21. *ad Philipp.* 3. *v.* 2. Ratio dubitandi. I. Conceditur jure civili, ut minores jurent *l.* 1. *auth. Sacramente c. Si advers.* ven-

vendit. ac hoc jusiurandum ab iis præstitum habet plenum effectum, licet magnum sint passi denimentum: adeo ut nec restitui possint, nisi dolum vel vim probent. *d. l.* 1. *& Auth.* Minores verò non plenè intelligunt, nec curare possunt sua negotia. *pr. Inst. de Curatorib.* iisdemque administratio rerum suarum non committitur. *l.* 1. *§. fin. D. de minorib.* II. Imò & ab illis, qui suspectæ sunt fidei, præstari oportet jusiurandum. 1. Cum semper quisque bonus præsumatur *c. dudum c. fin. extr. de præsunt. c. un. vers. cum illum, quem extr. de senetin. in ord. faciend.* & verax in eo, quod sibi commissum est 2. Cum metus pænæ iræque divinæ quemq; in officio contineat. 3. Cum non sit prohibitum jure divino ac humano iis deferre jusjurandum. 4. Cum tam mali quam boni ad cultum Dei admittantur & sint in ecclesia ac republica, ut inter triticum Zizania, *Matth.* 13. *vers.* 27. 28. 29. 47. *&* 22. *v.* 14. *&* 25. 1. 2. *& seqq.* 2. *Ad Timoth. c.* 2. *vers.* 19. 20.

3. Secundum præceptum de juramentis permissis est, ut ea præstentur in bona causa. Bona autem est causa, cum res sunt justæ, veræ, certæ, graves ac possibiles. Siquidem enim res sint injustæ, quæque pugnant cum honestate, & pœnam merentur, non tantùm sacramenta sunt inefficacia jure *l. non est dubium.* 5. *§. fin. C. de legib. l. Iurisg.* 7. *§. Et generaliter.* 16. *D. de pact. c. non est obligatorium* 58. *D. Reg. Iur. in* 6. ut, qui juravit non teneatur ea, quæ jurato promisit, præstare *dd. ll.* verùm etiam grauiter est puniendus, qui in malo, de quo temere fidem suam interposuit, perseveret. Bis peccat ac peccatum cumulat peccato, qui malè jurat & in peccato persistit: secundùm regulam, Quæ male jurantur, pejus servantur *c.* 3. *x. h.* Quæ Deus, vel inter homines legislator justus, prohibet, non tantum promitti sed & fieri vetat, & quanto facere est gravius, tanto magis, ne fiant, præcipit. Huc accedit regula generalis, quod juramenta non debeant esse iniquitatis vincula.

cula. Quinimo & ea, quibus æquitas vel justitia deeſt, ſua natura ſunt perjuria. *c. Qui Sacramento.* 11. *cauſ.* 22. *quæſt.* 4. Thom. 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 2. *ad.* 2. Nam diverſos inter Comites juramenti, eſt Juſtitia. *Ierem. c.* 4. *v.* 2. In falſis quoque nequit fieri Juramentum, quia ad veritatem eruendam ac patefaciendam præſtatur. Diciturque Veritas verè Comes Iuramenti *Ierem. d. loc. Levit.* 19. *verſ.* 12. Nec in incertis jusjurandum locum habet: quia jurans certam rei, de qua jurat, conſcientiam habere debet. In levioribus ſi quid fiat juratò, eſt temeraria uſurpatio nominis divini, pugnans cum præcepto tertio Decalogi *Exod.* 20. *verſ.* 7. Impoſſibilia, cum nulla ſit nec eſſe poſſit eorum obligatio *l. Impoſſibilium.* 185. *D. de Reg. Iur.* juramento ſubjici nequeunt. & qui ad impoſſibile jurat, is vel inſanit, vel Deum ac homines illudit, cùm non poſſit habere ſerium propoſitum faciendi id, de quo jurat & hypocrytice fucum facit, cum aſſerit ſe facturum, quod nec vult nec poteſt. Ratio dubitandi. I. Expreſſe dictum *Pſalm.* 15. *v.* 4. Quod ille ſit habitaturus in monte ſanctitatis Domini & in tentorio Iehovæ, qui jurat ad malefaciendum (uti habet textus Hebraicus) nec tamen id mutat. Debet itaque non eſſe nullum, ſed ſervari oportet juramentum quod de malo eſt. II. Expreſsè erat prohibitum Iſraelitis, ne fœdus facerent cum populis, qui terram canaan habitabant; attamen fœdus inter Joſuam ac Seniores populi Iſraeliti & Gibeonitas, licet hi dolum commiſiſſent, non tantum nullum non fuit declaratum ſed & religioſe ſervatum. *Ioſ.* 9. *v.* 3. 4. 18. III. Qui Iuravit ſe facturum, ut faciat quod poteſt, is conſtituit Deum quaſi teſtem mendacii, ſi non faciat: Qui verò ſe malum facturum jurato promiſit, promiſit, quod facere poteſt, tenebitur ergò, ne offendat Deum ob perjurium, Ob hanc cauſam herodes Rex ſervare maluit fidem, quàm non interficere Joannem Baptiſtam. *Matth.* 14. *v.* 6, 7. 8. 9. IV. Non debet diſtingui

inter

inter res levis momenti & gravioris; cum non eo modo distinguatur in verbo Domini nec in legibus juris civilis. Imò in sacro Codice, uti cultus Dei in minimis spectandus est, ita & Iuramentum in minimis, quo honoretur Deus. *Deuter.* 10. *v.* 20. Simili modo & omnis controversiæ, sive magna sive parva fuerit, indistinctè, finis est jusjurandum. *Ad Hebræos.* 6. *v.* 16.

4. Non verò arbitror præcisè omnia Iuramenta, licet habeant justam causam, esse implenda, sed ea tantum, quæ ex justa veraque causa impleri alterius interest & sunt præstita ad fidem alteri faciendam. Pone, quem justa de causa jurasse hosti damnum inferre, exequi sententiam contra condemnatum ejusque res, propositum id mutari potest. Ita quoque David cum ob injuriam sibi à Nabalo illatam jurasset se deleturum omnes, qui ad parietem ejus mingerent. 1. *Samuel.* 25. *v.* 25. justissimè fecit, quod permotus ab Abigaila uxore Nabali consilium non sit executus. *Ibid. v.* 32 *& seqq.* Ratio dubitandi. Cum juratur non homini sed Deo datur fides: Iuramentum esse Dei dicitur Exod 22. *v.* 11. Fides verò quæ Deo fit, omni modo est liberanda: Ita Jephtha etiam in propria filia fidem non fefellit Iudic. 11. *v.* 30. 31. 35. 36. Vid. *Levit.* 5. *v.* 4. *Psalm.* 15. *v.* 4.

5. Tertium præceptum, quo jurare permittitur, est de modo. Modus est 1. Ut non fiat, nisi ex necessitate, non temerè: Quisquis temere & in vanum usurpaverit nomen Dei, eum non relinquet impunitum Jehova. *Exod.* 20. *vers.* 7. Vnde & Comes Iuramenti est necessitas. Est enim irreventia divinæ majestatis citra necessitatem juramentum præstare. Vide Covar.*part.* 1. *Relect.cap.Quamvis.de pact.in* 6.§.5. *de Iuram.comitib & requisiti.* II. Ut fiat per solum Deum *Deut.* 6. *v.* 13. *&* 10. *v.* 20. Ita jurarunt pii. *Iudic.* 11. *v.* 10. Ratio dubit. I. Salvator noster ait, esse permissum jurare per templum, per altare. *Math.* 23. *v.* 16. II. Moses juravit per cælum & terram. *Deu-*

teron.

teron. 4. *v.* 26. *& seqq.* & 30. *vers.* 19. Joseph per vitam Pharonis *Gen.* 24. *v.* 15. & 16. David per animam Jonathæ 1. *Samuel* 20. *v.* 3. III. Requiritur tantum, ut per superiorem juramentum fiat. *Ad hebræos* 6. *v.* 16. Non verò Deus tantum est superior sed magistratus ac majores. IV. Receptum est & jure Canonico & Civili, ut juretur per *Euangelia & Altare c. Si aliqua causa.* 11. *& seq. caus.* 22. *q.* 1. *l. Generaliter* 12. *§. pen. C. de reb. cred. l. Rem non novam.* 14. *C. de Iudic.* vel per *Salutem principis, sive Dominorum. c. Quoties* 9. *caus.* 1. *q.* 7. *l. Si duo patroni.* 13. *§ fin. D. h. l. Iurisjurandi.* 2. *C. de Reb. Credit.* Quinimò & jure civili toleratur juramentum per *caput suum. l. ait Prætor.* 3. *§. fin. D. h.*

6. Sin quis illegitimo modo juraverit, animo autem legitimè jurandi omni casu tenebitur, ac si ex forma jurasset. Intentio enim spectanda est in omnibus: nec quid fiat, sed quo animo est videndum. *l. Non omnis.* 19. *D. de Rebus credit.* Huc facit dictum Christi apud *Matth.* 23. *v.* 16. *& seqq.* Ratio dubitandi. I. Formâ rei vitiatâ, totus actus est nullus. *l. Sancimus.* 46. *§. fin. in fin. C. de Episc. & cleric. Auth. offeratur. C. de lit. contestat. l. Si unus.* 12. *C. de Testament.* Nec animus cujusquam potest mutare essentiam substantialem rerum. II. Præstaret distinguere inter pœnam perjurii & obligationis certitudinem, ut quidem Obligatio sustineatur sed pœna violati juramenti, si quis contra id facere tentasset vel fecisset, locum non habeat. In pœnis enim eligitur mitior sententia. Vid. Gail. 2. *Observ.* 59. Setzer. *de Iuram. lib.* 1. *c.* 16.

7. Illustriores si quid per fidem principalem suam vel per honorem nobilitatis suæ aut alterius præementioris dignitatis asseruerint, ita ex hac asseveratione tenentur acsi jurassent: Ita enim moribus receptum esse docent Myns. 1. *Observat.* 17. Gail. 2. *Observat.* 59. Color. *de processib. Executiv. part.* 1. *c.* 10. *n.* 250. Borcholt. *de Iurejur. c.* 1. *n.* 26. Covarruv. *in c. Quam-*

c. Quamvis. §. 2. n. 2. de pact. in 6. Maximè verò id recipiendum est, si fides interposita sit vice juramenti, nominatim mentione ejus factâ : ita quidem, si hæc clausula sit adjecta, non tantum videbuntur obligati quasi juramentum præstiterint, sed & puniendi sunt pœna perjurii, si fidem violaverint, secundum ea, quæ Thesi superiori sunt allegata. Ratio dubitandi. I. Non est in potestate hominum formulam aliquam suo pro lubitu usurpare, quæ sit loco jurisjurandi. Sed ut data fides juramentum sit vel efficaciam ejus habeat, dependet ex modo, quem Deus præscripsit, Deuter. 6. *v.* 13. *&*. 10. *v.* 20. Ut enim nullius sunt momenti, in quibus solennia non observantur, licet pacta sint facta in contrarium. *l. Nec ex solemni.* 27. D. *de Reg. Iur.* ita in hac re quam maximè, in qua de cultu Dei agitur; nec Deus ex mortalium arbitrio, sed juxta sua præcepta se coli vult. Consuetudo itaque contraria est abusus, error ac morum corruptela, ac ideo in consequentiam trahi non debet, sed eam aboleri præstat. *arg. l. Quod non ratione.* 39. *D. de legib.* II. Imò quoad pœnam perjurii non est distinguendum, utrum quis sub fide sua principali aut honore nobilitatis quid affirmaverit, an sub ea fide, quam vice juramenti dat : quia paria sunt, juramentum ac fidei interpositio : imprimis secundum solida principia juris Canonici, *c. ad aures.* 3. *verbis : Iuramento aut fide interposita extr. De his, quæ vi metusv. caus. fiunt. c. pervenit.* 2. *in fin. x. de fidejuss. vbi* Gloss. & Panormitan. & Divini, ut deducitur ex. *c. Iuramenti.* 12. *caus.* 22. *quæst.* 5. *&* *Sapient.* 1. *v.* 11.

8. Hodiè ex jurejurando etiam simplici datur actio: cum enim ex pacto quolibet deliberatò inito mores non negent actionem. Gudelin. *lib.* 3. *de Iure noviss. c.* 5. *in fin.* multo magis ex juramento, ob enixam voluntatem, quæ describitur *in l. cum pater.* 77. *§. Filius.* 23. *D. de legat.* 2. actionem concedunt. Non verò satis probatur, legibus Iuris civilis idem valuisse : quan-

doquidem Ius civile exigit præcisè causam sive contractum nominatum in hoc,ut obligationem parere possit, receptum *l. Iurisg.* 7. §. 1. 2. 4. *D.de pact.* unde & si sine causa quid peteretur, existimatum fuit dolo mali peti. *l. Palam.* 2. §. *Circa.* 3. *D. de Dol. mal. & met. except.* Quinimò tantum in operis libertorum promittendis, certa lege,ut obligatio ex eo dari posset, jusiurandum admissum fuit *l. Vt jurisiurandi.* 7. *pr.* & §. *Iurare.* 2. *l. Si quando.* 8. D. *de oper. libert.* *l. fin.* D. *de liberal. caus.* ac stipulationis vim habuit. *l. Et per Jusiurandum,* 13. D. *de Acceptila.* non eadem efficacia ejus fuit in aliis *l. Si quis pro eo* 56. *pr. D. de Fidejussor.* Vide Duar. *c.* 1. *h.* Vult. *discept. Scholast. c.* 7. Cujac. 22. *observ.* 7. Gudel. *d. lib.* 3. *c.* 7. Ratio dubitandi. Videtur à veritate alienum,Iusiurandum jure civili non fuisse sufficiens fundamentum obligationis ineundæ. I. Cum apud Romanos magna vis ac religio Iurisiurandi fuerit: nullum arctius ad fidem adstringendam vinculum habitum fuisse,testatur Cicero 3. *de offic.* II. Cum cesserit non tantum pro pacto, sed & judicio *l. Tutor.* 35. §. 1. *D. h.* majoremque habuerit jusiurandum auctoritatem, quam res judicata. *l. Iusiurandum.* 2. D. *h.* Ex judicio ac judicato actio est validissina. III. Cum dato jurejurando non quæratur aliud, quam an sit juratum, remissa quæstione de causa debiti & an debeatur. *l. Non erit juratum.* 5. §. *Dato* 2. *D. h.* §. *Item si postulante.* 11. *Inst. de action.* IV. Cum non tantum in testamentis detur actio ex jurejurando, *l. Cum pater.* 77. §. *Filius.* 23. D. *de legat.* 2. *l. Cum quis decedens.* 37. §. *Codicillis.* 5. D. *de legat.* 3. sed & in conventionibus. *l Sed & si servus.* 25. *verb. Puto actionem dandam propter religionem.* D. *h. l. si quis major.* 41. C. *de transact.* V. Cum jusiurandum validum sit ad obligationem constituendam ex jure divino *Psalm.* 15. *v.* 4. & Canonico. *c.* Debitores 6. & *c. cum contingat.* 28. *x. h.* non est dubitandum, quin & jure civili si contrarium doceri nequeat: Nam sacra jura, sacros

ca-

canones jus civile initatur. *l. Sacris.* 45. *verſ. Sacros enim C. de Epiſc. et Cleric.* Vid. Weſembec. *h. n.* 13.

9. Contractus, ex ſolo privilegio jurantis invalidi, confirmantur per juramentum. Ratio eſt *in l. pen. C. de pact.* Ita mulier rite beneficio SC. Vellejani jurato renunciat. Sand. *Deciſ. friſic. lib.* 3. *tit.* 11. *def.* 5. 6. minor juri reſtitutionis in integrum de jure civili *l.* 1. *& auth. ſeq. C. ſi adverſ. vendit.* Quod moribus multorum locorum improbari, rectè docet Tulden. *Comm. ad d. t.* C. quia facilè ad jurandum inducitur: cum ſatius ſit calores juveniles coerceri ſive refrænari *l. fin.* §. 5. *verſ. melius. C. de bon. q. lib.* Idem ſtatuo in contractibus, quæ ad ſolum commodum jurantis formam habent certam ac deſiderant aliquam ſolemnitatem. Ita, ſi Donator juraverit, ſe nihil contra donationem ſummæ majoris quingentis aureis facturum, ac donatarius eam non inſinuaverit actis, valebit in ſolidum donatio. Cum enim neceſſitas inſinuationis impoſita eſt propterea, ne quidvis claudeſtinis fraudibus pro negotii opportunitate confingi poſſit. *l. Data.* 27. *C. de donat.* ac ſic in utilitatem ſolius donatoris, poterit is renunciare favori pro ſe introducto *d. l. pen. C. de pact.* In ijs vetò contractibus, 1. qui pugnant cum bonis moribus 2. qui non tantum ad jurantis ſed & alterius jus pertinent 3. quique directo publici juris ſunt, confirmatio juramenti eſt irrita. *l. Non eſt dubium.* 5. *C. de legib. l. Iuriſg.* 7. §. *Et generaliter*, 16. *D. de pact. c. cum contingat*, 28. *x. h.* Ratio eſt 1. Quia ea, quæ contra honeſtatem ſunt, impoſſibilia dicuntur *l. Si filius* 15. *D. de condit. Inſt.* quorum nulla eſt obligatio. *l. Impoſſibilium* 185. *D. de reg. Iur. l.* 31. *D. de oblig. & act.* 2. Quia de jure tertii nulla eſt obligatio. *l. Quæcunque* 11. *D. de oblig. & Act. l. Si unus.* 27. §. 4. *in fin. D. de pact.* 3. Quia, quæ ſunt publici juris, privatorum pactionibus *l. Ius.* 38. *D. de pact.* & juramentis. *d. l. Iuriſg.* 7. §. *Et eleganter.* 16. *D. eod.* non ſubſunt. Ratio dubitandi. I. Nemo poteſt renunciare bene-

ficiis, ac singularibus privilegiis, cum sint juris publici: qualia sunt SC. Vellejan. *l.* 1. *D. ad SC. Vell.* & restitutiones minorum 25 annis *l.* 1. D. *de minor.* Nam ea quę descendunt ex publico jure, mutari non possunt per pacta & juramenta. *d. l. Iurisg.* 7. §. 7. *& d. §. Et generaliter.* II. Non est permittendum, ut, quæ indulta sunt ob imbecillitatem sexus vel ætatis imprudentiam juramento perimantur, ne vel fragilitas vel imprudentia in perniciem substantiæ convertatur *pr. in fin. Inst. Quib. alien. non lic.* facilè enim mulier & minor ad jurandum inducuntur. Videndum, ne Iuramentum sit doli fraudisq; stabilimentum, præsidium vinculumq; iniquitatis. III. Solemnia juris non possunt tolli *l. Nec ex* 27. *D. de regul. jur.* quia, si ea omittuntur, actus redditur nullus: ad actum verò, qui nullius est momenti, non accedit juramentum efficaciter. *l. non est dubium.* 5. *pr. & §. fin. C. de leg.* IV. Iuramentum in eo, quod lædit pietatem & contra Dei mandatum est, servari oportet: Ita Iosua servavit fœdus cum Gibeonitis initum. *Ios.* 9. *v.* 18. Ita qui illicitas usuras promisit jurato, eas tenetur solvere. C. *Debitores.* 6. *x. h.* V. Licet contra jus publicum pactum validè confirmare. Ita de publicis criminibus permissum est pacisci *l. Transigere.* 18. *C. de Transact.* nec non de Testamentis, modo verba eorum sint inspecta. *l. De his.* 6. *D. eod.*

10. Falsum est, quod Jure civili nulla sit perjurii pœna. Quia ejus fit generaliter mentio in *l. Nam sufficit.* 22. *D. de dol. mal.* & ad eam infligendam per leges, quæ delicta nolunt esse impunita, armantur Iudices. *l. ambiguitates* 2. *in fin. C. de indici vid. toll.* Ita & specialiter *in l. Si duo* 13. *in fin.* D. *h. l. fin.* D. *stellion. l. Si quis major.* 41. *C. de Transact. l. pen. C. de dignitatib.* Vide latè Menoch. *de arbitr. Iud. cas.* 319. Duaren. 2. *Disput.* 37. Robert. 2. *Sentent.* 20. Ratio dubitandi. *Ex l. Iurisiurandi* 2. *C. de reb. credit.* Vid. Donel. *ibid. &* 24. *Comm.* 9. Cujac. 2. *Observat.* 19. Harmenop. *lib.* 1. *Epit. t.* 7. *de jurejur.*

11. Ius-

11. Iusjurandum decisorium, aliud est voluntarium, aliud Iudiciale, aliud necessarium, ut patet ex *inscript. t. h. n.* Voluntarium, quod pars parti sine Iudicis authoritate & extra judicium defert. Hoc delatum, non est necessario præstandum vel referendum, sed rejici potest, at, si semel susceptum sit, præstari oportet & referri non potest. *arg. l. Sicut.* 5. *C. de oblig. l. Iusjurandum.* 17. D. *h.* Vide Wesemb. *in paratit. h. n.* 8. Ratio dubitandi. I. In genere ac pro regula traditum est, manifestæ esse turpitudinis & confessionis nolle nec jurare, nec juramentum referre. *l. Manifestæ.* 38. D. *h.* Regulæ autem tandiu standum est, donec de exceptione expressè doceatur. *arg. l. Suus.* 4. §. 1. *vers. propter quæ ad generalem definitionem recurrendum est. D. de Hered. instit.* DD. *in l.* 1. *D. de regul. Iur.* Ubi Cagnol. *n.* 21. Dec. *n.* 6. Everard. *loc. leg. ab Except. ad regul. n.* 12. Nec quicquam probatur in contrarium per *d. l. Iusjurandum.* 17. Quia ibi non respondetur de necessitate præstandi vel referendi, cum ex voluntate unius tantum est delatum, sed quod referri nequeat, cum partes convenerunt, ut ab uno præstetur. II. Ratio æquitatis suadet, ut, cum in pari partium causa offertur extra judicium electio utrum velit is, cui offertur, quid facere aut permittere ut offerens quid faciat, cogatur is, cui offertur, alterutrum eligere. *arg. l. Testamento.* 17. *pr. D. de Testam. tutel.* Hoc maxime in jurejurando valet, cum qui defert, facit adversarium judicem in sua causa *l.* 1. *pr. D. Quar. rer. act. non det.* adeoque nulla adversario fiat injuria.

12. Voluntarii delationem, antequam susceptum est, revocare statim suoque jure potest deferens. Bartol. Riminald. aliique DD. ad & per *d. l. Non erit ratum.* 5. §. *fin. D. h.* Hunc textum necessario esse accipiendum de non suscepto, demonstrant verba: *Si postea jurare paratus sit.* & verba *l. seq.* 6. quæ indicant paratum esse jurare & suscipere jusjurandum, esse idem. Si verò is, cui defertur, petierit tempus de-

liberandi ac deferens id indulſerit ei ſimpliciter (quia conceſſio ejus temporis dat poteſtatem ſuſcipiendi vel non ſuſcipiendi, aliorumque interim jus ceſſat, *arg. l. Quandiu.* 69. D. *de acq. vel omitt. hered.*) non puto id poſſe revocari, niſi *nova* probationis cauſa emerſerit: ne, quod certò probari poteſt, fidei incertæ adverſarii ſubjiciatur. *arg. l. Si quis jusjurandum.* 11. *C. de Reb. Credit.* Eſt enim jusjurandum extremum ac extraordinarium remedium, cui non poteſt nec debet eſſe locus, niſi cum alia remedia deficiunt. *Ad Hebræos c. 6. v. 16. verb. finis. arg. l.* 1. *D. h.* Nec viam perjuriis aperiunt leges, quæ puniunt perjuria. *Ambiguitates.* 2. *C. de indict. viduit. toll.* Via autem aperiretur, ſi contra certas probationes admittendum eſſet jusjurandum. Sin autem ſuſceptum fuerit, revocari non poteſt, licet id ſtatim juraturus non præſtet, ſed, ut totius negotii exactè momenta examinet, aliquandiu deliberet. Vide Bartol. & Zaſ. *in d. l. Non erit. §. fin.* niſi de novis certiſque probationibus inſtruatur deferens quas antè ignoraverat; ſiquidem enim de novis cogitaſſet, non detuliſſet. Et ſi ex iis nihil probaverit, habebitur delatum jusjurandum pro remiſſo *arg. d. l. Si quis.* 11. *C. h.* Si vero non poſſit allegare nova remedia, ſed in ſe velit probationem plenam ſuſcipere ex iis, quæ anteà ipſi erant cognita, non puto eſſe audiendum: Cum conventiones, eaque quæ ad eas pertinent, neceſſariò oporteat implere *l. Sicat.* 6. *C. de Obligat. & Action. l. Labeo.* 3. *§.* 1. D. *de recept. & qui arbitr. recep.* Ratio dubitandi. I. Deferens non poteſt ſtatim ac jure ſuo revocare, quod non ſuſceptum eſt: quia leges volunt, ut ſpacium concedat ac certioret adverſarium de tempore, quod dedit, ut is ſic juret, ſi nolit deferens jusjurandum remittere. *l. Iusjurandum & ad.* 34. *princ. in fin.* D. *h.* Nec enim quis aliter deferre videtur, licet nihil ſit dictum, quam ut alter, cujus arbitrio poteſtas jurandi vel non jurandi defertur, in re tam ardua aliquantulum deliberet. *arg.*

l. Quod

l. Quod si nolit. 31. §. *si quod ita.* 22. *verbis : si de tempore nihil convenerit in factum actio intra sexaginta dies utiles accommodatur. D. de Ædil. Edict.* II. Imò, dum currit tempus deliberandi, potest fieri revocatio: 1. Quia res in jusjurandum non est admissa, si nec juratum nec remissum est jusjurandum *d. l. Non erit.* 5. §. *fin.* qui autem deliberat, is nec juravit nec remissionem jurisjurandi nactus est. vid. Borcholt. *de Iurejur. c.* 6. *n.* 10. Godefred. *in Notis ad d. l. Non erit.* §. *fin. ad verb. proindè si postea.* 2. Quia, qui tempus ad deliberandum concedit, etiam ipse deliberare potest nec valide obligatus est; cum idem debeat ei esse jus quod alteri, & dilatio uni data etiam alteri data existimetur. III. Etiamsi nova causa & ad probandum sufficiens, emergat, tamen non potest revocari: quia quod semel placuit, posteà ex nulla causa mutari potest. *l. Pomponius.* 9. *D. de negot. gest. d. l. Sicut.* 5. *C. de oblig. & Act.* IV. Qui suscepit Voluntarium, statim tenetur jurare: quisque enim, antequam suscipiat, certus esse debet, ne temerè suscepisse & perjurium per dolum meditari censeatur. Huc facit dictum Salustii: priusquam susceperis, consulito: at, cum consulueris, maturè facto est opus. Accedit, quod, cum dies non adjicitur, præstandum sit id, de quo convenit, confestim. §. 2. *Inst. de verbor. oblig. præsenti die. l. Eum.* 41. §. *pen. D. eod. l. Si dies.* 21. *D. Quand. dies legat. ced.* Si itaque statim non juraverit, poterit revocari; qui enim conditionem in præsens tempus conceptam ut, tacitè statim juretur, non servat, conventionem à parte sua infirmat, ita ut ex ea nihil juris ad agendum habere possit. §. *pen. Inst. de Verb. oblig. l. Cum ad præsens.* 37. *D. de Reb. credit.* Idem est, si aliud quodlibet pactum, sive id expressum sive tacitum fuerit, licet non sit additum per formam ac modum conditionis, non servetur *arg. l. Quæro.* 54. §. 1. *l. Cum domini.* 56. *D. locat. c. Frustrà.* 75. *De. reg. Iur. in* 6. Ubi Vide Dynum. V. Licet ab adversario susceptum sit, potest tamen deferens non tantum, si

novis probationibus sed & cum iis, quas antè scivit, uti velit, revocare: siquidem enim renunciare liceat ei, qui suscepit & plenè vult probare, suscepto jurejurando, secundum *d. l. Si quis jusjurandum.* 11. *C. h.* etiam licebit deferenti revocare, quia par debet esse conditio contrahentium *l. Quid tamen.* 21. §. *pen. vers. absurdum.* D. *de recept. & q. arb. recep.* sic tamen, ut si non probet, posteà nec jurare nec deferre possit: Non enim, qui revocavit, regressum habere potest ad id, quod displicuerat ei anteà, &, à quo voluntario recesserat. *arg. d. l. Si quis.*

13. Judiciale, quod pars defert parti in judicio ex judiciali sententia vel sine ea, referendū, si nihil obstet, vel præstandum est, si deferens de calumnia jurare non detrectet: aliàs is, cui defertur, cum nec jurare nec referre vult, ejusque causa est iniqua, si actor sit, solvere, si verò reus sit, desistere à lite cogendus est. *l. Iusiurandum.* 34. § *Qui Iusiur.* 4. *& seqq.* D. *h.* Idem est asserendum, licet ille, qui detulit, nihil probaverit vel probare possit. 1. Cum *dd. ll.* & *d. l. manifestæ.* 38. *D. h.* aliique textus, quibus necessitas jurandi vel referendi imponitur, non exigant, ut causa deferentis sit dubia vel aliquo modo probabilis: uti quidem expresse requiritur in necessario *l. Admonendi.* 31. D. *h.* 2. Cum nominatim respondeatur *l. Tutor.* 35. *D. h.* deficientibus omnibus aliis probationibus deferri posse. 3. Cum & statim in principio litis, cum nondum tractatur de probatione, delatio rectè fiat *l. Generaliter.* 12. *in fin. princ. verb. vel in principio, vel in medio. C. h.* 4. Cum omnes textus loquantur indistinctè, *d. l. Ait prætor* 7. *l. Iusiurandum.* 34. §. *Ait prætor.* 6. *in d. l.* Delata 9. *C. h.* & *d. l. fin. C. de fideicomm.* ubi ante medium hæc sunt verbi: *Sancimus, vel sacramentum subire, vel omnimodo ad satisfactionem compelli fideicommissarium:* addita hac ratione quæ non tantum eo casu sed & alio omni valet) *Cum ipse* (sc. quia jurat) *sibi judex & testis inveniatur, cujus religio ac fides*

electa

electa est: nullis testibus (notanter) *nullisque aliis adventitiis probationibus requisitis.* ut & in *l. fin. §. licentia.* 10. *C. de jure delib.* ubi hæc verba: *vel per sacramentem illius* (sc. cui defertur) *si aliæ probationes defecerint.* Idem convenit intentioni Legumlatorum, qui litem tantum, non probationem desiderant apparentem, ut ibi, ubi tantum controversia est, locum habeat *Ad Hebræos* 6. *v.* 16. *l. Generaliter.* 12. *pr. verb. in litibus. C. h.* Vide Donel. *de jurejur. c.* 22. Duaren. *C. de reb. credit. c.* 3. Cujac. 22. *observ.* 28. Setz. *lib.* 4. *de Iuram. n.* 46. Mascard. *de probat. Conclus.* 958. *n.* 6. *ubi inquit esse communem opin.* Fachin. 1. *controv.* 19. Idem statuo, licet probare tentaverit deferens. *l. Delata.* 9. *C. de reb. credit.* Vide Fachin. 1. *controv.* 20. Ratio dubitandi. I. Si actor non teneatur jurare quando suam intentionem plenè probare vult, uti decisum est variis locis, ac præcipuè *d. l. si quis.* 11. *C. de reb. credit.* non est justa ratio, ut reus juret vel referat, si jus ejus sit liquidum. *arg. l. Non debet.* 41. *D. de regul. Iur.* Vid. Ripam in *l.* 31. *n.* 65. *D. h.* Dec. *in c.* 2. *x. de probat.* Hartm. Hartmann. *Tit.* 25. *observ.* 2. *&* *Tit.* 13. *observ.* 3. II. Non debet initium suarum probationum de domo Rei Accusator vel Actor sumere *l. De minore.* 10. *§. nec debet.* 4. *D. de Quæstion.* Nec reus edere actori sed actor reo cogitur *l. Et quæ.* 8. *C. de edend.* Nimis grave est partem diversam urgeri ad hoc, per quod sibi negotium fiat. *l. Nimis.* 7. *C. de Testib.* Hæc maximè in Iurisjurandi delatione locum habent, ne per eam rem fiat captio debitori, vel temerè juretur. Propterea justissimè, cum quidam valdè sint faciles ad jurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis usque ad superstitionem, ne vel hi vel illi consequerentur vel perderent suum, placuit in multis talibus remittere conditionem jurisjurandi. *l. Quæ sub conditione.* 8. *D. de condit. Inst.* III. Regula est generalis: Qui nihil probat, nihil obtinet, ac actore non demonstrante veritatem suæ intentionis, reus absolvitur, quamvis

 ipse

ipſe nihil præſtet. *l. Qui accuſare. 4. verſic. Actore. C. de Edend.* §. *Retinendæ.* 4. *Inſtit. de interdict.* IV. Jure is, cui jusjurandum à parte vel à judice illatum eſt, id recuſat, & judex, coram quo pars detulit vel qui ex ſua authoritate id impoſuit, non mox recuſantem condemnabit, ſed recuſans, ſi judex tulerit contra eum ſententiam, appellare poterit, ut de Iure delationis ac lite ipſa coram ſuperiori diſputetur: malè ergò dictum ex *d. l. 34. §. 4. & ſeqq.* quod cogatur jurare reus, referre vel ſolvere. V. Si probare tentaverit actor, non poteſt convolare ad delationem Iuramenti, ut manifeſtè patet ex *d. l. Si quis. 11. C. de reb. credit.* Nec enim quandò eſt uſus ordinario tranſire debet ad extraordinarium; quia per ordinarium excluditur extraordinarium. *arg. l. in cauſæ. 16. D. de minorib.*

14. In Criminali accuſatione, nec non in Matrimoniali cauſa, cum quæſtio eſt an fides nuptialis ſit actori data, non poteſt deferri Iudiciale hoc effectu, ut is, cui delatum eſt, cogatur jurare vel referre, vel admittere plenè jus agentis. Deſideratur in criminalibus exacta probatio *l. fin. C. de probat.* & ſæpè vertitur in iis vitæ periculum, ob quod evitandum perjurium juſtè metuitur: ubi verò hoc metuitur non eſt jurandum. Matrimonialis cauſa maxime præ aliis eſt ardua: cum in ea tractetur non tantum de individua conjunctione, de divini ac humani juris communicatione *l. 1. D. de rit. nupt.* §. 1. *Inſtit. de perata poteſt*, ſed & de ſalute animæ. Ubi diſcors eſt matrimonium, ibi perpetua jurgia, peccata, vexationes in hac vita & conſequenter nihil aliud quam triſtiſſimus expectandus eſt vitæ hujus exitus & per eum in mortem æternam introitus. Ubi amor conjugalis deſinit, ibi impietatis omnis eſt initium. Accedit, quod facilè perjurium committitur in hoc negotio. Quid enim non juraret amoris œſtro percitus? Furioſum eum exclamat. *Nov. 74. c. Illud. 4. verſ. novimus*, *ubi hæc verba: novimus, etſi caſtitatis ſumus amatores, nihil eſſe* *furo-*

furore amoris vehementius ; quem retinere Philosophiæ est perfectæ. Confirmat idem Cicero 4. *Tusculanar. quæst.* Unde Seneca : *Amor, rationis oblivio est & insaniæ proximus.* Nemo verò sanus dixerit furioso vel insaniæ proximo committenda esse Iurisiurandi sacra, *l.* 1. *in fin. C. si advers. vendit. l. Ambiguitates*, 2. *C. de jud. viduit. toll.* Quid quoque non juraret, qui liberari posset à fœmina, quam metuit fore tempestatem domus, vitæ captivitatem ac radicem omnium malorum ? Tantum non perire quam ei copulari optaret. Vide Beust. *pact.* 1. *de sponsal, c.* 41. Ratio dubitandi. I. Nusquam excipiuntur criminalia & matrimonialia, sed de qualibet causa, sive pœnalis sive alia fuerit, jurare permittitur *l. ait prætor.* 3. §. 1. D. *h.* ac de omni re. *d. l. Iurisjurandum* 34. *pr.* D. *h.* imò cum non est in his prohibitio, est permissio. *l. mutus.* 43. §. 1. *D. de procurat.* II. In matrimonialibus regula valet : pro matrimonio est respondendum. *arg. l. In ambiguis* 85. *D. de reg. Iur.* ergo ei, qui matrimonium contractum esse asserit, est deferendum Iusiurandum : sed non contra, ut Pet. Heig. 2. *quæst.* 16. *num.* 7. Gail. 2. *Observat.* 94. *n.* 13. *& seq.* aliique demonstrant. Nec discordia metuenda est : experientia docet, discordes ab initio, quique magnis molestiis litem egerant, maximè concordes per cohabitationem esse redditos.

15. Delatio Jurisiurandi Iudicialis à Pupillis, Minoribus sine auctoritate & consensu tutorum aut curatorum ac à Prodigis ac similibus fieri nequit, quia non habent personam standi in judicio. *l.* 1. *& seqq. C. Qui legitim. person. stand. in judic.* ideoque licite ab eo, cui ea fit, rejicitur : sed rectè fit à Tutoribus ac Curatoribus eorumque authoritate à pupillis ac consensu à minoribus. *arg. dd. ll.* Ita tamen, ut, si læsio, intervenerit, in integrum restitutio fiat. *l. Minorib.* 2. *& seq. C. Si tut. vel Curat. interven.* Arbitror eum, cui à Minore delatum est Iusiurandum, recusare posse, nisi legitimè renunciatio restitutionis fiat. Iniqua enim

enim conditio inferretur adversario, si nec referre id, nec valide ac sine suspicione perjurii ob restitutionem secuturam, posset præstare: Uti enim in Iurejurando fides servanda, ita & existimationis bonæ sacra non sunt temeranda facile. Parem quoque agentium & contrahentium conditionem esse oportet, Inde quoque deducitur, quod, si is deferat, qui pejerare solitus vel aliàs turpis est, recusari possit: periculum enim est, ne deferens falso juraret vel de calumnia, vel in ipsa causa, si ei referretur jusjurãdum Bart. *in l.* 34. D. *h.* In eo enim consistit delationis efficacia, quod possit referri delatum & deferens teneatur de calumnia jurare *d. l. Iusiur.* 34. §. *Qui Iusiur.* 4. *&* §. *ait prætor.* 6. *D. h.* Idem statuo, si deferens veritatem rei ignoret: Idem si sit procurator, quia non rectè jurat *l. Iusiurandum.* 34. §. *procurator.* 3. *D. h.*, nisi rem sciat ac suo nomine sit paratus, relatione facta, jurare, vel ipse Dominus ad hoc suo nomine dederit speciale mandatum & procurator susceperit. Sin autem sit periculum, ne alicujus perjurium vel suum vel alterius detegatur, non est admittenda recusatio: potest enim is, cui est delatum, evadere referendo deferenti, aliorum verò, si verum dicat, perjuria non curabit. Vide Fachin. 1. *Controv.* 22. Cravett. *cons.* 207. Si de voluntario juramento ejus, cui defertur, quæratur, sequi oportet in pupillo, responsum *in d. l. Iusiurandum* 17. §. 1. In minore, responsum *in l. Nam posteaquam.* 9. §. *si minor.* 4. D. *h.* addito temperamento ex *l. Si curatorem* 3. C. *de restitut. in integr. minor.* In prodigis, responsum *in l. Tutor.* §. 1. D. *h.* In procuratore responsum *in d. l. Iusiurand.* 17. §. *fin.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Si in judicio vel ex autoritate judicis deferatur juramentum vel ab ipsis tutoribus aut curatoribus vel à pupillis ex tutorum authoritate, vel à minoribus ex curatorum consensu, non datur restitutio, quia interventio aut sententia Iudicis plenam præbet securitatem in solutione *l. ait prætor.* 7. §. *sed & si ei.* 2. *in fin.* D. *de minor.*
l. 25.

l.25. C. de administr. tutor. Iusiurandum verò cedit etiam pro solutione *l. Tutor. 35. §. 1. D. h.* & locum habet in iis, quibus potest solvi. *d. l. Iusiurandum 17. §. Si tutor. 2. D. h.* Nec obst. *d. l. 2 & seq. C. si tut. vel curat. interv.* quia ii textus loquuntur de simplici sententia, non de ea, cum qua concurrit Iusiurandum. Imo & *in l. 1. & Auth. seq. C. Si advers. vendit.* expresse negatur restitutio contra fidem à minore juratò datam. II. Nullo textu comprobari potest, quod, ut recusari possit jusiurandum à minore, pupillo tutoribus aut curatoribus delatum, requiratur renunciatio restitutionis, sed simpliciter ubique est responsum, validè & efficaciter ab iis deferri *d. l. Nam 9. §. si minor. 4. d. l. Iusiurandum. 17. §. 1. & §. si tutor. 2. D. h.* Sine lege autem loqui erubescimus. *Nov. 18. c. 5.* & solemnitates ac rerum requisita augeri non oportet. *l. curent. 22. D. de Testib.* III. Oportet jurare, licet deferens sit turpis persona aut res gesta ignoretur, propter generalitatem textus *in l. Manifestæ. 38. D. h.* Nec valet argumentum ab inutilitate vel impotentia referendi ad recusationem: *l. Iusjurandum. 34. §. non semper. 8. D. h. l. 7. §. 3. D. de obseq. par. vel patron. præst. c. fin. x. h. l. Marcellus. 11. §. 1. & seqq. & ll. seqq. D. Rer. amotar.* De turpi deferente vide Donell. *de Iurejur. c. 13.* De ignaro rei gestæ vid. Cravett. *consil. 203.* Menoch. *de arb. jud. cas. 189.* Fach. *1. controv. 21.* IV. Non debet compelli quis ad jurandum vel referendum is, de cujus perjurio detegendo periculum est: quia nemo tenetur se prodere & quid facere ad sui gravamen: cum id, quod lædit honestatem, sit impossibile. *l. Si filius. 15. D. Condit. Inst.* V. Si voluntarium Iusjurandum delatum à pupillo sine authoritate tutoris sit præstitum, nulla datur exceptio *l. 1. §. 1. D. Quar. rer. act. non est.* ergo *in d. l. Iusjurandum. 17. §. 1.* exceptionem dari malè responsum est: cum & constet ex *l. 4. C. de Reb. credit.* licet à pupillo sit delatum, æquè posse exerceri ipso jure, nulla locum habente exceptione, actionem veterem

terem. VI. Circa voluntarium in minoribus nusquam distinguitur, nec ullum temperamētum est circa hanc rem in *d. l. Si curator.* 3. *C. de in integr. rest. minor.* quia ponit differentiam ea lex inter eos, qui habent vel non habent curatorem, tantùm circa alienationem: cum a. minores possint obligari sive habeant curatores sive non. *l. Puberes.* 101. *D. de verbor. oblig.* & in jurejurando voluntario tantum sit conventio de veritate dicenda *l.* 1. *d. l.* 17. *pr.* non alienatio, patet *d. l.* 3. huc non facere. VII. Non est conforme principiis juris responsum *in d. l. Iusjur.* 17. §. *fin.* quoad eum, qui universor. bonorum simplex est procurator: cum res nequeat alienare & agendo in judicium deducere *l.* 63. *D. de procurator.* Id autem requiritur ut deferens, possit alienare ac in judicium deducere ac solutionem recipere *d. l. Iusjur.* 17. §. *si tutor.* 2.

16. Ex voluntario non tantùm sed & Iudiciali jurejurando à creditore præstito descendit actio in factum. Est enim textus in §. *Item. si quis c.* 11. *Inst. de action. l. nam postequam.* 9. §. 1. *l. Sed si.* 11. §. 1. *D. l. actore.* 8. *C. de reb. credit. h.* generalis & utraque species ex conventione est. Vide Costal. Bartol. in *d. l.* 9. §. *fin.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. In duobus.* 28. §. *fin.* D. *h.* ubi actionem vel exceptionem dari docet ICtus non aliter, quam si extra judicium sit juratum: verba enim, *si reus fortè extra judicium*, conditionem ac formam sive requisitum necessarium indicant. II. Cum judiciale jusjurandum sequatur sententia Iudicis necessariò *l. jusjurandum.* 34. §. *fin.* D. *h.* (de qua enim re cognoverit judex, de ea pronunciare tenetur. *l. De qua.* 74. D. *de Iudic.* at de judiciali jurejur. cognovit. *l.* 12. C. *de reb. Cred.*) non in factum, sed judicati actio competet *d. l. actore.* 8. C. *de reb. credit.* Vide Donell. 24. *Comment.* 18.

17. Puto actione in factum agi ex veteri causa, facta mentione delationis Iurisjurandi. *l. Si duo.* 13. §. *Si quis juraverit.* 3. *& seqq.* D. *h. l. Sed & si res.* 7. §. *si petenti.*
7. D.

7. D. *de public. in rem act. l. illud aut illud.* 24. §. 1. D. *de const. pecun.* Ratio dubitandi. I. Vetus actio est in totum sublata per novationem *l. Qui jurasse.* 26. §. *fin. junct. l. Huic.* 21. D. *h.* Ergò ex ea non potuit agi. Nec de veteri causa quæritur, sed tantùm an juratum sit *l. Non erit.* 5. §. *Dato* 2. D. *h. d. l. Item si quis postulante.* 11. *Inst. de action.* II. Frustra actio in factum introducta esset, si ea non deberet institui specifice ac formaliter. Vide Donell. 24. *commentar.* 16.

19. Uti creditor sibi deberi jurans consequitur actionem: ita reus exceptionem, vel hoc jus, ut actori denegetur actio. Si enim ambigatur an juratum sit, est locus exceptioni: si non dubitetur, actio nulla est. *l. Nam posteaquam.* 9. *pr.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Inquit Prætor simpliciter, se non daturum actionem. *l. Ait Prætor.* 7. D. *h.* II. Indefinitè variis locis tribuitur exceptio. §. *Æquè. Inst. de Except. l.* 1. §. *si petitor.* 2. & *seq.* D. *quar. rer. act. non dat. d. l.* 9. §. 1. §. *sed & si.* 5. & *seq. l. Qui jurasse.* 26. §. 1. *l. Quod si.* 29. *jusjurandum.* 40. *l. fin.* D. *h.* III. Iusjurandum vicem rei judicatæ habet. *d. l.* 1. *pr.* D. *Quar. rer. act. non dat.* Ex judicato autem est exceptio. *t. t.* D. *de Except. rei jud.*

20. Nihil tam inhumanum est, quam, ut si jurantis dolus & falsitas in jurejurando sibi delato doceri possit non subveniatur læso extra ordinem, ex generali clausula, *si qua mihi justa videbitur causa. l. Divus.* 7. D. *de restit. in integr.* ne malitia pejeranti sua sit lucrosa & decepto noceat. *l.* 1. D. *de dol. mal.* Non leges decipientibus sed deceptis succurrunt: Non à jure, quod punit perfidiam, authoritas ad defendendos perjuros est expectanda. *l. ambiguitates.* 2. C. *de indict. vid. toll. l.* 1. C. *si advers. vendition.* Nullum perjurus in conventione patrocinium habet, quia semper excipitur dolus, nec, cum futurus dolus nulla expressa conventione remitti possit *l. Si unus.* 27. §. 3 D. *de pact.* idem tacite remissus esse præsumitur. Quid? Dolus suus cuique non alteri nocere debet. *l. nam si actor.* 26. D. *de Rei vindicat. l. is, qui*

à debi-

à debitore. 9. D. *Quæ in fraud. credit.* Ratio dubitandi. Ex I. *l.* 1. C. *de Reb. credit.* II. Ex *l. admonendi.* 31. *in fin.* D. *h.* III. Ex *l. Quod si, deferente* 21. *& seq.* D. *de dol. mal.* IV. Ex *l Non erit.* 5. §. *dato.* 2. *l. Quod si.* 29. D. *h.* V. Accedit hæc ratio. 1. Quod finis controversiæ omnis sit jusjurandum etiam jure divino *Ad Hebræos* 6. *v.* 16. 2. Quod si juratum non fuisset, proculdubio aliis justis argumentis potuisset is, qui juravit firmare suam causam sive ejus jus. 3. Quod tam præsumi possit, instrumenta vel testimonia, quibus deferens vel referens detegere satagit perjurium, esse falsa, quam jurantem jurasse falsò. Vid. DD. in *d. l. admonendi & in d. l.* 1.

21. Necessarium Iusjurandum est, quod judex ob inopiam probationum in causis dubiis defert, delatione non interveniente. Necessarium hoc rectius dicitur quam illud, quod supra judiciale appellavi. 1. Quia ex necessitate juris defertur & non habet rationem consensus vel conventionis. 2. Quia necessario est præstandum ab illo, cui defertur, nec referri potest. Alterum verò judiciale rectius dicitur. 1. Quia in judicio & coram ipso judice & ex ejus approbatione vel condemnatione defertur. Vide Borcholt. *de jurejur. c.* 2. *n.* 6. Donell. *d. lib.* 24. *comm.* 18. 19. Ratio dubitandi. I. Illud optimè judiciale dicitur, quod Judex ex mero officio suo defert; ita judiciales stipulationes, quæ à judicis officio proficiscuntur. *l.* §. *Iudiciales. Inst. de stipulat.* II. Optimè id necessarium dicitur, quod vel necessariò præstandum aut referendum, vel quod à deferente relatum præstari oportet. *d. l. jusjurandum.* 34. §. *Datur.* 7. *D. h.* III. Cum leges tantum agnoscant duo Jurijurandi genera, videlicet, conventionale & judiciale. *l.* 1. *l. admonend.* 31. *D. h.* necesse est necessarium, cujus fit mentio in *inscript.* D. *h. tit.* comprehendendum esse sub conventionali, quia & ex partium delatione ac conventione fit.

22. Quæ in hac re causæ dubiæ sint, & utrum actori an

an reo deferendum sit, arbitrio judicis est relinquendum *arg. c. fin. x. de jurejur. l. In bonæ.* 3. *C. de Reb. cred.* quia in facto consistit. *l. Mora.* 32. *D. de usur.* Procedet verò judex in hac re circumspectè, ut rem dubiam arbitretur, non cum reus intentionem actoris negat eo enim modo omnes essent causæ dubiæ, nec cum actor nonnihil probavit, uti per unum, non satis idoneum testem. Siquidem verò sit unus omni exceptione major testis pro emtore, inducetur Iudex ad deferendum, *arg.* D. *c. fin. x. de Iurejur. l. Testium.* 3. *pr.* & § *Ejusdem.* 2. *versic. aliàs* D. *de Testib. l. Theopompus.* 14. D. *de dot. præleg.* Vide Mynſ. 1. *Obſ.* 58. Maſcard. *concluſ.* 957. Famam publicam constantem ac ex indiciis justis ortam ad hanc rem sufficere puto *d. l. Testium* 3. §. *Ejusdem.* 2. *verb. fama consentiens confirmat rei, de qua agitur, fidem.* Vide Gloss. Bart. in *d. l. admonendi.* 31. *D. h.* & ibi Coraſ. *n.* 8. ut & comparationem literarum factam secundum formam *l. Comparationes.* 20. C. *de fid. Instrum. junct. nov.* 73. *c. Si tamen* 3. scripturam privatam, quam reus non negat esse suam sed incautè expositam asserit. *d. nov.* 73. *c.* 3. nec non rationes Mercatorum legitimè scriptas, uti usus approbat: quotiesque ea sunt indicia ut judex ferè credat actoris intentionem esse veram *arg. l. Iudicia.* 19. C. *de Rei vindicat. l. ad probationem.* 21. *l. fin. C. de probat. l. Dolum.* 6 *C. de dol. mal.* Non verò oblationem jurisjurandi ab actore factam: eo enim ipso se suspectum facit: nec permittendum, ut temere in sua causa fiat judex. *t. t.* C. *ne quis in sua caus. judic.* nec deferet judex actori vel reo, cum æquales utrinque sunt probationes vel præsumtiones: hoc enim casu pro Reo judicandum est. *c. cum sunt.* 11. & ibi latè ac eleganter Dyn. *de Reg. Iur. in 6.* sed semper ei, pro quo maxima est præsumtio & verisimilitudo, vide Cujac. *in nov.* 7. Si semiplenè vel ferè plenè actor probaverit, Actori, si non semiplenè, Reo imponat necessitatem jurandi, modò in proprio versentur negotio & ignorantiæ causam nullam habeant. In dubio

bio autem Reo deferet. *d. cum sunt. sit l. favorabiliores.* 125. *D. eod.* Itaq; si is, cui ex iis deferendum est, sit ignarus rei gestæ reus semper est absolvendus. Ratio dubitandi. I. Non debet in dubio deferri à judice jusjurandum. Iudex enim ex certa scientia dicet sententiam Actore non probante. sc. plenè, reus absolvetur. *l. Accusare. 4. C. de Edend.* Non plena probatio est nulla: paria enim sunt, nihil vel vitiosè quid fieri. *l. Quotiens. 6. D. qui satisd. cogant.* Ac incertò per jusjurandum quid probatur propter hominum malitiam facilè pejerantium. II. Unus licet Curiæ honore præfulgeat, testis non est audiendus, nihil probat *l. 20. D. de quæstion. l. Iurisjurandi. 9. §. 1. 2. l. ubi. 12. D. eod.* Vide Donell. 24. *comm.* 11. Duaren. *de Iurej. c. 7. & 2. Disput.* 33. III. Fama publica nihil facit. Vanæ voces populi non sunt audiendæ. *l. Decuriones. 12. §. 1. C. de pœn.* Nec rumor cuiquam obest. *l. fin. D. de hered. Inst.* IV. Periculosum est vel minimum tribuere comparationi literarum: ne malitiis indulgeatur. V. Scripturæ privatæ & Mercatorum libri nullam merentur fidem. *l. Instrumenta domestica 5. l. Rationes. 6. & seq. C. de probat.* VI. Contradictio rem facit dubiam ut & omnis lis *l. 1. D. de Transact.* In omni itaque controversia, licet nihil probatum vel inopia sit omnium probationum *l. 3. C. de Reb. cred.* Iusjurandum potest ad similitudinem litigantis privati *l. 35. D. h.* deferri à Iudice. Huc pertinet dictum Pauli? omnis *controversiæ* finis est juramentum. ad Hebr. 6. *v.* 16. ut & IC. responsum de litibus expediendis in *l. 1. D. h.* VII. Imo deferri oportet cum sunt æquales probationes, quia tunc maximè est res dubia. Vide Donell. *de Iurejur. c. 11. n. 4.* Duaren. 2. *disputat.* 33.

23. In criminalibus, præsertim atrocioribus, nec non matrimonialibus causis, quibus quæritur an nuptiæ sint contractæ, non est deferendum à Iudice necessarium, quod à nonnullis appellatur suppletorium vel suppletivum. Fundamenta hujus decisionis vide *Th.* 14

ha

hac disputat. vide de criminalibus Fach. 1. *controv.* 13. Setz. 4. *de jurejur.* 14. Ratio dubitandi. I. Propter generalitatem textuum in *l.* 1. *l. Admonendi.* 31. *D. h. l. In bonæ.* 3. C. *de reb. credit. ad Hebræos.* 6. *v.* 16. *verbis: omnis controversiæ.* II. Generale est præceptum quod confessus habendus sit pro convicto, & confessio sufficiat ad condemnationem sive sit per tormenta extorta sive alio modo facta *l. Qui sententiam.* 16. *C. de pœn.* nulla ergò ratio justa inhibebit delationem jurisjurandi ad veritatem investigandam. III. Lex Dei jubet, ut in delictis juret Reus *Exod.* 22. *v.* 8. 11. nec inusitatum in populo Dei jusjurandum necessarium in matrimonialibus. IV. In controversia de nuptiis præstat statuere, ut quidem delatio procedat non contra matrimonium sed pro eo: non contra, quia non potest dissolvi per ullum hominem *arg. c. In literis ibi* Gloss. in *verb. probata. x. de testib.* pro eo, quia res ea est maximè favorabilis. Vide Gail. 2. *Observ.* 94. *n.* 12. *& seqq.*

24. Iudex rectè hoc jusjurand. defert, quamvis id non fuerit petitum. Dependet enim necessitas deferendi non à postulatione partium, sed mero Iudicis officio & causæ cognitione. *l.* 1. *verbis, authoritate Iudicis. l. Admonendi.* 31. *verb. solent judices exacto jurejur.* D. *h. d. l. In bonæ.* 3. *verb. causa cognita.* C. *de reb. credit. c. ult. vers. sane, verb. nisi judex viderit deferendum, x. h.* Incumbit judici, ut sedulo omnia rimetur, nullisque parcat laboribus ad veritatem investigandam. Gail. 1. *observ.* 108. *n.* 3. *& seqq.* Cæterum, licet quis sese offerat ad jurandum, ut intentionem suam confirmet, non malè fecerit Iudex, si ei causa cognita deferat. Vid. Fachin. *d. loc.* Ratio dubitandi. I. Iudex non impertit officium, nisi rogetur. *l. Dies.* 4. §. *Hoc autem Iudicium.* D. *de damn. infect.* ergò deferre non potest, nisi partes id desiderent. Vide Bartol. & Jason. in *d. l. admonendi.* Nec enim potestas Iudicis excidere potest ultra id quod in judicium deductum est. *l. ut fundus* 18. D. *comm. divid.* II. Non est deferendum ei, qui sese

ad jurandum esse paratum profitetur: quia ejusmodi oblatio plane suspecta est. *arg. l. ait. prætor.* 3. *pr.* D. *h. l. Quæ omnia.* 25. *versic. nam hoc ipso.* D. *de procurator. l. Vxori* 18. §. 1. *verb. suspectus præsumitur, quod videbitur affectasse.* D. *ad l. Cornel. de fals.* honestè quidem præstatur delatum, sed inhonestè effectatur. Vide Panormit. in *d. c. ult. vers. Sanè.*

25. Potest & deferri cum conclusum est in causa *l. Generaliter.* 12. *pr. verb. vel in ipsa definitiva sententia sub ipso judice detur. C. de reb. credit. l. ubicunque.* 21. D. *de interrog.* imò magis post conclusionem quam antè: cum tunc demum judex incipiat causam examinare. quia judici non concluditur. *arg. c. Cum Ioannes,* 10. *vers. non obstante. x. de Fid. Instrum. l. Cum judex.* 11. *c. de sent. & inter l. omn. jud.* vide Gail. 1. *observ:* 108. *n.* 3. Ratio dubit. I. Non potest pars parti deferre juramentum postquam conclusum fuerit, non ergò & Iudex, cui plus juris concedi non debet quam partibus. Et cum partes per conclusionem in causa renunciarunt suis probationibus *c. Cum dilectus. x. de fid. instrum. Auth. Qui semel. C. de probat* nihil, quod est facti, à judice est supplendum: nec etiam contractum, qui per judicium inter litigantes initur. *l.* 3. §. 11. D. *de pecul.* judex mutare, sive quid addere vel detrahere potest.

26. Videtur probabilius esse, hoc jusjurandum vel ab initio, antequã judex deferat, facta conventione, vel pòst ex voluntate adversæ partis, cum delatum est, posse remitti: quilibet enim & beneficio Appellationis *l.* 1. §. *si quis ante.* 3. *D. A quib. appell. non lic. l. un.* §. *fin. C. de tempor. appell.* omniq; juri pro se introducto renunciare potest. *l. pen. C. de Pactis.* A tota lite recedit quisque impunè, cum sibi tantùm faciat præjudicium. Ratio dubit. I. Non est partium præscribere Iudici modum cognoscendi & indagandi veritatem. Est enim hoc publici Iuris ac officium Iudicis in invitos exercetur ordinariò: Ea verò, quæ publici sunt juris, non possunt

mutari

mutari privatorum pactionibus. *l. Ius publicum.* 38. D. *de Pact.*

27. Appellari poteſt à neceſſario: quia ab omni ſententia datur provocatio ad ſuperiorem Iudicem *l.* 1. *pr. D. de appellat. l. & in majoribus. C. eod.* non à Conventionali, ſive ex delatione ſive ex relatione fuerit præſtitum *l. Generaliter.* 12. §. *Sed juramento.* 1. §. *ſive autem.* 3. *C. de reb. credit.* Vide Fachin. 1. *controv.* 23. Ratio dubitandi. I. Nec poteſt admitti provocatio à neceſſario 1. Quia omnis controverſiæ *Finis* eſt Iuramentum *l.* 1. D. *h. Ad Hebræos.* 6. *v.* 16. nec de perjurio facilè eſt quærendum. *l. fin.* D. *de in lit. jur.* 2. Quia in *l. Generaliter.* 12. *in fin. princ.* conſtituit Imp. Iuſtinianus, in omni juramento ſive à Iudicibus ſive à partibus ſit illatum non expectari poſſe formidinem provocationis. II. Is, qui retulit, poteſt appellare. 1. Quia non ſponte retulit ſed ex neceſſitate, ne vel jurare vel ſolvere cogeretur. *l. Iusjurandum.* 34. §. 4. *& ſeqq.* D. *h.* 2. Quia in omnibus textibus, qui negant appellationem in jurejurando, tractatur tantùm de delato præſtito. *d. l. Generaliter.* 12. *pr.* §. 1. 3. ubi Cyn. 3. Quia expreſsè definitum eſt *d. l.* 12. §. 1. poſſe à delatione, facta à parte, appellari. Vid. ibi Sichard.

28. Reus, Iurejurando neceſſario à ſe præſtito, videtur magis ab inſtantia, quam à tota lite eſſe abſolvendus: Novis enim inſtrumentis repertis poteſt actor denuò agere. *l. Admonendi.* 31. D. *h. l.* 2. *C. ſi (ex falſ. inſtrum.* At non opus eſt præcisè reſtitutione in integrum, cum & audiri debeat actor ex integro, ſi nova ſe inveniſſe inſtrumenta, quibus ſolis uſurus eſt, dicit. Ideoque præſtat ſemper proteſtari, cum defertur ejuſmodi jusjurandum, ut jus maneat probare poſtea volenti ſalvum. Ratio dubitandi. I. Non debet hoc jusjurandum retractari, 1. Cùm ſententias ac res judicatas ſubverti ſit pernicioſum. *l.* 65. §. 2. D. *ad SC. Trebell.* maximè ſi ſint latæ ex jurejurando.

l. fin. D. de in lit. Jur. II. Imò opus est restitutione. *arg. l. Divus.* 33. *D. de re judicat.* Vide Costal. *in l. Admonendi.*

Ex t. C. & D. de in lit. Iurand.

29. Jusjurandum in litem duplex est, affectionis & veritatis. Illud, propriè ac excellentiori gradu in litem appellatum est, cum jurare permissum est ultra verum rei precium *l. 1. l. Tutor.* 8. *D. h.* in infinitum *l. Restituere* 68. *D. de Rei vindic. l. videamus.* 4. *Iurare.* 2. *D. h.* adeoque magis ex affectione. Non enim parcendum est ei, qui dolo facit, ut non restituat vel exhibeat: nec invidendum est ei, cui per dolum adversarii denegatur rei suæ restitutio vel exhibitio, ut quid affectioni ejus tribuatur. Vid. Borcholt. *de in lit. jur. c. 2. n. 2.* Anton. Fabr. 16. *conject.* 17. D. Buf. in *d. l. Tutor.* 8. *n.* 1. Donell. in *præfat. h. n. 6. l. 1. 2. §. 1. l. 5. §. 3. l. 8. D. h.* Veritatis verò jusjurand. non excedit verum precium ac locum habet generaliter cum non potest aliter constare de æstimatione. Ratio dubitandi. I. Nunquam in æstimatione habet judex rationem affectionis *l. fin. D. de oper. serv. l. Precia.* 63. *D. ad l. falcid.* etiam in delictis *l. Si servum.* 33. *D. ad l. aquil.* si verò judex non possit attendere ad affectionem, non poterit qui jurat, quia Iudex est *l. 1. pr. D. Quar. rer. act. non dat.* II. Expressè contrarium respondetur in *l. nummis.* 3. *l. pen. D. h.* III. Ratio quoque est evidens, quia affectio non recipit ullam æstimationem suâ naturâ & periculosum est affectui quid tribuere: à nulla enim re tam debet animus Iudicis abhorrere quam ab affectu: hinc etiam responsum quod Judex debeat modum ponere huic juramento. *d. l. videamus.* 4. § 2. Vide Coraf. 6. *Miscell.* 1. IV. Nullum est veritatis jusjurand. in litem, cum omne, quod in litem defertur, excedat verum precium, *d. l. 1.* 8. *D. h.* Vid. Anton. Fab. 16. *Conject.* 1. & 13.

30. Iu-

30. Iudex ſolus hoc defert: non alius *d. l. videamus.* 4. §. 1. D. *h.* in cujus arbitrio eſt deferre vel ex juſta cauſa non deferre, ſequi vel non ſequi poteſt & moderari. *d. l. videamus* 4. §. 1. *& ſeq. l In actionibus.* 5. §. 1. *&* 2. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Defertur hoc ex neceſſitate juris. *d. l videamus.* 4. §. 1. *verb oportet. l. fin. verb. neceſſitate juris.* D. *h.* Quæ vero ſunt juris, non ſunt in arbitrio Iudicis. *l. non quicquid.* 40. D. *de Iudic.* II. Judex in omnibus exercere ſuum officium cogitur: cur non in hac re? III. Imò Iudex cogitur ſequi jusjurandum actoris *l. Neſennius.* 41. §. 5. *in fin.* D. *de Re Iudic. Nov.* 82. *c.* 10. ne de perjurio in hac cauſa quæratur. *l. fin.* D. *h.* Vide Gloſſ. in *c. ſuper his, x. de accuſat.* Duaren. *in h. tit. n* 28. *&* 29.

32. In litem jusjurandum defertur Actori ſoli, non Reo. *l. ſive noſtram.* 2 §. 1. *verbis: quod interſit agentis. & quanti in litem juraverit Actor. l. Tutor.* 8. *verb. poteſtate petitori in litem juranti conceſſa. l. In inſtrumentis.* 10. *verb. actori permittitur in litem jurare.* D. *h. l.* 2. *C. h.* Actor verò poteſt id recuſare, cum in commodum & rem ejus deferatur: iis enim quæ in favorem noſtrum ſunt introducta, renunciare nobis licet. *l. pen. C. de pact.* Ratio dubitandi. I. Poteſt & Reo deferri, cum non debeat dolus Actoris minus puniri quam rei. *arg. l. non debet.* 41. D. *de reg. Iur.* II. Iusjurandum hoc delatum non poteſt, recuſari: 1. Quia ex neceſſitate juris defertur. *l. fin.* D. *h.* 2. Quia eſt manifeſtæ turpitudinis nolle jurare vel referre. *l. Manifeſtæ.* 38. D. *de Iurejur.* 3. Quia Curatores non compelluntur, cum ſint occupati in alieno negotio. *l. videamus. pr. verſic. Curatores.* D. *h.* ergò ipſi domini rerum coguntur. cum exceptio, ut dici ſolet, confirmat regulam in caſibus non exceptis. 4. Quia Minori eſt beneficii loco tributum, quod ſi velit, poſſit jurare: *d. l. videamus pr. in fin.* D. *h.* Aliis ergò neceſſitas jurandi imponi poteſt. 5. Iudicia redduntur in invitos. *l. Inter.* 83. §. 1. D. *de verb. Obligat.* hoc verò jusjurandum à Iudicio procedit.

 6. Res

6. Res aliter non poteſt æſtimari, ergò ne judicium reddatur illuſorium, hoc præſtandum eſt *l* 1. D. *de Iurej.*

32. Defertur Affectionis jusjurandum tantum ob dolum, non culpam *l. videamus. §. fin. l. In actionibus.* 5. §. *Sed in his* 3. D. *h. l. Neſennius.* 41. §. 1. D. *de re judicat.* Sed ob culpam vel judex æſtimat, vel veritatis Iusjurandum uſurpatur. *l. Qui reſtituere.* 68. D. *de Rei vindicat. arg. d. l. In action.* 5. §. *Sed in his.* 3. Dum culpam excipit lex, idem & in lata obtinere ſtatuendum eſt. Cum enim hæc res ſit odioſa & pœnam habeat, nomine culpæ tanquam generis ſui venire & latam non eſt alienum à ratione. Dolus hic non tantum præſens ſed & præteritus attendi ſolet, per textus generales in *l. Qui reſtituere.* 68. D. *de Rei vindic. l. ſi fundus.* 16. §. *In vendicat.* 3. *verſ. ſin vero dolo quidàm.* D. *de pignor. junct. l. ſed & ſi.* 25 § *Perindè.* 8. D. *de pet. hered. l. dolo,* D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Is. qui rationem.* 2. *C. h.* II. In pecuniariis cauſis lata culpa non tantum comparatur dolo. eive eſt proxima *l.* 1. §. 1 D. *ſi menſ. falſ mod. dixer. l. Quod nerva.* 32. D. *Depoſit.* ſed & revera eſt dolus. *l. Magna.* 226. D. *de verbor Signif.* Vide Duaren. *h. n.* 33. Coraſ. 4. *Miſcell.* 2 Donell. in *d. l. In actionib.* 5. *n.* 10.

33. Cum hæc ſpecies jusjurandi pœnam doli ac contumaciæ contineat *l.* 1. 2. D. *h.* non poteſt adverſus heredem ejus, qui in dolo fuit, locum habere quia non tranſeunt actiones contra heredes, quæ ex delicto deſcendunt, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata. *l. ſciendum. eſt.* 58. D. *de Obl. & Act. l. In heredem* 26. *& ſeq. junct. l. un. C. Quand. ex delict. defunct. l. ali Iure.* 4. *& ſeq. C. h. l. fin.* D. *de fidejuſſ. tutor.* vid. Duar *h. n.* 32. Donell. 26. *Comm.* 9. Si defunctus deferent judice, obtulerit jusjurandum ad ſummam certam ac is priusquam præſtiterit actu ipſo moriatur, cenſendus eſt juraſſe, niſi pœnituiſſe eum docere poſſit adverſarius: quia mors ipſa eſt loco juramenti, & nem mori cum peccato præſumitur, uti rectè probat Gail. 2

mo

Observ. 43. Ratio dubitandi. I. Etiam in vitia defuncti succedit heres *l. vitia.* 11. *C. de acq. vel retin. poss.* danturque actiones commodati, depositi, tutelæ ac similes, in quibus in litem juratur *d. l. In actionibus.* 5. D. *h.* contra heredes ob dolum defuncti etiam lite non contestata in solidum. *l. Ex depositi* 12. *l. Ex contractibus.* 49. D. *de Obligat. & act.* agitur enim de eo quod interest ex causis pecuniariis: illæ verò omnes ad heredes jure ipso spectant. II. Quod defunctus obtulit & ob mortem supervenientem non præstitit, haberi nequit pro præstito: quia non susceptionem sed præstationem sequitur condemnatio *l. Nesennius.* 41. §. 1. D. *de Re judic.* Periculosum omninò est testi injurato credi. *l, Iurisjurandi.* 9. *C. de testib.* ac maximè in propria causa: testis autem & judex in propria causa est, qui jurat ex delatione. *arg. l.* 1. *D. Quar. rer. act. non dat.*

34. Juratur in litem. 1. In actionibus in rem *d. l. In actionibus* 5. *pr.* ita in vindicatione. *d. l. Qui restituere.* 68. D. *de Rei vindic.* consequenter & in Publiciana. *l. Sed etsi.* 7. §. 8. *de Publ. in rem actione.* in hypothecaria *l. si fundus.* 16. §. *In vindicatione pignoris.* 3. *D. de pignor. & hypothecar.* II. In ad exhibendum *d. l. In actionibus.* Nec distinguo, utrùm dominus ad exhibendum agat, an alius: loquuntur enim textus generaliter in *d. l. In actionibus.* 5. *D. h. in l. In hac actione.* 3. §. 1. *&* 2. *D. ad Exhib.* Vide Donell. *in d. l.* 5. III. In omnibus bonæ fidei judiciis. *d. l. In actionib.* 5. Directis, non contrariis. *l. Ei, apud quem.* 5. D. *depos.* (ubi redditur ratio juris.) Gloss. *in d. l.* 5. *& ibi* Costal. Cujac. 9. *Observ.* 2. quibus ad restituendum agitur vel ad Exhibendum, non præstandum. *arg. l. Qui restituere.* 68. *D. de Rei vindicat.* Undè hoc jusjurandum ad emtorem non pertinet sed judex æstimat. *l. Si traditio.* 4. *l. Cum venditorem.* 10. *C. l.* 1. *D. de action. emt.* IV. In arbitrariis tam in rem, quam personam, modò quid reddendum sit. *l. Qui restituere.* 68. *verb. arbitratu judicis.* D. *de Rei vindic. l. Arbitrio.* 18. *D. de*

dol,mal. Non in ſtricti juris judiciis *d.l.In act.* 5 .*§.fin.* D.*h.* *l.* 3.*§.*2. *In hac actione.*D.*Commod.*præterquam, ſi per accidens fiant arbitraria. Vid. Donell. *ad d.l.* 5 .*& Duar. h.* Ratio dubit. I. Diſtinguendum eſt in actione ad exhibendum, utrum dominus agat an alius. 1. Quia ſolus dominus in litem jurat. *l. Vulgò.* 7. D. *h.* 2. Quia tantum juratur in litem, cum de reſtituendo agitur. *d. l. Qui reſtituere.* 68. *D. de* Rei *vindic.* De reſtituendo agit dominus. 3. Quia ratio affectionis, quam æſtimare in re propria, quam alius dolo detinet vel non reſtituit, permiſſum eſt per hoc Iusjurandum, ceſſat cum de re propria non eſt actum. Vide Anton. *Fabr.* 16. *conject.* 15. Coraſ. *in d. l.* 5. *n.* 7. II. Etiam admittendum eſt hoc jusjurandum in contrariis actionibus. 1. Quia ex iis quandoque agitur de reſtituendo, & de fide rupta. *l. Si pignore.* 22.*§. ſi poſt.* 3. D. *de pigner. act.* 2. Quia non debet per directa plus tribui, quam per contraria: cum relatorum ſit eadem ratio. *l. fin.* C. *de jud. viduit. toll.* Vide Bartol. *in d. l. Si pignore.* 22. §. 3. III. Non debet negari emtori, ut ob dolum venditoris juret in litem. 1. Quia nuſquam contrarium eſt diſpoſitum expreſſe. 2. Quia & is, qui dat ei, qui nunquam eſt adeptus poſſeſſionem, reſtituere dicitur. §. 3. *Inſtit. de Interdict.* In iis autem, quibus de reſtituendo tractatur, in litem juratur. 3. Quia non minor affectio eſt emtoris in rem, quam domini: imò major, cum emerit ac ut eam haberet moleſtias ſuſceperit. 4. Quia juratur in litem in omnibus bonæ fidei contractibus. *d. l. In actionib.* 5. At ex emto maximè eſt actio bonæ fidei. §.*actionum.* 28. *Inſt. de action.* IV. Non poteſt jurari in litem in arbitrariis perſonalibus. 1. Quia in actione quod metus cauſa, quæ eſt arbitraria §.31. *Inſt. de action.* in pœnam quadrupli ſimpliciter judicium datur. *l. Item. ſi.* 14. §. 1. *D. Quod met cauſ.* non verò in ea juratur ob contumaciam in reſtituendo. Ita & in actione de dolo præſtandum eſt quanti revera res eſt. *d. l. Arbitrio.* 18. *pr. D. de dol.* nec obſtat

obstat versiculus *Ideo.* ibidem. quia is corrupte à Triboniano contra rationẽ juris & proxima verba additus est. 2. Quia per metum & dolum transfertur dominium. Itaque cum dominus tantùm juret. *l. Tutor.* 8. *in fin. D. h.* metum vel dolum passus non potest jurare. V. Nulla est ratio, quæ impediat, cur non debeat idem quoad hanc rem admitti in stricti juris actionibus, si ut nostra res nobis reddatur actum sit, quod in bonæ fidei statuitur: cum videamus in delictis, quæ sunt stricti juris, jurari in litem. *l. Si quando.* 9. *C. Vnde vi. l.* 5. §. 1. *D. ne quis eum, qui in jus vocat.* Non minus bona fides præstari debet in stricti juris, quam in bonæ fidei, & tanta est affectio in rem cujus restitutionem actione stricti juris petimus, quanta est si petenda esse per judicium bonæ fidei. Nec enim Juramento in litem locum facit modus actionis, sed contumacia non restituentis. *l.* 1. *D. h.* Undè & hæc Iusjurandi species recepta est in actione rerum amotarum *l. Si cum dos:* 8. §. 1. *& ll. seqq. D. Rerum amotar.* & Favianâ. *l. Tenetur.* 5. §. 1. *D. Si quid in fraud. patron.* quæ stricti juris judiciis accensentur.

35. In æstimatione per jusjurandum in litem potest excedi duplum. 1. Quia in infinitum jurare licet. *d. l. Qui restituere.* 68. *D. de Rei vindic. d. l. videamus.* 4. §. *Iurare.* 4: *D. h.* 2. Quia hic agitur de re non habente certam æstimationem ac de contumacia ejusque pœna. Ratio dubitandi. Hoc jusjurandum non potest simpliciter extendi, ad quamvis summam ac quantitatem sed subditum est potestati Judicis, ut is id sequatur vel negligat, vel moderationem ei addat ac in minus condemnet reum, quam actor juravit. *d. l. videamus.* 4. §. *Iurare.* 2. *d. l. In actionibus.* 5. §. *Item.* 2. *D. h.* Cum verò Iudex æstimat, non potest excedere duplum in causis certis. *l. un. C. de sentent. q. pro eo quod inter. profer.* Res autem restituendæ, de quibus jurandum est, sunt certæ earumque certum æstimium esse potest.

36. Iusjurandum veritatis defertur etiam ob levem culpam

culpam ex necessitate, cum judex perfectè precium restituendæ rei, vel quia non est in rerum natura, vel quia ignoratur ubi sit, aut ex causa deteriorationis aut alia, suo nomine per testes vel alias probationes æstimationem ejus, quod ab, est, nequit investigare. Nec distinguo inter bonæ fidei & stricti juris actiones. Vide Donell. Jason. Alexand. *in d. l. In actionib.* 5. §. *f.* Ratio dubitandi. Non potest deferri Iusjurandum in litem ob culpam sed Iudex æstimat eam *l. Videamus.* 4. §. *fin. & l. seq.* §. *sed in his. D. h.*

37. Potest post jusjurandum veritatis præstitum, etsi quidem non facile, de perjurio quæri *l. fin. D. h.* Pone instrumenta esse reperta vel res, quibus certo veritas & jurantis perjurium demonstratur. Uti enim necessarium, quod ex inopia probationum defert Iudex, enervatur probationibus post sese offerentibus. *l. Admonendi.* 31. *D. de Iurejur.* Ita & veritatis, quod in litem fit, cum & ex necessitate judex id detulerit. Si ex Affectione juratum sit in litem, & Iudex in quantitatem jurejurando comprehensam vel aliam à se approbatam condemnaverit, non retractatur: cum eo modo pœnam contumaciæ ac doli Reus luat. Nec de iniquitate conqueri potest, qui per suam iniquitatem damnum patitur. *l. Nec id iniquum est.* 15. *D. si quis omiss. caus. test. ab intestat.* Vide Donell. *in l. fin. D. h.* Anton. Fabr. 18. *Error.* 9. Ratio dubitandi. Circa affectionis jusjurandum. I. Ex generalitate textuum *in d. l. fin. D. h. d. l. Admonendi.* 31. *D. de jurej ur.* ex quibus manifestè apparet, in jurejurando per Iudicem delato licitum esse agere de perjurio ex novis instrumentis. II. Uti ob perjurium datur restitutio in integrum contra sententiam *l. Divus.* 33. *D. de re Iudic.* ita maximè in hac causa, quæ per delationem, curam, sententiam Iudicis demum vires habet *d. l. Videamus.* 4. §. 1. 2. *l.* 5. §. 2. *D. h.* III. Expresse respondetur *in d. l. Videamus.* 4. §. *Item videndum* 3. *D. h.* quod sit in potestate Iudicis ex magna causa, probationibus sc. re-

repertis, vel prorsus absolvere vel etiam minoris condemnare, quam juratum est. Optima id ratione est constitutum, cum semper, quod Committitur alicujus arbitrio in propria vel aliena causa, id non aliter intelligatur commissum esse quam secundum officium viri boni. *l. Fideicommissum.* 11. §. *quanquam.* 7 *D. de legat.* 2. *l. In personam.* 22. §. 1. *D. de Reg. Iur. l. Hæc venditio.* 7. *D. de contr. Emt. l.* 24. *D. locat. l.* 76. *& seqq. pro soc.*

EXERCITIUM XXXI.

Resp. HEINRICO HAKE, Bremensi.

Ex tit. C. & D. de condict. ob caus. dator. vel caus. dat. caus. non secut.

THESIS PRIMA.

IUre Romano receptum est, ut, si ex contractu innominato ob causam aliquid datum est, id repeti possit causâ non secutâ ex sola pœnitentia. *l. Dedi tibi.* 3. §. *sed si tibi.* 2. *& seqq. D. h.* Sed hoc moribus mutatum esse rectè docet Gudelin. *de jur. noviss. lib.* 3. *c.* 5. *in fin.* Post Covarruv. nisi per eum, qui implere causam debet, stet. In nominatis contractibus olim quoque pænitentiæ nullus fuit locus *l.* 80. *D. de solut.* sic ab emtione non licuit recedere licet quis duplum præstare vellet *l. Non est probabilis.* 6. *C. de rescind. vend.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Cum. te.* 6. *C. de pact. int. emt & vend. comp.* II. Ex *l. Quæro.* 54. §. 1. *D. Locat. conduct.* III. Ex *l. Ex emto.* 11. §. *Is qui vina.* 6. *D. de action. Emt.* IV. Æquitatis ratio videtur suadere, ut cum causa nondum est secuta in emtione vel simili ob quam quid datum est, repeti debeat. Facit huc. *l. Si diversa.* 14. *C. de Transact.* Imò quoque ex sola pæni-

nitentia, antequam alter in mora sit, ejusque interesse nondum ceperit: Ne quod alteri non noceat, mihi verò prosit, mihi denegetur contra elegantissimum præceptum JCti *in l.* 38. D. *de Evict.*

2. Quod datum ob causam non tantum naturâ sed & jure ex turpitudine impossibilem non possit repeti, causa non secuta, & Iuri civili & moribus, quibus utimur ac justæ rationi est consentaneum. *l. Dictam.* 8. C. *h.* Qui enim ob talem dat causam, magis donare quam repetere velle censetur. Ratio dubit. I. Datur repetitio dotis, quæ data est ob causam nuptiarum, quas juris authoritas impedit. *l.* 1. *C. h. l. fin. pr.* D. *de cond. sin. caus.* II. Restituendum est, quod ob causam legibus interdictam in alium est translatum. *l. Si militem.* 5. *C. h.* III. Competit repetitio, cum quid datum est ob manumittendam liberam fœminam, *l. cum ancillam.* 6. *C. h.* libera verò manumitti non potest jure, sed tantùm serva. IV. Contractus, quibus adjecta est impossibilis conditio, quæ in faciendo consistit, vitiantur suntque inutiles sive nulli *l. non solùm.* 31. D. *de oblig. & act. l. impossibilis.* 7. D. *de Verbor. Obligat.* quia causam nullam habent. Cum verò sine causa vel ex contractu nullo quid datum est, condictio non impedietur. *l.* 2. *§. fin. l. Qui sine causa.* 3. D. *de cond. sin. causa.*

3. Pecuniam à te datam, si hæc causa, pro qua data est, non culpa (vel mora) accipientis sed fortuito casu non est secuta, & sequi nequit, minimè repeti posse certum est. *l. pen. C. h.* Id & hodiè obtinet, cum casum fortuitum nemo præstet. *l. Contractus* 23. *in fin.* D. *de reg. Iur. l. Quæ fortuitis* 6. C. *de pign. action.* Nec distinguo utrum casus inciderit in personam accipientis, per textum in *l.* 1. §. *Divus.* 13. D. *de var. & extraord. cognit.* an in dantis *l. Diem functo.* 4. D. *de Adsessor.* an in rem, circa quam quid in specie præstandum *l.* Dedi *tibi.* 3. §. *Quid si ita.* 3. *vers. sed si Stichus. l. si pecuniam.* 5. §. *Item si quis,* 2. D. *h.* vel quæ danda erat. *l. naturalis.* 5.

lis. 5. §. 1. *vers. sed si Scyphos*. D. *de præscript. verb.* Nihil enim imputari potest debitori, cum per eum non stat quominus impleat. Ratio dubitandi. I. Ex *l. fin*. D. *h.* II. Ex *d. l. si pecuniam*. 5. *pr*. §. *pen*. & *fin*. D. *h*. III. Ex *l. Ex conducto*. 15. §. *Item cum quidam*. 6. D. *locat. cond.* IV. Naturalis ratio dictat, ut ei noceat casus, qui rei est dominus *l*. 9. C. *de pign. act*. quique factum debet. Ita si is, qui pecuniam accepit ut ædificet, moriatur, antequam promissa impleat, eam reddere debent ejus heredes. Ita Medici, qui sanationem promisit & eo nomine nummos accepit, si decesserit, priusquam à morbo æger sit liberatus, heredes non possunt eos jure retinere. Vide plenius de hac re differentes Sichard. in *d. l. pen*. C. *h*. & ibid. Giphan. Donell. 14. *comment*. 21. Cujac. 23. *Obs*. 29. Coras. 2. *Miscell*. 9. Fabr. 7. *Conject*. 10.

Ex tit. C. & D. de cond. ob turp. caus.

4. Cum propter turpem causam domum adversariæ dedisse profitearis, frustra eam tibi restitui desideras, cum in pari causa possessoris conditio melior habeatur. *l. Cum te* 2. *C. h*. Jus hoc ita accipiendum est, quòd, quoties vel solius dantis vel dantis & accipientis simul turpitudo intercessit, nihil possit repeti. *d. l. Cum te*. 1. *l. Vbi autem*. 3. & *l. seq*. D. *l. Mercalem*. 5. *C. h*. Secus, si solius accipientis *l*. 1. §. *fin*. *l. seq*. *l. Idem si*. 4. §. *Quotiens*. 2. D. *l. Quotiens*. 4. *l. pen*. & *fin*. C. *h*. Ratio dubitandi. I. Causa turpis est injusta, ob injustam datum repetitur. *l. Perpetuò*. 6. D. *h*. II. Si utriusque versatur turpitudo, non est melior causa possessoris, sed ejus, qui damnum patitur, ne quis lucrum ex sua improbitate sentiat. *l. Itaque fullo*. 12. §. 1. D. *de furt*. Undè responsum est *l. Nemo prædo*. 126. §. *fin*. D. *de Reg. Iur*. cum de *lucro* duorum quæritur, meliorem esse conditionem possidentis; quo responso innuitur, si ab

si ab una parte sit damnum ab altera lucrum, non esse possidentis meliorem causam: Id colligitur *l. Verum.* 11. *§. pen. verb. puto autem inspiciendum à prætore, quis captus sit. D. de minorib.* Huc fac. textus *in l.* 7. 8. *D, de Iuris & fact. ignor.* Accedit ad hæc I. Quòd, si turpitudinem utrinque compenses, ut fieri solet *l. Si ambo.* 10. *§.* 2. *Quotiens. D. de Compensat.* res ea apud accipientem sit remansura sine causa, quod iniquum esse jura passim indicant. *l. Non debet.* 41. *§.* 1. *D. de regul. Iur.* II. Quòd conveniri non possit, qui promisit ex causa utrinque inhonesta, ergò nec repetet, qui dedit: cum enim ex præcedente obligatione inefficace quid datum vel solutum est, datur ejus condictio. *l. Quamvis.* 9. *C. ad SC. Vellejan.* III. Non debet dari repetitio, cum accipiens solus turpiter fecit; quia cum condicit, allegat & suam turpitudinem: Nam, cum dat ut alter quid turpiter faciat, alterum simul corrumpit. Ita, si Iudici det ut in bona causa pro se judicet, crimen committit. *l. Vtputa.* 2. *§. fin. D. h. c. Non sanè. caus.* 14 *quæst. h.* vel testi ut pro se in bona causa deponat. *arg. dd. ll.* Vide de Iudice eo modo corrupto Duarenum. *in h. t.* Ut & de teste. Zasium. *ibid.*

Ex tit. C. & D. de Condict. indeb.

5. In diem certum debitor, adeò debitor est, ut ante diem solutum repetere non possit. *l. In diem.* 10. *D. h.* In die incerto distinguo, utrum incertum sit an unquam veniet, an quando ventura sit, certum tamen sit eam venturam: primo casu datur repetitio, quia est instar conditionis de cujus existentia non est certitudo, in ultimis voluntatibus *l. Dic.* 76. *D. de Condit. & Demonstr.* & contractibus. *l. Sufficit.* 56. *in fin. D. h.* Altero, ut si quis promiserit in diem mortis suæ, non datur repetitio. *l. Nam si.* 17. *D. h.* quia & datum sub conditione certò exstatura non condicitur. *l. Quod si.* 18. *D. h.* An debitor, qui solvit ante diem, non possit

repetere

petere interusurium medii temporis, vel commodum rei, quod interim ex ea provenit, repetere quæstionis est: Puto, eum rectè petere fructus atque alia commoda, quę ex ipsa re producuntur, condictione sine causa. *arg. l. mala fide.* 3. *C. de cond. ex leg.* Ne locupletetur accipiens cum detrimento dantis. *l. nam* 14. *D. h.* Usuras vero non condicet. *arg. l.* 1. *C. h.* cum non sint ex re: qui enim sortem non potest petere, is nec usuras *l. hos.* 26. *C. de usur.* Ratio dubitandi: I. Non debet distingui inter usuras & alios fructus, sed valere oportet tam in fructibus quam usuris hanc regulam: Sublato principali, tollitur & accessorium. II. Debet & ipsa res soluta ante diem restitui. 1. Quia argumentum à re ad tempus valet. *l. Militis.* 41. *D. de Testam. milit.* & plus solvit, qui tempore plus solvit. *§.* 33, *Inst. de action.* est enim dies pars obligationis *l.* 2. *§. Editiones: D. de Edend.* & cum plus solutum est, condictio est *l.* 39. *D. h.* 2. Quia iniquum est ex solutione indebiti, quæ parit condictionem ex æquo & bono *l.* 66. *D. h.* creditorem fieri locupletiorem. III. Cum ordinatiò commodum temporis medii sit deducendum, ut apparet ex *l. Si constante.* 24. *§. Quoties.* 2. *verbis: tum deducto commodo temporis, condemnatio residui repræsentatur. D. Solut. matrimon. l. Ait* 10. *§. si cum* 12. *l. omnes.* 17. *in f. D. Quæ in fraud. creditor.* Non est æquum, ut etiam creditor usuras, quas sibi stipulatus est ex pecunia sibi indebitè soluta, lucretur. Vide hac quæstione Costal. Ang. Salic. in *d. In diem* 10. Donell. 14. *comment.* 18. qui defendunt non dari repetionem. Clud. *de cond. Ind. c.* 8. *n.* 18. Duar. *c.* 5. *de cond. versic. sed quæritur.* contrarium sustinentes.

6. Solutum indebitè per errorem facti, repetitur *l. cum quis.* 10. *vers. per ignorantiam. C. de Iur. & fact. ignor.* Ex errore juris certis tantum casibus, inter quos sunt 1. Si solvens damnum sit passurus, rem suam amissurus; & accipiens de lucro captando agat. *l. Iuris ignorantia.* 7. *& seq. D. eod.* facit huc, *l. Si quis.* 39. *l. Ex*

his omnibus. 54. *l. Si fidejussor.* 59. *D.h.* Postulat id æquitas summa in *l. Nam hoc.* 14. *D. h.* quæ suasit hanc condictionem. *l. pen. D. h.* Dominia enim contra voluntatem dominorum transferri ex juris subtilitate, jus ipsum non admittit. *l. non omnis.* 19. *D. de reb. credit.*
2. Cum contra judicium testatoris quis cavit *l.* 1. *D ut in possess. legator.* Ratio dubitandi. I. Ex *d. l. Cum quis.* 10. *pr. l. Regula.* 9. *pr. & §. pen. in fin. D. de jur. & fact. ignor.* II. Militi ac mulieri privilegii loco concessum est repetere solutum ex errore juris, cum damnum sunt passi. *l.* 1. *fin. C. de jur. & fact. ignor.* Ergo ordinariò omnibus hoc non est permissum. III. Scienter solventibus non competit condictio, *l.* 1. *§.* 1. *D.h.* proindè nec errantibus in jure: quia pro scientibus censentur: omnes enim debent scire & intelligere jura. IV. Heredi, qui adiit hereditatem & eam suam fecit. *l. legatum.* 80. *D. de legat.* 2. licet damnum sentiat, non datur condictio quartæ ex l. falcidia, si ex errore Juris legata integra solverit. *l. Error.* 9. *C. ad. l. Falcid. d. l. Regula.* 9. *§ fin. D. de Iur. & fact. ignor.* V. Error juris non quidem nocet in damnis rei amittendæ, *d. l. Iuris.* 7. *& seq. D. eod.* ergo nocet, cum res amissa ac ad alium translata est. Vide D. Tim. Fabr. *Disput.* 25. *anniversf. Thes.* 5. Donell. 14. *Comm.* 14. Duaren. *c.* 3. *de Cond. Ind.* D. Bus. in *l.* 1. §. 1. *D. h.*

7. Quamvis debitum sibi quis recipiat, tamen si is, qui dat, non debitum dat, repetitio competit. *l. Si pœnæ.* 19. *§.* 1. *l. In summa.* 65. *§. fin. D. h.* Hoc ipsum indebitum quidem est ex persona, sed non ex re. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Repetitio.* 44. *D. h.* II. Ex *l. De hereditate.* 6. *in fin. C. de petit. hered.* Vide Budæ. in *l. fin. D. de ædil. Edict.*

8. Qui alternativè res plures promisit & omnes solvit, potest repetere quas voluerit sive elegerit; ejus enim est electio in recipiendo, cujus in dando fuit *l. pen. C. h. l. cum is, qui.* 32. §. *fin. D. h.* Nec potest natura obligationis primæva mutari per errorem, in quo nul-

nullus est consensus. *l. nihil.* 116. §. *fin. D. de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. si non sortem.* 26. §. *fen. D. h.* II. Qui solvit, potest, dum solvit, declarare, in quam causam solvit, & , si nihil dixerit, facultas eligendi transit ad creditorem. *l.* 1. *pr. D. de solut.*

9. Debitum naturale impedit condictionem. *l. naturaliter.* 13. *l. Quod pupillus.* 40. §. 1. *D. h. l. naturales.* 10. *D. de Oblig. & act.* Unde quæsitum, an & obligatio ad antidora sive ad remunerationem validè objici & obstare possit repetitioni. Distinguo. Si nominatim quid sit solutum tanquam debitum in illã causam, id non repetetur: si ex alia causa, ex qua non debebatur, sit solutum, & accipiens in causam obligationis ad antidora retinere velit, non erit deneganda condictio. Primo casu concurrit error juris cum obligatione, quæ quidem non absolutè naturalis est, attamen naturaliter contrahitur ex causa, quæ morum civilitate ac honestate probatur magis, quam juris vinculo ac necessitate ulla præstandi *l. sed & si lege.* 25. §. *consuluit.* 11. *D. de hered. petit.* Est enim permutationis quoddam genus dare antidora. *d.* §. *consuluit.* 11. &, qui beneficium accipit, beneficii debitor appellatur. *l. si pignore.* 44. §. 1. *D. de Furt.* Vide Zas. 1. *Singular. resp.* 3. *n.* 22. Secundi membri sive casus est ratio, quia repetitio impediri nequit, nisi ad minimum sit vera naturalis obligatio: at ad remunerandum obligatio, non est verè naturalis, qualem jus definit ac effectu suo munit: cum remuneratio non requirat certam summam sive rem vel ullam necessitatem, nec semper in nummis vel aliis rebus facienda sit, sed & fieri possit per factum, per commendationem, per instructionem aliudve beneficium, quinimò & solum gratum animum. Ratio dubitandi, ad primum. I. Remuneratio nihil aliud est, quam donatio & doni retributio sive pensatio. Ad Donationem verò faciendam non est obligatio, sed ea nullo jure cogente fit *l. Donari.* 29. *D. de Donat. l. Donari.* 28. *D. de Reg.*

 Iur.

Iur. Qui donat, nullum alium affectum habet, quam, ut liberalitatem & munificentiam exerceat. *l.* 1. D. *de donat.* non, ut alium sibi obliget: itaque, cum ex intentione donantis, ex qua omnis causa est obligationis, arg. *l. non omnis.* 19. D. *de Reb. credit.* arg. *l. labeo.* 19. *verb. ultro citroq.* D. *de verb. signif.* nulla sit obligatio, repetitio quoque ex ea impediri nequit, quia quod nullum est, nullam habet qualitatem, nullum effectum. II. Error juris non obstat repetitioni, ut supr. dictum est: frustra ergò is pro fundamento exceptionis, quæ objiciatur condictioni, accipitur. Ad secundum. I. Est obligatio naturalis ad antidora *d. l. Sed & si.* 25. §. *Consuluit.* Nihil enim tam naturale quam, ut qui beneficium accepit, reddat ac nihil fædius est ingrato homine. II. Potest retentio dari ob ea, ad quæ jure agere non possumus. arg. *l.* 4. *C. de usur. l. un.* C. *si ob Chir. pec.* si retinens nactus sit exceptionē ab æquitate naturali non abhorrentem. *l. Definit.* 66. D. *de Reg.* I.

10. Qui exceptionem perpetuam vel eam, de qua dubitatur, utrum sit perpetua an temporalis, habet, solutum repetere potest *l. Qui Exceptionem* 40. *pr. l. Sufficit.* 56. D. *h. n. Junct. l. Si non sortem.* 26. §. *Indebitum.* 3. *l. Ex his omnibus.* 54 D. *h.* Sed hoc non est perpetuum; nam si ejus causa, qui cum agitur, exceptio datur, solutum repetit, ut accidit in SCto Vellejano: Ubi vero in odium ejus, cui datur exceptio, competit, non repetit, veluti si filiusf. contra Sc. Macedon. mutuā pecuniam acceperit & paterf. factus solverit. *d. l. Qui Exceptionem.* 40. Nec cum hisce pugnat, quod detur repetitio ejus, quod deceptus per dolum ignoranter solverit. *l. Qui se debere.* 7. *vers, Nerva & Atticinus.* D. *de cond. caus. dat. caus. non sec.* quia ea exceptio non ex beneficio sive jure singulari descendit, sed ex re: Unde & ea rei cohærere dicitur *l. Exceptiones.* 7. § 1, D. *de exception.* ac perpetua est. *l.* 5. § *fin.* *D. de Dol. mal. et met. Except.* Huc facit, quod ex injusta causa solutum reddendum sit. *l.* 7. §. *de cond. ob turp.* at quod

quod circumventus dolo solvit, ex injusta solvit causa. *l.* 1. D. *de dol. mal.* Nec enim cuiquam dolus suus prodesse debet. *l.* 1. *versic. Ideo.* D. *de dol. mali & met. except.* Ratio dubit. I. Non datur repetitio ejus, quod mulier pro alio solvit. *l. Nec interest.* 5. *l. Quamvis.* 8. *§. Plani.* 5. *ad SC Vellejan.* II. In contrarium debet regula in iis, qui exceptione muniti sunt perpetua per privilegium, concipi, hoc modo: Si in odium accipientis beneficium sit datum vel exceptio competat uti fit in SC. Macedon. *l.* 1. D. *ad SC. Maced.* debet repeti; cum accipiens odio dignus ac contra ll. peccans non sit juvandus privilegio. *l.* 37. *in fin.* D. *de minorib.* Sin autem exceptio detur causâ solventis, non debet repeti: quia is, qui eo modo solvit, naturaliter debet, ac suo beneficio videtur absolutè renunciasse. Nam in mulierum intercessionibus negari non potest, quin naturalis sit obligatio: cum mulier ex omni causa possit obligari & à beneficio suo recedere. *l. fin.* §. *pen.* D. *l. Iubemus.* 21. *l. Antiqua.* 23. C. *Ad SC. Vellejan.* III Si dolo deceptus solvit, cessat repetitio 1. Quia exceptio ea est ex odio accipientis *l.* 1. D. *de dol. mal. except.* Quæ autem est ex odio, impedit repetitionem. *d. l. Qui exceptionem.* 2. Quia debet sibi imputare solvens, quod se decipi sit passus &, non obstante deceptione doloque, solverit. *arg. l. Qui cum alio.* 19. D. *de regul. Iur.*

11, Si pars domus, quæ in diem per fideicommissum relicta est, arserit ante diem fideicommissi cedentem & heres eam sua impensa refecerit, esse deducendam ex fideicommisso impensam constat: &, si sine deductione tradiderit domum, posse incerti condici, quasi plus debito dederit, *d. l. Qui exceptionem.* 40. §. *si pars.* 1. D. *h.* Hæc verô incerti condictio, hoc casu, non eo pertinebit, ut ipsa possessio rei restituatur, eam enim indebitè non solvit, sed tantum impensa. Ratio dubitandi. I. Non potest restitutâ re impensa ullo modo condici. *l. Si in area tua.* 33. *inf.* D. *h.*

II. Imò res restituta ipsa condicitur, si quid ejus nomine debeatur. *l. Heres.* 21. D. *ad SC. Trebellian.*

12. Quod condemnatus ex causa judicati solvit, non repetit, *l.* 1. *C. h.* ut Judici ac Judicio sua constet authoritas. *l. Si fidejussor.* 29. *§. In omnibus.* 5. D. *Mandat.* quam non convelli publicè interest. *l. Servo.* 65. *§. prætor.* 2. D. *de SC. Trebell. l. Cum putarem.* 36. D. *famil. ercisc.* & ut tandem litium sit finis. Si, qui solvit, conqueratur de iniquitate hujus sententiæ, objicietur ei factum suum proprium, quod solverit, ac negligentia, quod remedio appellationis vel alio non fuerit usus. Verum hæc procedunt, nisi error vel alia causa justa ac sufficiens ad restituendum allegetur: Nec enim veritatem rerum gestarum erroribus obnubilari convenit. *l. Illicitas.* 6. §. 1. D. *de offic. præsid.* Nec sententias fundamenta ac stabilimenta injustitiæ esse oportet. Qui verò male absolutus sponte sua solvit, non repetit. *l. Index* 28. *junct. l.* 1. *§.* 1. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Si condemnatus quid solverit, non attenditur error vel alia causa *d. l. Cum putarem.* 36. *d. l. Servo.* 65. *§.* 2. Nec enim post rem judicatam de causa quæri potest, sed tantum, an judicatum sit. *l. Post rem.* 56. D *de re judicat.* Adeò ut nec transactio post fieri queat si non appellatum sit. *l. Et post.* 7. D. *de Transact.* II. Absolutus, sine causa justa solvit. *arg. d. l. Post rem judicatam.* 56. Sine causa solvens potest repetere. *l.* 1. §. *fin. l. seq.* D. *de condict. sin. caus.* Huc facit, quod qui exceptione perpetua, ut jurisjurandi, munitus solvit, dicatur condictionem indebiti soluti habere. *l. Si quis jurasset.* 43. D. *h.*

13. Quod Transactionis nomine datum est, non repetitur, *l. Si non transactionis.* 6. C. *de Iur. & fact. ignor. l. Si citra ullam.* 2. C. *h.* Licet nulla res media fuerit; Nam, si lis fuerit, hoc ipsum, quod ab ea discedituR, causa esse videtur. Sin autem evidens calumnia detegatur & transactio imperfecta sit, repetitio dabitur. *l. In summa.* 65. §. 1. D. *h.* Ratio dubitandi.

I. Cum

I. Cum transactio nullius est momenti, nullus est ejus effectus, &, quæ ex eâ sunt data consequenter condici possunt, si non condictione indebiti, saltem condictione sine causa. *arg. l. 1. pr & §§. seqq. D de condict. sine caus.* Atqui transactio in qua res non est media, nullius est momenti. *l. Cum te 2. l. Transactio. 38. C. l. 1. pr. D. h.* II. Malè dicitur, litem esse pro causa: quia, si hoc perpetuò esset observandum malitiis indulgeretur hominesque ad peccandum invitarentur. III. Etiam ob calumniam evidentem non pronunciatur invalida transactio. *l. Sub prætextu. 19. C. de Transact.*

Ex lib. 13. tit. 1. de condict. furtiv.

14. Condictio furtiva daturcontra heredes in solidum, licet ad eos nihil pervenerit. *l. In condictione. 9. D. h.* Continet enim ea rei persecutionem, quæ contra heredes datur. *l. Si pro fure. 7. §. fin. D. h.* Accedit odium furti, ex quo est factum ut non tantum plures actiones, quam ex aliis delictis, dentur *§. sic itaque. 14. vers. planè. Inst. de action.* sed & heredes teneantur condictione, sive pervenerit ad eos aliquid sive non. Vide. Arum. Exercit. 17. *th.* 9. Tim. Fabr. *disp. anniv. in §. fin. Inst. de oblig. q. ex del. nasc.* Anton. Fab. 4. *Conject.* 1. Ratio dubitandi. I. Hæc actio ex delicto est. *l. Si ambo. 10. §. Quotiens. 2. D. de Compens.* Actiones verò ex delicto descendentes non dantur contra heredes, nisi qua pervenit, vel lis sit contestata. *l. un. C. Ex delict. defunct. in quant. l. Quod diximus. 16. §. fin. D. Quod met. caus. l. Sicut. 38. D. de Reg Iur. §. 1. Inst. de perpet & tempor. act.* II. Condictio furtiva morte interit. *l. Si tutor. & l. seq. D. Tutel. & ration. distrah.* Non ergò in solidum competit. III. Non tenetur heres, nisi qua locupletior est factus. *l. Licet. 3. §. Ex causa. 12. D. de pecul.* IV. Confertur hæc condictio cum rer. amot. actione *l. Contra. 6. §. Item. heres. 3.*

l.Si mulier. 21. *§.pen.* D. *Rer. amot.* Actione autem Rer. Amotar. non in solidum, sed, in quantum pervenit, agitur. *l. fin. C. Rer. amotar.* Vide Vultejum in *d.§. sic itaque.* 14. *vers. plané.* Cujac. 7. *Obs.* 37. & 13. *Observ.* 37.

Ex tit. De eo, quod cert. loc.

15. Qui certo loco se soluturum promisit, non potest alio loco conveniri, nisi tantum temporis spacium præterierit, quo in eum locum pervenire poterat: inest enim tacitè huic obligationi dies. *l. Arbitraria.* 2. *§. Qui ita.* 6. D. *de eo quod cert. loc. junct. l. Continuus.* 137. §. *Cum ita.* 2. D. *de verbor. obligat.* Nec aliter alio loco agi convenienter potest, *l.* 1. D. *h.* Adeò quidem, ut is, qui alio loco petit, antequam deberet agere, vel sine commemoratione loci adjecti, incidat in pœnam tempore vel loco plus petentium 5. *Si quis agens.* 33, *versic. Tempore, vers. loco. Inst. de actionib.* Ratio dubitandi. Verum quidem est, quod directa actione loco adjecto nemo possit petere, nisi tanto temporis intervallo interjecto, quo quis in locum adjectum venire poterat. *d. l. Arbitraria.* 2, §. *Qui ita.* & *d. l. Continuus.* 137. *§.* 2. Sed si arbitraria actione agatur, uti locus ipse potest negligi, ita & per consequentiā temporis, ex loco tacitè adjecti, non habebitur ratio: quod eo facilius est recipiendum, quia in arbitraria actione omnis Rei utilitas spectatur, ut propterea minoris pecuniæ sit condemnatio. *d. l. Arbitraria.* 2. *in pr.*

16. Temporis adjecti ratione non datur arbitraria; Nullis enim legibus id constitutum est: Imò, cum actione ordinaria ex stipulatu quid peti potest, non est opus arbitrariâ, nec ei locus est. Ex stipulatu verò potest directò agi etiamsi tempus diu expiraverit. *l. Quod si.* 4. *pr.* D. *h. l. Si insulam.* 84. D. *de Verbor. Obligat.* Vide Jason. Donell. Gloss. *in l. Quod si Ephesi.* 4. D. *h.* Prioribus adde, quod ob locum mutetur forum, si adjecto

jecto loco non fiat solutio, & ob tempus maneat idem forum, si tempore adjecto non solvat debitor: quod loco non contineatur locus alius. qui enim Romæ debuit, non debet Ephesi, tempore vero cemprehensum sit tempus. qui enim debuit Calendis Januarii, debet etiam calendis Aprilis sequentibus, si non Satisfeceri :quod ex loco sit fundamentum agendi ex arbitrio & ad illud, non autem ex tempore. potest enim tempus omitti, &, si ejus mentio adjiciatur, non ex eo fundatur actio sed per consequentiam principalis actionis id quod interest petitur. Vide Donell. *in l. Quod si Ephesi.* 4. *& ibi Gloss.* 5. Anton. Fabr. 15. *conjectur.* 3. Ratio dubit. I. Etiam utilitas temporis est æstimanda· *d. l. Quod si Ephesi.* 4. *l. si fundum* 114. *D. de Verb. Oblig.* Omnis enim actio stricti juris suâ naturâ, cum necessariò est id, quod interest, æstimandum, fit arbitraria. Certum est in strictijuris actionibus judicem nihil amplius posse adjudicare, quam id, de quo actum est, *l. Quicquid* 99. *D. de Verbor. Oblig.* Quoties itaque amplius adjudicatur, quam de quo convenit, notissimi actionum stricti juris termini exceduntur, ac negotium fit arbitrarium. II. Locus ipsis in legibus confertur cum tempore, etiam quoad naturam æstimationis, uti patet ex *l. fin.* D. *de condict. tritic.* III. Inest loco tacitè tempus, *§.* 5. *Inst. l. continuus.* 137. *§. Cum ita.* 2. D. *de Verb. obligat.* ergo idem in tempore quod in loco. Vide Cujac. *in l. centum Capuæ,* 8. *D. h.* Bus. *lib.* 6. *subtilit. c.* 1.

17. Qui certo loco promisit, eo non solvens, potest tantum conveniri idoneo, id est, loco Domicilii vel contractus; non omni. Domicilii, quia id forum est ordinarium: *l. Iuris.* 2. *C. de Iurisd. omnium. judic.* contractus: quia, ubi quis contrahit, ibi & sese foro subjicit. *l. Heres.* 19. *§.* 1. 2. *& fin D. de Iudic. arg. l. Vt gradatim.* 11. *§.* 1. *D. de Muner. & honorib.* Non omni; quia esset absurdum 1. ut, qui certo loco circumscripsit forum, ubique posset conveniri 2. ut prætor, cum

id egerit, ne actio in totum intercideret cum locus est additus, videretur nimium voluisse vagari: & ita præter & contra intentionem tum contrahentium, tum jura statuentium actum interpretaretur, contra *l. Non omnis. 19. D. de Reb. credit.* Regula est: Ex contractu simpliciter inito non alio potest agi loco, quam Domicilii vel Contractus: ab hac regula non receditur, nisi contrarium probetur. *arg. l. Suus quoque 4. §. Puto, 1. D. de hered. Instit. c. ad decimas. 2. in fin. de restitut. spoliator. in 6.* Vid. Jason. Costal. *in l. 1. D. h.* Azon. *in summa. C. ubi conu. qui cert. loc.* Heig. *in §. Si quis agens. 33. Inst. de Action.* Donell. 17. *Comm.* 19. Rat. dubit. I. Ex *l. Si duo. 16. §. 1. D. de const. pecun.* II. Ex *l. Eum, qui. 43. D. de Iudic.* III. Ex *l. unic. verb. in alio loco. C. h.* IV. Videtur promissor tacitè sese subjicere omni foro ac judici, sub quo inuenitur, cum fidem violans & legem contractui datam non servans delinquat: delinquens verô ubique potest conveniri. *l. 1. C. ubi de crimin. agit.* V. In loco contractus celebrati, cum locus certus solutioni est additus, non potest conveniri; quia non ibi quis contraxit, ratione fori, ubi negotium est gestum vel ubi instrumentum est scriptum, sed ubi solutio est facienda *l. Contraxisse. 21. D. de Oblig. & act. l. Exigere. 65. D. de judic.* Vide Bartol. in *d. l. 1. D. h.*

18. Mentio arbitrii necessaria est; cum essentia hujus actionis consistat in arbitrio. *l. 1. 2. D. l. un. C. h.* Nam si non fiat commemoratio loci, ex quo est arbitrium, plus petitur. *§. si quis agens. 33. versic. loco. ub.* Hotoman. Mynsing. *Inst. de action.* Idque adeo recipiendum est, ut non possit actione ex stipulatu agi in loco domicilii, ut pecunia, certo solvenda loco, exsolvatur *arg. l. 1. D. h.* Mynf. *in d. loco. n. 9.* Ratio dubit. I. Non opus est hodiè ullâ formulâ: sufficit rem bene explicari. *l. 1. 2. C. de formul. & impetrat. sublat.* II. In *l. heres. 19. §. fin.* ubi de hac actione agitur, non requiritur mentio arbitrii. Vid. Zas. *d. §. si quis agens. 33. vers. loco.*

19. Non

19. Non ſatis convenit inter Juris, Interpretes quomodo ſit habenda utilitatis ratio aut in debitore aut in creditore. Mihi videtur, quod, ſi debitoris cauſâ locus ſit adjectus, ſive is in mora fuerit ſive non, nulla ratione debeat ei eripi commodum ex loco. Quod enim ſibi jus ex conventione quæſivit, id ei auferri iniquum eſt. §. *Si quis agens*. 33. *verſic. loco Inſt. de action.* Nec unquam mora cuiquam jus ſuum adimit, ſed nocet in futurum: ut ſc. in moratorem Caſus tranferatur, *l. Si ex legati.* 23. *D. de verb. Oblig.* præſtatio fructuum ac uſurarum inducatur. *l. videamus.* 38. *D de uſur.* ut & ejus, quod intereſt. *l.* 1. *l. centum.* 8. *D. h. l. Illud.* 17. *D. de peric. et comm. rei vend.* Vide Donell in *l. arbitraria.* 2. *n.* 6. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Reus, cum ipſe ſui copiam non facit, non alteri, ſed ſibi nocere debet. Sunt enim regulæ Juris: moram cuique ſuam, factum cuique ſuum, nocerec non alteri .*l. Factum.* 155. *l. In condemnatione.* 173. §. 1. *D. de Reg. Iur.* Non debet à lteri per alterum iniqua conditio inferri. *l. Non debet.* 74. *D. eod.* Præſtat diſtinguere, utrum per debitoris culpam, an per caſum fortuitum ſit factum, quod non venerit: impedimentum enim ex caſu fortuito eveniens non obeſt. *l. Non exigimus.* 2. §. *Quod diximus.* 6. *& fin. D. Si quis cautioni. l. continuus* 137. §. *cum ita.* 2. *D. de Verb. Oblig.* At culpa nocet ei, qui in culpa eſt. *l. Quod quis.* 103. *D. de Reg. Iur.* III. Nimis durum eſt, ut creditor, ſi fortè ipſe venerit ad recipiendum, ſibi tam grandes itineris ſumtus ac moleſtiam imputare debeat.

20. Si creditor, in cujus gratiam locus eſt adjectus, in mora fuerit, excludi poteſt arbitraria; ſi debitor ſive reus, caveat de pecunia ibi ſolvenda, ubi promiſſa eſt. 1. Si debitor per caſum fortuitum impeditus ſit venire vel ſuo tempore ac loco rem debitam mittere. *arg. l. Non exigimus.* 2. *ſi quis judicio.* 3. *D. ſi quis caution.* l. *Continuus.* 137. §. *Cum ita.* 2. *D. de verb.*

verb. Oblig. 2. Si pecunia sit creditori justo loco oblata, vel oblata ac non tantum sed & deposita *l. Quod si Ephesi.* 4. §. 1. D. *h.* 3. Si pecunia ex facili solvenda sit loco adjecto *d. l. Quod Si Ephesi* 4. § 1. Ex hisce deducitur, quod, si reus non sit in mora, non possit haberi ratio commoditatis ex loco à parte creditoris. Ratio dubitandi. I. Etiam locum habet arbitraria, cum reus necessario aliis locis distringitur. *l.* 1. D. *h.* ut, si vel reip. causâ absit, vel in vinculis vel hostium potestate sit: quo casu non est mora. *l. Sed & si* 23. *pr.* D. *de usur.* ubi autem est locus arbitrariæ, ibi & creditoris est habenda ratio, ne ei utilitas loci adimatur. *l. arbitraria.* 2. *pr. et* §. *fin.* D. *h.* II. Debet esse par conditio creditoris & debitoris: Undè quemadmodum Reo, licet ipse in mora fuerit, utilitas loci non adimitur, ita nec adimenda est creditori, ac arbitraria ab ipso instituta non est excludenda per exceptionem ac cautionem debitoris. Vide de hac quæstione Busium in *D l.* 2. *n.* 5. Cujac. in *l. Centum.* 8. *D. h.* Heigium *in d.* §. *si quis agens.* 33. *vers. loco.*

21. In æstimationem ejus quod interest non tantum venit damnum, quod passus est actor (veluti si loco adjecto sub pæna debeat pecuniam vel sub pignoribus, & pœna sit commissa per moram rei, aut distracta sint pignora, vel fisco aliquid debeatur & res stipulatoris vilissimo sit distracta) nec habebitur ratio legitimi usurarum modi: sed & is potest excedi: verum etiam Lucrum, si actor merces soleret comparare. *d. l. arbitraria.* 2 §. *fin. junct. l. Si commissa est.* 13. D. *Rem rat. haber.* Ratio dubitandi. I. In damno circa pecuniam excedere non possumus legitimum usurarum modum, licet amplius sit promissum. *l. pœnam.* 44. *D. de usur.* Id fieri probitas non finit *l. Cum allegas.* 15. *l. Cum non frumentum.* 16. *C. eod.* Id si per stipulationem nefas sit obtinere, quomodo judex adjudicabit? Abiret res in infinitum, si pœna, si alia incommoda extrinseca essent præstanda.

II. Lucri, quod ex negotiatione haberi potest, nunquam ratio est habenda in eo, quod interest, taxando. *l. Si sterilis.* 21. *§. Cum per venditorem.* 3. *D. de action. Emt. l. Si Laborante.* 2. *§. portio.* 4. D. *de l. Rhod. de jact. l. fin. D. de peric. & commod. rei vendit.* Quinimo nec in delictis. *l. Si is, cui.* 71. *§.* 1. *D. de furt. l. Quemadmodum.* 29. §. *Item Labeo.* 3. *in fin. D. ad l. aquil.*

22. Centum Capuæ dari stipulatus, fidejussorem accepisti, ea pecunia similiter ut ab ipso promissore, peti debebit, id est, ut si alibi, quam Capuæ, petantur, arbitraria agi debeat, lisque tanti æstimetur, quanti ejus vel actoris interfuit, eam summam Capuæ potius, quam alibi solvi. *l. Centum Capuæ.* 8. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Fideiussio est juris strictissimi, quia est accessio ad alienam obligationem, ex quâ nihil commodi est: non itaque videtur fidejussor alio loco posse conveniri, quam adjecto. quicquid enim non est comprehensum verbis stipulationis, id non supplendum est ex interpretatione: ac secundum promissorem fere interpretamur id, quod expressum non est, ut pro omisso habeatur: quia stipulatori liberum fuit verba latè concipere. *l. Quicquid.* 9. D. *de verbor. Obligat l. stipulatio ista.* 31. *§. In stipulat.* 18. D. *eod.* ac proniores sunt leges ad liberandum, quam ad obligandum. *l. arrianus.* 47. D. *de Oblig. et actionib.* aut ad obligationem extendendam. Si res ex suis principiis æstimetur, annon est alia arbitraria, alia directa actio? ad directã accessit fidejussor, ad arbitrariã eum teneri iniquum. Justũ quidem est, ut debitor arbitrariâ teneatur, quia creditor propter malitiam ejus posset commodo obligationis excidere. *l.* 1. D. *h.* In fidejussore ea ratio non viget; quia, licet fidejussor non teneretur arbitraria, creditor ęquè sibi servaret obligationem principalem. Id enim tantum sequeretur, quod creditor, in dubio, cum nihil adjecisset de arbitraria (id enim in ipsius potestate erat) propter suam culpam ac negligentiam differre cogeretur actionem adversus

versus fidejussorem, donec is in locum veniret. nec hoc injustum est, ut magis faveamus Fidejussori, qui de damno vitando est sollicitus, & se ad hoc non obligavit, ac in aliena causa versatur. II. Obligatio fidejussoris non potest, ob alium defectum, ad arbitrariam referri. Si enim interesse ex persona debitoris æstimandum sit, fiet contra hanc legem, quæ exigit, ut spectetur, quod fidejussoris interest loco adjecto solvi: *verb. quanti ejus vel actoris interfuit*. Si verò id sit æstimandum ex persona fidejussoris, nec id spectari potest, quia eo modo esset alia obligatio, alia summa, quam ea quam debitor debet. Pone, fidejussoris non interesse, & debitoris maximoperè: hoc casu durior esset conditio fidejussoris, quam ipsius debitoris. Obstaret itaque regula: fidejussor in duriorem conditionem acipi nequit ac acceptus induriorem causam omnino non obligatur. *l. Gracè*. 8. §. *Illud*. 7. D. *de fidejussor*. Pone fidejussoris interesse, non debitoris, sequeretur quod alia esset ex persona fidejussoris obligatio, quam ex causa debiti, vel debitoris, quod quoque absurdum *l. Si stichum*. 38. *l. Si ita fidejussorem* 42. D. *de fidejussor*.

23. Non oportebit, quod fortè per reum steterit, quo minus tota summa loco adjecto solveretur, obligationem fidejussoris augeri. *d. l. Centum Capuæ*. 8. D. *h*. Nec enim ob factum vel pœnam debitoris augeri debet obligatio fidejussoria. *l. Fidejussores*. 68. *l. fin*. D. *de fidejuss*. Ratio dubitandi. I. Mora rei fidejussori quoque nocet. *l. Mora*. 88. D. *de verbor. Oblig*. II. Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fidejussoris durat Obligatio, veluti si moram fecit in sticho solvendo & is decessit. *l. Si à colono*. 58. §. 1. D. *de fidejuss*. Id si verum sit, uti omnino juris regulis consentaneum est. *l. Si servum*. 91. §. *Nunc videndum*. 4. D. *de verbor. Obligat*. magis est, quod fidejussoris obligatio crescat ex mora rei. Nam, cum perpetuatur obligatio ob rei moram, ita ut rem extinctam

tinctam â quâ præstanda, si reus in mora non fuisset, fuisset liberatus fidejussor. *l. Si ex legati. 23. D. de verbor. Obligat.* præstare teneatur, multo magis tenebitur ad & ob accessionem aliquam. facilius quid ad obligationem natam ac durantem per se accedit, quã obligatio jure sublata renovatur. III. Fidejussor conductionis etiam ob usuras pensionum tenetur *l. Quæro. 54. D. locat. l. Non utique 2. § pen. D. de admin. rer. ad civit. pertinent.* & ob omnem aliam causam *l. Si quis solutioni. 24. § 1. D. de usur.* Quin & in operis. *l. 44. D. de oper. libertor.* Si verò in usuris, quæ odiosæ sunt, si in operis quæ ad personam spectant, locum id habet, multo magis in eo quod interest, quia id rem ipsam comitatur & quasi pars rei est. IV. Fidejussor obligatur ex conventione, ipso jure nullâ, ob morã & factum debitoris. *l. Si quis pro eo. 56. § si nummos. in fin. D. de fidejussorib.* Conventio enim nulla est in principio ea, de qua in *d. l. si quis § 2.* quandoquidem nemo alienos nummos mutuò dare potest. *l. mutuum. 2. §. In mutui. 4. D. de reb. cred.* V. Fidejussor Rei vicem obtinet. *l. potest. 4. §. 1. D de fidejuss.* quocirca eodem modo, quo reus ob moram rei tenebitur *arg. l. Qui in jus. 177. D. de Reg. jur.* VI. Responsum est in *l. si ab uno 17. D. ut legat. vel fideicomm. caus. cav.* Fidejussorem ab uno herede acceptum pro legato teneri & in eam partem, quę postea accrevit. VII. In *l. fidejussor. 2. §. fin. & l. seq. D. Qui satisd. cog.* fidejussorem judicio sisti tenetur absolute in omnem quantitatem; etiam in pœnam. De hac quæst. videantur Fab. in rationalib. Bus. in *l. 8. h.* Arum. *de mora c. 8.* Matt. Coll. *de process. execut. part. 1. c. 10. n. 309. et seqq.*

24. Additur præcedentibus in *d. l. Centum.* causam arbitrariæ actionis ob moram rei non comparari obligationi usurarum, quia fidejussor se ad sortem ac usuras obligans ex duab. stipulationibus tenetur, una sortis, altera usurarum. In actione arbitraria non sunt duæ stipulationes, sed una de solvendo certo loco, & ; si ibi non fiat solutio, non agitur actione dire-

ctâ

ctâ, sed arbitraria ad id quod interest loco dicto non esse debitum solutum, circa cujus executionem æstimationis ratio arbitrio judicis committitur. Est sanè evidentissima differentia inter obligationem usurarum & hanc causam. Si usuræ sint deductæ in stipulationem, ac sortis pars sit soluta, potest post non tantum non solutæ partis ex sorte peti usura, sed & solutæ *arg. l.* 1. *C. de Iudic.* sunt enim, ut sp. dictum est, duæ, una sortis altera usurarum, stipulationes. Sin autem pars ejus, quod certo loco promissum erat, sit soluta post moram, ac pòst sit petendum reliquum, non fiet æstimatio ejus quod interest circa solutam quantitatem, sed tantum ejus, quod interest circa residuum. Pari modo; si usuræ non ex stipulatione peti queant, ac sortis sit facta etiam in totum solutio vel saltem petitio, nihil usurarum nomine potest peti. *l. si deposita.* 4. *depos.* adde casum in *l. Terminato.* 3. *C. de fructib. et lit. expens.* Ratio dubitandi. Non est distinguendum inter debitum ex officio sive arbitrio judicis, & ex stipulatione: tantundem enim valet officium judicis in bonæ fidei sive arbitrariis, quæ naturam bonæ fidei habent, quantum in stipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio. *l. Quia tantundem.* 7. *D. de Negot. l. Lucius.* 24. *D. Depos.* Id verò maximè valere debet in hac actione, quæ ex necessitate causæ & mora debitoris descendit.

25. In bonæ fidei judiciis, etiam si in contrahendo, ut certo loco præstetur, additum sit, actio directa, non arbitraria datur. *l. In bona.* 7. *D. h.* Id enim quod interest ex natura actionis directæ consequimur *l. Si ut certo.* 5. *D. Commod.* Ratio dubitandi. I. Non minus debet in actione bonæ fidei concedi, quam in stricti juris. Quid ergo si emtor ad precium solvendum nunquam in locum adjectum veniret? an nunquam is alibi actione pulsari posset? Id iniquum *l.* 1. *D. h.* Præstat ergo arbitrariam concedere, quam utilitatem agendi adimere; & in bonæ fidei judicio jus malâ fide dicere.

EXERC.

EXERCITIVM XXXII.

Resp. PETRO HILLIO Stolpensi Pomerano.

De constituta pecunia &c.

THESIS PRIMA.

NOn puto, secundum jus civile ex pacto geminato produci constitutum ac dari actionem. Habet enim unumquodque negotium suam formam, quâ non observata conventio interit. *auth. offeratur. in fin. C. de lit. contest.* Forma constituti consistit non in iteratione conventionis eodem modo initæ, sed in commemoratione ac confirmatione prioris. Vide Bus. in *l.* 1. D. *h*, Ratio dubitandi. I. Valet in pacto repetito ratio Constituti in *l.* 1. D. *h*, grave est fidem fallere. II. Is, qui secundo paciscitur, reipsa constituit & confirmat prius pactum: & licet verbo constituendi non sint paciscentes usi, rem tamen eandem egerunt. leges verò non verba, sed rem spectant. *l. Omne* 2. *in fin. C. Comm. de legat. & fideicomm.* Nec propter angustiam ac subtilitatem verborum latitudo voluntatis paciscentium est impedienda. *l. un. in fin. C. ut action. & ab hered. & contr.* III. Geminationis est magna efficacia, ut, quod simpliciter sive semel factum non valet, effectum habeat si iteratò ac bis fiat *l. Si mulier.* 22. *C. ad Sc. vellejan.* Vide Sichard. *in rubr.* C. *h.* Costal. *in l.* 1. D. *h.*

2. Constituere quis potest I. non tantum pro alio sed & pro se. *§. de constituta.* 9. *Inst. de action.* II. Nuda conventione. *d. §. de constituta.* 9. III. Etiam absens. *l. Qui autem.* 14. *§ fin.* D. *h.* per nuncium, per epistolam. IV. aliud pro alio. *l.* 1. *§. an potest.* 5. D. *h.* Ita pro nummis frumentum & vice versa. Ratio dubitandi. I. Non est permissum aliud pro alio constituere. Constitutum enim tantum accedit ac confirmat, sed non alterat nec mutat ac no-

vat. II. Aliud pro alio non poteſt ſolvi. *l. Mutuum* 2. §. 1. D. *de rebus credit.* nec aliud à fidejuſſore poteſt deberi, quia alia eſſet obligatio.

3. Oportet ſemper eſſe debitum, ad quod conſtitutum fiat: ſive ſit prætorium, aliudve validum, ſive naturale tantum. *l.* 1. §. *pen. et fin.* D. *h.* Non vero tantum civile, cui non adſiſtat naturalis æquitas. *l. Quod ſi maritus.* 3 §. 1. D. *h.* nam revera non eſt debitum (*a*) Quod autem exigimus, ut ſit debitum, inquit ICtus, id accipiendum eſt, ut ei, cui conſtituitur, ſit debitum *l. Hactenus* 11. *D. h.* Unde, ſi mihi conſtituatur, quod mihi non debetur, conſtitutum non valet (*b*) nec ratione mei nec ratione creditoris: Non mei, quia mihi non poſſum acquirere obligationem alterius ſine juſta cauſa. *l. palam.* 2 §. *Circa.* 3. D. *de Except. doli mal.* & facto ejus, ad quem res ea ſpectat: non creditoris, quia nemo alteri poteſt paciſci. *l Quæcunque.* 11. D. *de Oblig. & action. l. Multum* 6. *verſic. Si vero. C. Si quis alter.* Vide Buſ. *in* D. *l. Eum.* 5. §. *Quod.* 2. (*a*) Ratio dubitandi. I. Abſurdum eſt, pupillum ſine tutoris authoritate obligari. filiumf. contra SC. mutuum poſſe contrahere: hæc verò fient, ſi naturaliter debitum poſſit conſtitui. Nam & pupillus. *l.* 1. §. 1. D. *de Novat.* & ex mutuo filiusf. *l. Quia naturalis.* 10. D *ad SC. Macedon.* naturali obligatione ſunt obſtricti. & conſequenter conſtituere poſſunt. II. Non eſt neceſſe, ut quid debeatur, cum & valeat ac duret conſtitutum, licet deſierit deberi. *l. Item illa.* 18. §. 1. D. *h.* III. Fidejuſſor etiam poteſt accedere ad civilem obligationem. *l.* 1. *l. ſtipulatus.* 6. §. *fin. l. Fidejuſſor.* 16. §. *Fidejuſſor.* 3. D. *de fidejuſſor.* (*b* Ratio dubit. I. Non quæritur in conſtituto, cui & à quo, ſed an debeatur: de re tantum quæritur *l. Eum. quæſt.* 5. §. *Quod Exigimus.* 2. D. *h*, II. Solo conſenſu valet Conſtitutum. *l.* 1. D. *h.* cur ergò non poſſum tibi, quod debet alius, conſtituere?

4. Eum, qui inutiliter ſtipulatus eſt, cum ſtipulari

lari, non constitui sibi voluerit, dicendum est de constituto experiri non posse: animus enim constituendi non est. *l. 1. §. Eum. 4. D. h.* Actusque ultra intentionem agentium nihil operantur. *l. Non omnis. 19. D. de reb. credit.* adde *arg. ex l. 1. §. si quis ita. 2. in fin. D. de verbor. Oblig. Vide* Cujac. Donell. Duaren. Zas. in *d. l. 1. §. Si quis ita.* Ratio dubit. I. Ex *l. Si unus. 27. §. pen. D. de pact. l. An inutilis. 8. de acceptilat. l. Si accepto. 19. D. eod. l. Cum emtor. 5. D. de rescind vendit.* II. Quod non valet ut ago, valebit ut potest. *dd. ll. & l. Scævola. 76. D. ad SC. Trebell. l. 12. 21. D. de reb. dub.*

5. Divi Hadriani epistolam, quę de periculo inter mandatores & fidejussores dividendo loquitur, etiam Locum habere in his, qui pecunias pro aliis simul constituerunt, æquissimum est. *l. fin C. h.* Statuo quoque dari constituentibus beneficium discussionis sive ordinis. *arg. Nov. 4. c. 1. & Nov. 136. c. 1.* Vide Hering. *de Fidejuss. c. 27 n. 126.* Duaren. *c. 8. h.* Ratio dubit. Privilegia, quæ jus singulare continent, non solent ab uno contractu ad alium transire. *arg. l. 1. in fin. D. de constit. princip. l. Quod vero. 14. & seqq. D. de legib.* cum itaque beneficium ordinis locum tantum habeat in fidejussoribus, mandatoribus ac sponsoribus (eorum enim solummodo fit mentio *in Nov. 4. c. 1.*) non potest ad constitutum referri.

6. Existimo eum, qui se ut principalem obligavit in constituto, non frui posse beneficio Ordinis. Debet enim omnis clausula aliquid operari. *l. Si stipulatus. 4. D. de Usur. l. Si quando. 109. vers. alioquin. D. de legat. 1. c. Si Papa. 10. verb. cum verba aliquid operari debeant. de Privil. in 6.* Vide Hering. *d. c. 27.* Ratio dubit. I. Clausula contra essentiam rei apposita nihil efficit Hæc autem contrariatur veritati ac essentiæ negotii, de quo agitur: quoniam, qui constituit in causa aliena, non potest per rerum naturam principalis fieri debitor. II, In *Nov. 4. c. 1.* generaliter

neraliter datur beneficium, & distinctio, utrum quis se reum constituerit annon, non comprehenditur: non ergo est nostrum eandem tueri.

7. Actio ex constituto quæsita fiduciario vel bonæ fidei possessori, decernenda est restitutâ hereditate fideicommissario aut domino, qui evicit. *l. Si post.* 22. D. *h.* Idem in actione fidejussoria fiduciario quæsita. *l. Heres.* 21. D. *de Fidejussor.* Ratio dubit. I. Ex *l. Si tibi.* 17. §. *pen.* D. *de pact.* II. Pacta non egrediuntur personas paciscentium. *l. Si unus.* 27. §. *Pacta.* 4. *in fin.* D. *de pact.* non ergo sine cessione efficacia & virtus constituti initi à Fiduciario, transibit in Fideicommissarium. III. Respondet Mæcianus in l. si heres, 73. D. *ad SC. Treb.* Fideicommissarium non posse agere ad pignora, quæ Fiduciarius in causam contractus à se, ex pecunia hereditaria mutuo data, vel à defuncto initi, acceperat, sed oportere eum desiderare, ut Fiduciarius cedat pro commodo pignorum actionem. *add. l. Si heres institutus.* 70. D. *eod.* IV. Heres, semper manet heres. *l. Ei qui* 88. D. *de hered. instit.* manent ergo & penes eum actiones, si non fuerint cessæ *d. l. si heres institutus.*

Ex tit de Commodato.

8. Si res pluribus sit simpliciter indivisè commodata, singuli in solidum obligantur, ratione rei ipsius, doli, culpæ, diligentiæ ac custodiæ. *l. si ut certo.* 5. §. *fin.* D. *h. l si divisa.* 13. C. *de Locat. l.* 1. §. *si apud duos.* 43. D. *depos.* Ratio dubit. I. Annon id correctum per *Nov.* 99. *c.* 1. II. Pro singulorum partibus agendum esse, traditum est in *l. Rem mihi.* 21 §. 1. D. *h.* III. Ait de heredibus Marcellus: nod absurdè sentiet, qui putaverit eum, cum quo actum fuerit, liberari non posse, nisi integræ rei restitutione; condemnandum tamen, si res non restituatur, pro qua parte heres extitit. *l. si duo.* 22, D. *depos.* IV. Videntur Celsus in *d. l. si, ut certò.* 5. *in fin. sibi.* non satis constare.

9. Fu-

9. Fures, prædones commodantes, actionem commodati habent. *l. Ita ut.* 16. D. *h.* Ratio dubitandi I. Si furi sit res furto subrepta, non potest is agere furti; ne ex sua improbitate actionem nanciscatur. *l. Itaque Fullo.* 12. §. 1. D. *de furt.* Cur ergo Fur commodati aget? II. Nullam habet is, apud quem aleâ lusum est, actionem ad rem suam, quam interim amisit, etiam furto, recuperandam, vel ob injuriam sibi illatam. *l.* 1. *D. de aleat.* Qua ergo ratione dabimus furi actionem ob rem furtivam repetendam; annon lucro illum beamus, ejusque factum confirmamus, laudamus, cum ipsi rem restitui docemus?

10, Dubium esse non debet, quin commodatarius, cum ejus solius gratia commodatum sit, teneatur de culpa non tantum lata & levi, sed & levissima: cum propter authoritatem legum *l. Si ut certo.* 5. §. *Nunc videndum.* 2. *in. fin. l. In rebus.* 18. *D. h. l.* 1. §. *Et ille quidem.* 4. *D. de Oblig. & action.* tum propter justissimam rationem; quia in gratiam commodatarii fit. *l.* 5. §. 2. Vid. Delrion. *in l. Contractus.* 23. *D. de Reg. Iur. & ibi* Petr. Fabr. Ratio dubitandi. I. In commodato præstanda est culpa levis tantum. Nam à commodatario diligens tantum custodia, *d. l. Si ut certo.* §. *planè* 5. exacta diligentia. §. *Item is, cui.* 2. *Inst. Quib. mod. re contr. oblig.* exactior, quam in suis. *l custodiam.* 3. *D. de peric. & commod. res vendit.* id est, levis culpæ præstatio, *arg. l. Quod Nerva.* 32. *D. Depo-sit.* exigitur. Hinc confertur cum pignore, in quo levis culpa præstatur. *l. Si, cum venderet,* 13. *in fin. & l. seq. D. de pign. act.* cum venditione. *d. l. Custodiam.* 3. in qua etiam est obligatio tantum ad medii gradus culpam. *d. l. Si ut certo.* 5. §. 2. II. Similimum est commodatum precario. *l.* 1. §. *fin. D. precar.* In utroque enim usus gratuitus est: in utroque utilitas debitoris versatur. In Precario tantum dolus præstatur. *l. Contractus.* 23. *D. de reg. Iur.* cur aliud in commodato?

11. Incidenter & hic quæritur de præstationibus doli, culpæ, casuumque fortuitorum. Dolus, fallendi, nocendi propositum habet. Culpa committitur sine maligna intentione per negligentiam, imperitiam, imprudentiam, ac imbecillitatem. Casus fortuitus extra factum debitoris contingit, cum id, ex quo damnum infertur, prævideri, aut prævisum nequit impediri. Culpa tres habet gradus. 1. Cum debitor id non facit, quod omnes faciunt, aut id facit, quod nullus facit. Hæc lata, latior, magna, supina appellatur. 2. Cum debitor minorem adhibet diligentiam, quam homines mediocriter diligentes solent suis rebus adhibere. minus vel plus facientes modo. Hæc levis dicitur, mediocris & regulariter nomine culpæ denotatur, nisi lex, vel ratio, vel subjecta materia aliud suadeat. 3. Cum debitor summam diligentiam omittit; Hæc levissimæ nomen habet. Periculum, custodia, diligentia, ad hanc vel illam culpæ speciem vel alio referuntur, eaque vocabula sunt explicanda pro ut exigit res, de qua agitur. Ratio dubitandi. I. Etiam est dolus sine nocendi proposito: uti si dolus ex re sit. *l. Si quis, cum aliter. in fin. 38. D. de verb. Obligat. l. palam. 2. §. circa. 3 & 5. D. de dol. & met. except.* sive sit dolus bonus, quem summo cum clientis bono Advocatus, vel ad ægri commodum Medicus adhibet. II. Culpa non tres, sed sex vel quinque habet gradus. Est enim lata, latior, latissima, levis, levior, levissima. III. Culpa lata non ita definitur, uti ante expressum est, sed omissio diligentiæ in alienis, quam quis suis adhibet. *l. Quod Nerva. 32. D. deposit.* IV. Culpa levis, est omissio vel commissio ejus, quod quis in suis facit vel non facit. *§. fin. Inst. de societat.* V. Diligentiæ, custodiæ nomina solent ad levissimam culpam referri. *l. contractus. 23. D. de Reg. Iur. l. Qui mercedem 40. D. locat. cond. d. l. Si ut certo. 5. §. 2.* Ergo non flectenda sunt pro cujusque arbitrio. VI. periculum deno-

tat

tat casum. *d. l. si ut certo.* 5, §. 3. *l.* 13. §. 5. *D. locat.*

12. Regulæ hæ sunt circa culpam ejusque gradus. 1. In contractibus, qui debitoris causa fiunt, præstatur etiam levissima. Ita in Commodato, uti supra demonstratum est. 2. In iis, qui creditoris gratiâ ineuntur, agitur ob latam tantum. Ita in deposito. *d. l. Contractus.* 23. *d. l. Si, ut certo.* §. 2. 3. In iis, in quibus versatur utriusque utilitas, uti in pignore. *l.* 13. §. 1. & *l.* 14. D *de pign. act.* levis cum lata attenditur. *d. l. Si, ut certo.* §. 2. *l. In reb.* 18. *pr. vers. at si utriusque D. h.* Ratio dubit. Impingitur variis casibus in prædictas regulas. In primam, per precarium. *d. l. contractus.* 23. In secundam, per mandatum *l. à procuratore.* 13. & *l. In re mandata.* 21. *C. Mand.* In tertiam, per conductionem. *l. Si merces.* 25. §. 7. *D. locat. cond.* §. *pen. Inst. eod.*

13. Circa dolum & casum fortuitum sunt observandæ hæ regulæ. 1. Omnes dolum præstare tenentur; nec conventio in contrarium facta valet. *l. Contractus.* 23. *D. de reg. Iur.* 2. Casum fortuitum nemo præstat. *l. Quæ fortuitis.* 6. *C. de pign. act. d. l. Contractus. in fin.* Nisi convenerit de casu præstando. *l.* 1. *C. commod. l. Pomponius.* 6. *D. de pact. dotalib. l. Item quæritur,* 13. §. *si gemma.* 5. *D. locat.* nisi actum sit, non de re reddenda, sed ejus æstimatione. *l. plerumque.* 10. *pr. D. de Iur. dot.* nisi intervenerit mora. *l. Si in Asia,* 12. §. *quemadmodum.* D. *depos. l. Quæsitum.* 8. §. *Et generaliter. vers. plane* D. *de precar.* aut culpa præcesserit. *d. l. Si, ut certo.* 2. §. *quod verò.* 2. *vers. nisi aliqua. D. h.* Ratio dubitandi. Et hic in varia juris principia impingitur. I. Cum omnia pacta sint servanda *l.* 1. *D. de pact.* cur & quis non poterit remittere dolum, cujus causa non est publica, sed privata? II. Cum liceat paciscі, ne depositi agatur. *l. Si unus.* 27. §. 3. *D. de pact.* Cur non & ne dolus præstetur, cum sit utriusque eadem vis ac efficacia. III. Cum impossibilium non sit obligatio, ac impossibile neque pa-

ctoneque stipulatione comprehendi possit, ut utilem actionem ac fructum efficere possit. *l. verum.* 31. *D. de regul. jur. l. Si stipulator.* 35. *D. de verbor. Oblig.* Quomodò casum, cui per humanam infirmitatem resisti non potest, quis potest promittere?

14. Valet & pactum de omni casu fortuito, licet in specie nullus sit expressus. Non est constitutum, generale pactum, vel transactionem inutiliter fieri, sed tantum valere, quantum omnium specierum enumeratio efficit. *l.* 1. §. *Generaliter* 1. *D. de legat. præst. arg. l. Si chorus.* 79. *D. de legat* 3. *l. Omnes.* 4. *C. de præscript.* 30. *v.* 40. *annor.* accedunt textus in *l. Iurisgent.* 7. §. *sed, & si quis.* 15. *D. de pact. l. Et Aristoni.* 39. *ff. mandat.* Vide *l. Si quis.* 4. *D. de reb. cred. l. Qui negotia.* 34. *in fin. pr. D. Mandat.* Sichard. *In d. l.* 1. *C. Commod.* ubi & Pac. Ratio dubit. I. Conventio non valet, cum in genere convenit, ne ulla exceptio objiciatur. *l. Sed & si quis.* 4. §. *Quæsitum.* 4. *D. Si quis caut. jud. c. f. n. obtemp.* II. Requirunt multæ leges specialem fortuitorum casuum mentionem & enumerationem. *l.* 1. *C. commod. l. Negotium.* 22 *C. de negot. gest. l.* 1. *C. Depos.* III. Uti generalis SCti Vellejani renunciatio ad contractum, super quo ea interponitur, restringitur. *l. Iubemus.* 21. *C. ad SC. Vellejan.* atque generalis renunciatio beneficiorum est nulla: ita consequenter justa ratio suadet, ut casuum fortuitorum receptio sit nulla, nisi quorum specialis mentio fuit facta. Vide Accurs. Cyn. Gilken. *in d. l.* 1. *C. Commod.*

15. Insuper concludo, quod, qui in se recepit casus omnes fortuitos generaliter, etiam teneri debeat ob damnum, quod incidit etiam ex casu insolito. huc facit textus in *l.* 1. *C. depos. in l. Si quis domum.* 9. §. *Si quis fundum.* 2. *D. locat. junct. l. Ex conduct.* 15. §. *Si vis. D. eod.* Generaliter dicta, generaliter & de omnibus speciebus sunt intelligenda *l.* 1. §. 1. *D. de legat præstand. conj. tabb. l. Si chorus.* 79. *D. de legat.* 3. universali

versalis oratio omnia particularia includit. Ratio dubitandi. I. In dubio leges volunt meliorem esse debitoris conditionem eumque non obligari *l. arrianus.* 47. *D. de oblig. & act. l. inter. pares.* 38. *D. de re judicat. l. Favorabiliores.* 125. *D. de Reg. Iur.* & cum non apparet quid sit actum, minimum esse præstandum. *l. In stipulationibus.* 34. *D. de reg. Iur.* II. Nunquam conventiones ita explicantur, ut pertineant ad ea, de quibus probabiliter non est cogitatum. *l. Qui cum tutoribus.* 9. §. 1. *l. Non est ferendus.* 12. *in fin. D. de transact.* At de insolito nemo præsumitur cogitasse: nam ad incerta voluntas non refertur. *l. Scio.* 10. §. 1. *D. de ann. legat. l. vel universorum.* 12. *D. de pign. act.* III. In obligatione generali nunquam comprehenduntur ea, quæ specialem habent rationem quæque probabiliter debitor in se non reciperet. *arg. l. Obligatione* 6. *D. de pignor.* Insolita verò habent specialem rationem, eaque communiter non solent homines in se recipere: desiderant ergò specialem ac insolitam conventionem. Hinc in casibus fortuitis opus est speciali pacto, ut dictum thes. prox. prec. rat. dub. 2. IV. Leges ea, quæ raro accidunt, prætereunt. *l. 3. & seqq. D. de legib.* V. Respondet Labeo: Si nives immoderatæ fuerunt & contra consuetudinem tempestatis, expressione generali de tempestate non venire. *l. Fistulas.* 78. §. *fin. D. de contrah. emt.* adde *l. Qui occidit.* 30. §. *In hac.* 3. *in fin. D. ad L. aquil.* vide de hac quæst. Bartol. in *l. sed & si quis.* 4. §. *Quæsitum.* 4. *D. Si quis caut.* Gail. *lib.* 2. *observat.* 13. *n.* 18. Gomes. *tom.* 2. *resol. c.* 2. *n.* 19. Menoch. *lib.* 2. *arbitr. quæst. cent.* 2. *cas.* 80.

16. Ad eos, qui utendum accipiunt, damnum injuria ab alio datum, non pertinere, indistinctè verum esse respondet Julianus in l. *Ad eos.* 19. *D. h.* Qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne aliquis damnum nobis injuria det. *d. l. ad ad eos?* vide Bus. *ad d. l. ad eos.* Rat. dub. I. Distinguendum esse videtur, utrum

damnum sit illatum propter inimicitias commodatarii, an commodantis. *l. Si merces.* 25. §. *Culpa.* 4. D. *locat.* II In *l. sed de damno.* 41. D. *locat.* aliter distinguitur per Ulpianum, sententiam Marcelli confirmantem. vid. Hotom. 4. *Observat.* 12. III. Traditum est. *l. Vnde.* 7. §. 1. *D. h.* Socium oportere sarcire damnum, quod alter dedit. IV. Obstat textus *in l. Cum duobus.* 52. §. *Damna.* 3. D. *pro soc. in fin.*

17. Qui rem commodatam remittit per suum servum vel alium, de quo nulla est suspicio sinistra, vel, quem dominus suis solet adhibere perferendis, vel per servum aut famulum domini, securus erit, re per nuncium interemtâ vel subreptâ. Nam cum is, qui in nullam mali, apud aliquem, suspicionem venit, delinquit, magis id casui fortuito, quam negligentiæ accensendum est. *arg. l. argentum.* 20. D. *h arg. l cum duobus.* 52. §. 3. D. *pro soc.* Nunquam peccat, qui utitur opera ejus, cujus ipse creditor utitur. *l. Qui hominem.* 34. §. *Si Titicum.* 3. D. *de solut.* ac ipse creditor eligendo sibi servos, præsumitur elegisse optimos, quibus negotia committi possint. *arg.* §. *fin. Inst. de Oblig. quæ ex q. del. &. nasc.* & si negligentior fuerit in ministeriis eligendis, ipse in culpa est *l. Si servus.* 27. §. *Si Fornicarius.* 9. & §. *proculus.* 11. D. *ad l. Aquil.* cujus damnum sibi acceptum feret. Nec hoc iniquum esse docent JCti *in l. Nec id in iquum.* 15. *D. Si quis omis. caus. l. Quod quis.* 203. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubit. I. Perit commodatario res, quando res est remissa per alium, quàm Dominus miserat repetitum, licet & dominus miserit aliquem, ut ad reddendum moneret adversarium. *l. Si mei causa.* 12. §. 1. D. *h.* II. Durum esset nimis, ut officium, quod commodatario gratis præstitit, domino sit damnosum. *l. sed si quis.* 7. D. *Testam. quemadm. aperiant. l. sed si servus.* 61. §. *Quod vero* 5. *versic. multo quidem æquius.* D. *de furt.* III. Si quis per suum rem it-

remittat servum, ejus factum simpliciter debet præstare. *§. fin. Inst. de oblig. quæ quas. ex delict.* Imo non aliter liberabitur, quam, si alii mali homines interceperint, ac suo servo eripuerint. *d. l. Argentum.* 20. *D. h.* V. Commodatarius suum negotium gerit, dum remittit, & quisque in suo negotio tenetur ad omne periculum *l. Siquis uxori.* 52. *§. apud labeonem.* 11. *D. de furt.* VI. Commodatario datur actio furti, si rem quis ei abstulerit, ac domino actio commodati, nisi maluerit agere ipse furti: sic ut domino, non obstante furto, sit permissum à commodatario rem repetere, si velit. *l. fin pr. C. de furt §. Quæ de fullone.* 16. *Inst. de oblig. ex del.* Is verò, qui rem sibi ad perferendum ad alium datam intervertit, furtum facit. *l. Si is. cui.* 7. *C. de furt. l. Si mandavero.* 22. *§. si tibi.* 7. *D. Mandat.* Quæ ergo injuria est, si hoc damnum commodatario imputetur, cum ex ejus facto procedat. *l.* 155. *D. de reg. jur!* & nulla voluntas creditoris concurrat? Vide de hac re Bartol. *in d. l. si quis uxori.* 52. *§. apud Labeonom.* 11. Oldendorp. *class.* 4. *action.* 15. *vers. sed quid de dolo.* Gomes. 2. *resol.* 7. *n.* 3.

18. In commodato quoque compensationem fieri, est verius, *l. In rebus.* 18. *§. fin. D. h. l. creditoris.* 15. *§. fin. l. si is, qui rem.* 59. *D. de furt.* Excipitur enim tantum actio depositi *l. si quis vel pecunias.* 11. *C. Deposit, l. fin. pr. junct. §.* 1. *in fin. C. de compensat. &* quæstio de re malâ fide possessa recuperanda. *d. l. fin. §.* 2. vide Cujac. 9 *Obs* 37. Ratio dubitandi. I. In commodato agitur de re ac corpore: corpora verò non admittunt compensationem. *l. si convenerit.* 18. *D. de pign. act. l. si constat.* 4. *C. de compensat.* II. Est eadem ratio in commodato quæ in deposito, imo major, cum commodatum ineatur, commodo commodatarii, & depositum deponentis causa: nec enim ex commodo quod in commodatarium gratuito transfertur, sentire debet commodator incommodum. III. In *l. fin. C. h.* nec retentio conceditur, quomodo ergo compensatio

pensatio? vide Arum. *Exercit.* 12. *Thes.* 13. Hillig. *in enucl. Donell. lib.* 16. *c.* 15. *ad lit. x.*

19. Cum actione commodati, siquidem damnum à Commodatario sit datum, concurrit actio ex l. Aquiliâ. *l. Unde.* 7. §. 1. *l. In rebus.* 18. *§.* 1. *D. h.* Ita tamen, ut non ex utraque commodum totum, sed si unâ egerit, ex alterâ consequi possit actor, quod in ea est amplius. *d. l. Unde.* 7. §. 1. Ratio dubitandi. I. Una alteram absolutè tollit. *l. In rebus.* 18. §. 1. *D. h. l. Si is, cui.* 71. *pr.* *D. de furt. l. Et ita.* 3. *§. fin.* *D. Naut. caup.* Nec bis idem exigi debet. *l.* 57. *D. de Reg. jur.* II. Cum pænalis actio cum persecutoria concurrit, utriusque commodum actor consequitur. *§ fin. Inst. de obligat. q. ex delict. nasc. l.* 7. *D.* 1. *de condict. furtiv. l. Qui servum* 34. *§.* 2. *D. de Oblig. & action. l. Rei communis.* 45. *D. pro soc.* Ergò & ex commodati, quæ est rei persecutoria, & ex l. aquilia, quæ est pænalis. *§.* 9. *Inst. l. Inde Neratius.* 25. *§.* Hanc. 8. *in fin.* *D. ad l. Aquil.*

Ex titulo de pignerat. action.

20. Pignus generaliter acceptum etiam sub se complectitur hypothecam. *l.* 1. *D. h.* specialiter ac propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit. *l. Si rem.* 9. *§. propriè.* 2. *D. h.* Hypothecam cum non transit, nec possessio ad creditorem. *d. l.* 9. *§.* 2. *l. Item.* 7. *Inst. de action.* Ratio dubitandi. I. Inter pignus & hypothecam nulla est differentia, nisi quoad nominis sonum. *l. Res hypothecæ.* 5. *§.* 1. *D. de pignor.* II. Non omne, quod traditur, est propriè pignori, sed tantum res mobilis. *l. Plebs.* 238. §. *Pignus.* 2. *D. de verbor. Significat.* Unde immobilium dicetur esse hypotheca, licet sint tradita; quo facit *d. §. Item.* 7. *Inst. de act.*

21. Qui rem pignori dedit, si postea intersit debitoris eandem rem liberari, & offerat aliud pignus, ex quo creditor non possit damnum sentire, audiendus

dus eſt. Quod enim tibi non nocet, & alteri prodeſt, id te concedere oportet. Hoc æquitas ſuggerit, licet jure deficiamur, ut inquit ICtus in *l. In ſumma.* 2. §. 5. *in fin.* D. *de aqua & aq. pluv. arc. l. In creditore*, 38. *D. de Evictiion. l.* 2. *C. de pignorib.* vide Dec. n. 4. Cagnol. n. 26. in *l. plus.* 25. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Non aliter aliis cavetur pignoribus, quam ſi creditor hoc voluerit, *l. Si rem.* 9. §. *Omnis.* 3. *verbis. ſive aliis pignoribus ſibi caveri voluit ut ab hoc recedat. D. h. l. Quæ fundum.* 50. §. 1. D. *de jur. dot. l. Item liberatur.* 6. *D. quib. mod. pign. ſolv.* Id meritò receptum eſſe docet multiplex ratio. 1. Non poteſt cuiquam invito jus ſuum auferri. *l. Quod noſtrum.* 11. *D. de reg. Iur.* 2. Non poteſt aliud pro alio ſolvi. *l. Mutuum.* 2. §. 2. D. *de reb. credit.* 3. Nulla obligatio fieri aut novari poteſt, niſi ex utriuſque conſenſu. *l. ſicut.* 5. *C. de obligat. & act l. fin.* C. *de novat.* II. In locum fidejuſſoris non poteſt alius invito creditore ſurrogari. *l. Si mandatu.* 45. §. *Item ſi.* 2. D. *mandat.* Nec debitor ſuo loco poteſt alium ſubſtituere. *l. Debitorum.* 25. *C. de pact.* Vide Pinell. *in l.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *n* 21.

22. Si æs ſit pignori datum pro auro, tenebit etiam pignus in ære. *l.* 1. §. *fin. D. h.* licet & ſciens dederit debitor; *d.* § *fin.* quo facit *l.* 22. *D. de verbor. Obligat.* In corpus enim conſenſum eſt. Tenebitur tamen pigneratitia contraria debitor, præter ſtellionatum. *d. l.* 1. §. *fin. in fin.* Ratio dubitandi. I. Non conſenſerunt in æs, ergo in æs nulla eſt contracta obligatio. II. Qui aurum oſtendit & æs dedit, obligavit non æs ſed aurum. *d. l.* 1. §. 1. III. Nulla eſt contracta obligatio, quando æs pro auro venit. *l. Quid tamen.* 14. *in fin. juncta l.* 9. §. 2. *D. de contrah. Emt*

23. Pignus, manente proprietate penes debitorem, poſſeſſionem confert in creditorem: poteſt tamen & precariò & pro conducto debitor re uti *l. Servi nomine.* 16. *D. de uſurp. & uſuc. l.* 1. §. *per ſervum.* 15. D. *de acq. poſſ. l. Cum & ſortis.* 35. §. 1. D. *h.*

Ratio

Ratio dubitandi. I. Credit. omnino non possidet, sed debitor. *l. Qui pignoris causa.* 36. D. *de acquir. possess. l. sciendum.* 15. *§. Creditor.* 2. D. *Qui satisd. cog.* II. Si debitor maneat dominus rei pigneratæ, uti manet *d. l, Cum & sortis.* 35. *§.* 1. *l. Si pignus.* 37. *D. h. l.* 9. *C. h.* nulla ratione potest conducere rem eandem vel precariô rogare. *l. Neque pignus.* 45. *D. de regul. Iur.*

24. Si in sortem duntaxat, vel in usuras obstrictum sit pignus, eo soluto, propter quod obligatum est, locum habet pigneratitia. *l. Solutum.* 11. §. *Si in sortem.* 3. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Licet retinere omninò rem pigneratam ob usuras non solutas. *l. per retentionem.* 4. C. *de usur.* vel ob aliud debitum *l. unic.* C. *Etiam ob chirograph. pecun.* II. Non habet locum pigneratitia, nisi omne debitum sit solutum, vel ejus nomine satisfactum. *d. l. Si rem.* 9. *§. omnis.* 3. *D. h. l.* 2. *C. Debitor. vendit. pignor. imp. non poß.*

25. Pigneratitia competit ei, qui etiam in judicio offert pecuniam. *D. l, Si rem.* 9. §. *fin.* D. *h.* licet cæperit âgere, antequam offerret. Ratio dubit. I. Oblatio sola non sufficit; sed & desideratur consignatio & depositio. *l. Creditor.* 20. *C. de pignor. l. obsignatione.* 9. *C. de solut.* l. Si creditrici. 6. *l. si per te.* 9. *l. acceptam.* 19. C. *de usu. l. Tutor.* 41. *§.* 1. D. *eod. l. fin. C. de luit. pignor.* II. Sufficit, si debitor ostendat se paratum esse ad solvendum. *l. Item liberatur.* 6. *§.* 1. D. *Quib. mod. pign. solv.* Sola oblatio locum facit actioni pigneratitiæ. *l. si dominium.* 9. *C. de pignorib.*

26. Creditor in pignore præstat tantum levem culpam. *l. si, cum venderet.* 13. *§.* 1. *junct. l. seq.* D. *h. l. si ut certo.* §. *Nunc videndum.* 2. D. *Commod.* Ratio juris est manifesta, quia utriusque utilitas versatur, & creditoris ut securus sit, & debitoris, ut ei credatur pecunia. §. *fin. Inst. Quib. mod. re contrah. obligat.* Ratio dubitandi. I. Pignus confertur cum commodato in præstatione culpæ. *d. l. si, cum venderet.* 13. *§.* 1. In commodato vero præstatur summa diligentia. *l.*

In re-

In rebus. 18. *pr.* D. *Commodat.* II. In *d. l. si, cum.* §. 1. Vis major tantum removetur à creditore: debet ergò is præstare exactissimam diligentiam. III. Additur emphaticè in *d. l. si, cum venderet.* §. 1. quod custodiam præter culpam præstare debeat; ubi autem emphaticè custodiæ fit mentio, ibi debet accipi textus de custodia plena. *arg. d. l. si, ut certo.* §. *custodiam.* 5. D. *Commod. l. Qui mercedem.* 40. D. *locat.* IV. Creditoris, qui pignus accipit, gratia, reverà constituitur pignus. Nam debitoris non ita interest pignus dare, quam creditoris, ut sibi sit cautum. Cum vero accipientis commodo fiat contractus, præstatur culpa levissima. *d. l. si, ut certo.* 5. §. 2.

27. Debito de quo constat, non soluto, non præscribitur actioni pigneratitiæ licet centum anni sint elapsi. Fundamentum est, quia antequam solutio fuerit facta, nequit agi actione pigneratitia. *d. l. si rem.* 9. §. *Omnis.* 3. *D. h.* Et contra non valentem agere non currit præscriptio. *l.* 1. *in fin. l. seq.* C. *de annal. præscript.* Accedit, quod creditor nunquam sibi possideat, ac propterea usucapiendi principium desit. *l. sine possessione.* 25. D. *de usurpat. & usucap.* Adde *l. Nec creditores.* 10. C. *h.* Ratio dubit. I. Omnes actiones personales, publicæ ac privatæ tolluntur lapsu 30. vel 40. annorum *l. sicut.* 3. *& seq.* C. *de præscript.* 30. *v.* 40. *ann.* Debet enim tandem esse finis litium. *l.* 1. D. *de usurp. & usucap.* II. Male allegatur hæc ratio, quod debitor non possit agere. cum sit in potestate debitoris solvere & agere, quando placuerit. Si itaque amittat actionem, sibi imputet; Nec hoc iniquum est, cum ex suo vitio damnum sentiat. *l. Nec id iniquum.* 15. D. *Si quis omiss. causa testamenti.* Vide Wesemb. *consil.* 2. *n.* 94.

EXER-

EXERCITIUM XXXIII.

Resp. LAMBERTO ADIO, Leoverd-Frisio.

Ex tit. per quas person. nobis acquirit. oblig.

THESIS PRIMA.

PEr eum, qui dominio nostro non subjectus, nec procurator noster est, obligatio & ex ea actio acquiri nequit. *l. solutum.* 11. *§. per liberam.* 6. *D. de pigner. act. l. Si ita stipulatus.* 126. *§ Chrysogonus.* 2. *pr. D. de verbor. Obligat.* Nemoque alteri potest stipulari. *l. stipulatio.* 38. *§. alteri.* 17. *D. eod. l. Quo tutela.* 73. *§. fin. D. de Reg. Iur.* Debet enim initium obligationis esse à personis contrahentium. *l. Quæcunque.* 11. *D. de obligat. & act.* Inventæ sunt obligationes, ut quisque, quod suâ, non alterius, interest, sibi acquirat. *§. alteri.* 19. *vers. Inventæ. Inst de Inut. stipulat.* Ratio dubitandi. I. Grave est fidem fallere. *l.* 1. *D. de constit. pecun.* Non interest, cui fidem dederim, sed eam servare oportet. II. Licet alterius, etiam inviti, conditionem reddere meliorem, *l. Solvendo.* 39. *D. de negot. gest.* justè ergò comparabitur obligatio alteri. III. Possessio potest per quamvis personam, ac per eam dominium, nobis volentibus, acquiri. *l.* 8. *C. de acq. poss. l. Ea.* 53. *in fin. D. de acquir. rer. dom.* Nec ulla ratio differentiæ dari potest, cur non & obligatio: cum in dominio sit amplius, quam in obligatione. IV. Sunt expressa loca, quibus contrarium docetur; uti in *l. publia Mævia.* 26. *D. deposit. l. pen. C. ad Exhibend. l. Quotiens.* 3. *C. de donat. quæ sub mod.*

2. Procurator suo domino obligationem, non acquirit, si non sibi, sed domino sit stipulatus. *l.* 1. *vers. si igitur. C. h.* Nec distinguo inter directam ac utilem. Ratio dubitandi. I. Durum hoc & publicè inutile, cum pugnet cum usu ac fine, ad quem procuratores

tores constituuntur. *l.* 1, *D. de. procurat.* II. Docent ICti in *l. Eum, qui.* 5. *§. final.* D. *de const. pecun. l. Si procuratori.* 79. D. *de verbor. oblig. l. In omnibus.* 5. D. *de prætor. stipulat.* dari utilem domino actionem ex stipulatione facta per procuratorem, vel Domino esse succurrendum. III. Papinianus respondet simpliciter, ex stipulatione facta à procuratore, etiam invito procuratore, dominum posse petere. *l. Quod procurator.* 68. *D. de procurator.* IV. Constituit Justinianus, etiam sine cessione atque ipso jure, domino acquiri ex facto & contractu procuratoris condictionem, hypothecariam similesque actiones. *l. Cum per liberam.* 2. *C. h.* V. Nihil vetat, quod non possit fieri per alium meo nomine, quod ipse possum facere. *l.* 1. D. *quod juss.* Procurator noster est nuncius, per quem quisque optimè contrahit. *l. fin. C. si quis sib. vel alt.* VI. Procurator, qui liberam rerum nostrarum habet administrationem, aut cui speciale est datum mandatum, potest alienare, permutare *l.* 58. D. *de proc.* Cur non posset acquirere actionem?

Ex titulo de Exercitoria action.

3. Æquum omninò est, ut contra exercitores ac præponentes detur actio iis, qui cum magistro navis alioque præposito contraxerunt, secundum responsum Ulpiani, in *l.* 1. D. *h.* Ratio dubitandi. Nemo ex alterius contractu potest obligari *arg. l. Quæcunq.* 11. D. *de obligat. & action.* Cum enim procuratores nostri nullam nobis possint acquirere obligationem ex pacto vel stipulatione. *l.* 1. *C. per q. pers. cuiq. acq. l. Quo tutela.* 73. *§. fin. D. de Reg. Iur.* Nullo ergò jure poterunt nos obligare & nobis nocere. *l. Si unus.* 27. *§. pacta.* 4. *vers. ante.* D. *de pact. §.* 3. *Inst. de inutil. stipulat. l. stipulatio.* 38. *princ. vers. nemo.* D. *de verbor. Obligat.*

4. Exercenti navem adversus eos, qui cum magi-

ſtro contraxerunt, actio non eſt. *l.* 1. *§. ſed ex contrario.* 18. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Marcellus ait, dari actionem ei, qui præpoſuit, in eos, qui cum eo contraxerunt. *l.* 1. *in fin.* D. *de Inſtitor. act.* II. Debet eſſe par conditio contrahentium. *l.* 3. *§. fin.* D. *Mandat.* Uti enim contra exercitorem datur actio, ita & exercitori eſt danda: uti magiſter ſuo contractu gravare & obligare poteſt exercitorem, ita & eidem poterit obligationem acquirere: Cum omne incommodum ſpectat ad Exercitorem, neceſſe eſt ut & commodum ad eundem referatur.

5. Si plures per alium exerceant, ſinguli ex contractu magiſtri in ſolidum tenentur: ne in plures adverſarios diſtringatur, qui cum uno contraxerit. *l.* 1. *§. fin. & l. ſeq.* D. *h.* Ratio dubit. I. Si plures ſint heredes unius, ſinguli pro parte tenentur hereditaria. *l.* 1. *C. Si cert. petat.* Nec aliud in pluribus exercitoribus poteſt jus dici: cum nimis grave eſſet, ut quis ob minimam ſæpè partem, magni momenti ſive præjudicii pateretur actionem. II. Videtur hoc jus eſſe correctum per *Novell,* 99. *c.* 1. III. Eſt abſurdum ut unus pro altero conveniatur. *t. t. c. ne filius pro patre, &c.* IV. Directò contrarium reſpondit Ulpianus in *l. fin. §. pen.* D. *Naut. caupon. ſtabular.* V. Cur aliud, uti patet ex reſponſo Ulpiani. *l. ſi tamen.* 4. *pr.* D. *h.* in pluribus per ſe navem exercentibus? manet enim eadem ratio, ne in plures diſtringatur adverſarios, qui cum uno contraxerit *l.* 2. D. *h.* Nec valet ratio, in *d. l. Si tamen.* allegata, quod qui exercent per ſe, ſui magiſtri non videantur eſſe invicem: quia quod ſinguli exercitores in ſolidum teneantur, non eſt quod cum magiſtro, ſed quod cum uno contraxerint. *d. l.* 2. D. *h.* Nec etiam defenſio per plures ſciſſa incommodo aliquo afficere debet actorem. *l. Iam tamen.* 5. *§. Si tamen* 7. *verſ. ne defenſio.* D. *Iudicat. ſolv.*

6. Ut exercitoria competat, requiritur neceſſario,

ut contractus ineatur secundum legem ac modum præpositionis magistri. Ita si magister sit præpositus ad certam causam, ac magister aliud egerit, exercitores non tenentur. *l.* 1. §. *Igitur.* 12. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Non est necesse, ut, qui cum magistro contrahit, inquirat in ejus conditionem: potest & ignarus ejus legis, quæ data est præpositioni, habere absolutè exercitoriam *l.* 1. *pr.* D. *h.* II. Exercitor tenetur omnia magistri facta præstare *d. l.* 1. §. *Magistrum.* 5. alioquin contrahentes deciperentur. *d.* §. 5. Quod eo usque extenditur, ut, licet Exercitor quid prohibuerit, & magister spreta prohibitione quid egerit, æquè teneatur. *d.* § 5. *in fin.*

7. Lucius Stitius Stichum præposuit, is pecuniam mutuatus cavit, se in refectionem navis eam accepisse. Quæsitum est, annon aliter Titius exercitoria teneatur, quam si probaret creditor, pecuniam in refectionem navis esse consumtam. Respond. creditorem utiliter acturum, si cum pecunia crederetur, navis in ea causa fuisset, ut refici deberet. *l fin. pr.* D. *h.* Causa juris ibidem additur. Ratio dubitandi I. Non videtur requiri necessario, ut creditor sciat navem in ea fuisse causa ut refici deberet: sufficit enim, quod magister ea lege acceperit, quasi in navem impensurus. Licet enim magister non in navem impenderit, imputet sibi Exercitor quod talem præposuerit. *d. l.* 1. §. *quid si* 8. & §. *Unde quærit.* 9. D. *h.* II. Debet omnino probari, quod pecunia sit versa in refectionem & usum navis. Administratores enim civitatis, ob nummos mutuo acceptos in rem civitatis, soli tenentur, nisi creditores docuerint pecuniam in rem civitatis esse versam. *l. Civitas.* 27. D. *de reb. credit.* Et quod de civitatib. dicitur, transferendum est & ad privatos. *l. Eum.* 17. *in fin.* D *de verbor. significat.* etiam in causis pecuniarum. *l. ob pecuniam.* 81. D. *de furt.* & earum, quæ mutuo dantur. *l. Nihil.* 15. D. *ad SC. Macedon.* III. Si non detur privile-

gium in pignore, nisi verè in rem debitoris quid sit impensum *l. 5. 6. D. Qui potior. in pign.* & si pater vel dominus non conveniatur de in rem verso, ex contractu filii vel servi, nisi reverâ fuerit pecunia in rem patris vel domini versa. *l. Quod si servus. 3. §. sed si sic. 9. D. de in rem vers.* non debet etiam exercitor teneri, si reverâ non fuerint nummi in utilitatem ejus versi: facilius enim confirmatur pignus ex lege, quam ut quis solvat quod non accepit: & vinculum inter servum ac dominum, inter patrem ac filium, est validius, quam inter exercitorem ac magistrum, inter quos nulla potestatis est ratio.

Ex tit. de l. Rhod. de jact.

8. Arbor, aut aliud navis instrumentum, removendi communis periculi causa dejectum locum contributioni faciet. *l. Cum arbor. 3. l. amissa. 5. §. 1. D. h.* Ratio dubitandi. I. Lex Rhodia de jactu mercium levandæ navis causâ agit, *l. 1. l. amissa. 5. vers. Nam hujus. D. h.* Ergô non de aliis rebus ac factis, quæ jactum non habent, intelligi debet: cum jura singularia non ad alias causas extendantur. *l. Quod vero. 14. D. de legib.* II. Est in navis exercitoribus longè alia ratio, quam in mercatoribus, quorum merces vehuntur: Illi res salvas fore receperunt, hi verò navem non recepere salvam; illi mercedem pro vehendo accipiunt, hi eam dant. III. Responsum est contrarium in *L. Si laborante. 2. §. 1.* Hisce verbis: *si conservatis mercibus deterior facta sit navis aut si quid exarmaverit, nulla est facienda collatio.*

9. Corporum liberorum æstimatio nulla fit, quo ad contributionem faciendam: vestimentorum ac anulorum utique. *d. l. Si laborante. 2. §. Cum in eadem. versic. Corporum. & versic. Itidem agitatum. D. h.* Ratio dubit. I. Iniquum est, ut, qui ob jactum vitam suam servavit, ejus nomine nihil præstet: nec quis vitam salvam habere debet, cum jactura alterius

rius. quod enim contemplatione salutis est præstitum, maximè attendendum, sic quidem, ut donatio in infinitum eo nomine sit permissa, sine ulla insinuatione. *L. Si pater.* 34. *D. De donat.* Qui captivum redemit ab hostibus, potest redemtum loco pignoris retinere, donec lytron sit solutum. *L. Ab hostibus.* 2, *L. Cum & postliminii.* 6. *L. Liber.* 17. *C. De postlim. Revers.* Iure igitur est is exsolvere, quantum judici æquum videbitur, compellendus, cujus vita, libertate preciosior, per jactum ac jacturam mercium alienarum servata est. II. Gemmæ, quæ navem non onerant, in contributionem veniunt. *d. l.* 2. §. 2. Justissima ergo ratio est, ut & corpora, omnibus gemmis preciosiora (cum omnes res sint hominum causâ comparata) contributioni subiiciantur. *III.* Non videtur in *d. l.* 2. §. 2. Simpliciter negari, ob vitæ conservationem per jactum quid præstari oportere, sed tantum, quod corpora non æstimentur: poterit itaque æstimari id, quod interest vitam esse servatam, sive ex æquitate præmium a judice adjudicari eo nomine. *IV.* Mirum est, quare vestimentorum ac anulorum sit habenda ratio in contributione, cum corporum sint accessiones, ac accessiones sequantur jus sui principalis. *l.* 129. §. 1. *l. cum principalis.* 178. *D. de regul. jur.*

10. Si ulla unquam justa ac æqua constitutio, est ea, quæ est in *Auth. navigia. C. de furt.* quæ naufragis eorumque bonis nullum damnum inferri præcipit, ac omnes consuetudines tollit, quæ ejus juris efficaciam enervant. Huc faciunt textus in *l.* 1. *C. de naufrag. l. fin.* D. *de incend. l. de submersis.* 5. C. *de naufrag.* Ratio est, ne afflictio afflicto addatur, contra legem pietatis. *arg. l. Divus.* 14. *D. de offic præsid.* (a). Justissimum quoque est responsum Icti in *d. l.* 2. §. *Res.* 8. & *l.* 8. *D. h.* Res jacta manet domini, nec fit apprehendentis, quia pro derelicto non habetur, (b).

(a) Ratio dubitandi, *L.* non est iniquum, Dominis

locorum portionem etiam magnam ex naufragio tribui; quandoquidem navis impacta in eorum terram, per beneficium Dei censetur ipsorum esse facta, ut de Thesauro est traditum in *l. un. c. de Thesaur.* II. Non est invidendum locorum dominis, ut, cum per eorum terram naufragorum vita est salva, ipsis res in terram delatæ pro magna parte concedantur. *arg. l. 34. §. 1. D. de donat.* III. Vbique ferè contrarium observatur: nec credendum est, gentes ita esse a justitia ac æquitate alienas, ut quid recipiant contra rationem. Id enim quod gentibus placuit ab ipsa naturali ratione profluit. *§ 1. Inst. de jure nat. gent. Et civil.* ac per Dei providentiam constitutum esse dicitur. *§. pen eod.* (b) Ratio dubitandi. 1. Ex *l. Falsus creditor. 43. §. pen. verbis: & siquidem derelinquendi animo jactavit, quod plerumque est credendum, cum sciat periturum. D. de furt.* II. Res nostræ fiunt occupantis, cum difficilis est earum persecutio. *§. Fera, 12. in fin. Inst. de ver. divis.* III. Quæ inveniuntur in littore, indistinctè fiunt nostra: sive sint lapilli, sive aliæ res. *l. Item lapilli. 18. Inst. eod.* l. 1. *§ 1. D. de acq. vel amitt. possess.*

Ex tit. de Institor. act.

11. Morte præponentis non statim finitur præpositio & officium Institoris: licet & heres sit pupillus, vel furiosus. &, qui contraxit, sciat præponentem esse mortuum. *l. Si quis mancipiis. 17. §. si impubes. 2. & seq. D. h.* Removendus enim est institor, si heres ejus opera uti nolit. *l. Sed si pupillus. 11. D. h.* Ratio dubitandi, I. Mandatum finitur morte. *l. Inter. 26. D. Mandat.* Institor vero est procurator. II. De præposito est responsum in *l. Ejus, qui in provincia. 41. vers. non & si tibi in hoc. D. de reb. credit.* officium ejus morte præponentis finiri. III. Præstat cum Anton. Fab. 2. conjectur. 11. corrigere textum in *d. l. si quis,*

mancipiis. 17. §. 3 & pro sciens legere nesciens: Ita fiet, ut is locus accuratè respondeat juris principiis. Vide de hac quęst. Wurmser. *in nucleo juris controv*. 18. *disp. controv*. 3.

12. Institor etiam post obitum præponentis ac, cum finis est officio impositus, potest conveniri, quoties tempore præpositionis sese suo nomine obligavit. Idem est in procuratore, *l. procurator*. 67. D. *de procurat*. In administratore rerum civitatis, *l. Curatoris*, 3. §. *In eum*, 2. D. *de administ. rer. ad civitat. pertinent*. In tutoribus & curatoribus, *l. Post mortem*, 5. D. *quand. ex fact. tut*. Et in procuratore est specialiter responsum, quod, si creditor a procutatore sit stipulatus, cum contemplatione domini ei mutuam dedisset pecuniam, ut dominum ab alio creditore, vel pignus liberaret, & habeat creditor adversus dominum actionem negotiorum gestorum, & adversus procuratorem ex abundanti ex stipulatu. *l. Si pupilli*, 6. §. 1. D. *de negot. gest*. Si verò institor, ut institor contraxerit, post finitum officium non erit obligatus. *l. fin*. D. *h*. Vti nec procurator, tutor, vel civitatis administrator. *dd. ll*. Sublatâ enim causâ obligationis, mutata mutabili personę qualitate ac munere, ex quo obligatio suam habet efficaciam, tollitur ac mutatur obligatio. videtur enim tacitè inesse hæc conventio, si in eadem causâ maneat. arg. *l. cum quis*, 38. *pr. in fin*. D *de solut*. Ratio dubitandi. I. Absurdum est, ub obligatio, semel ritè nata, tollatur; licet in eum casum inciderit, a quo initium habere non posset. arg. *l. in ambiguis*. 85. §. 1. D, *de Reg. jur*. quod enim semel mihi quæsitum est, sine facto meo mihi adimi vel in alium transferri nequit. *l. Id quod nostrum*, 11. D. *eod*. Quocircà & obligatio institoris semel & efficaciter inita, non potest tolli vel mutari ex pacto aut facto illius, ac præponentium, quià ambo sunt debitores, ac debitorum pactum non nocet creditori *l. Debitorum*. 25. C. *de pact*. ac consequenter electio,

utrum agere velit contra Institorem, an institoria contra præponentes, quæ ei ad exemplum exercitoriæ, de qua in *l.* 1. *§. Est antem.* 17. D. *de exercitor.* competit, penes creditorem manebit ac durabit, etiam finito institoris officio. II. Si dixerimus actionem contra Institorem tolli, tolletur simul & ea, quæ datur contra præponentes, id est, institoria: est enim Institoria, cum ex persona Institoris detur *l.* 1. *§. pen.* D. *de exercit.* tantum adjectitia, quæ sine principali non subsistit *l. nihil dolo.* 129. *§.* 1. *D. de reg. jur.* Id verò pugnat cum æquitatis ratione. III. Cum in *d. l.* 1. *§. Est antem.* 17. indistinctè dicatur, dari electionem in exercitoria, ad cujus formam institoria se componit, nec nostrum est distingvere, utrum fieri electio debeat ante vel post finitum officium. IV. Institor simpliciter & sine ulla distinctione, utrum manserit Institor vel non, ex pecunia mutuò accepta convenitur. *arg. l. si filiusf.* 7. *§. Interdum.* 11. D. *ad SC. macedon.* V. Contrarium apparet *ex l. servum* 49. D. *mandat. ex l. solitam.* 11. *§. pen. d. de pign. action.* Uide de hac quæst. variè disserentes. Iason. *in l.* 26. *n.* 2. *si cert petat.* Anton. Fabr. *in rational. ad l. fin.* D. *h.* & *ibi* Bartol Duaren. *h. c.* 4. Castrens. *in l.* 1. *§.* 15. *n.* 4. D. *de Exercit.* Heig. *in §.* 2. *Inst. Quod cum eò.* Wurmſ. *in nucl. jur. controv. disp.* 11. *controv.* 2.

Ex tit. de act. Tributor.

13. Procuratoris, inquit Ulpianus, scientiam (ad hoc, ut tributoriæ sit locus) & dolum domino nocere, Pomponius non dubitat, nec nos dubitamus. *l. procuratoris.* 5. *D. h.* Ratio dubit. maximè dubitare oportet, cum non simpliciter, sed per varias distinctiones respondeat de dolo procuratoris idem Ulpianus in *l. apud Celsum.* 4. *§. Quæsitum est.* 18. D. *de doli mali except.* II. Contrarium est in tutore; Hujus enim dolus nunquam nocet pupillo. *l. Dolus.* 3. *D. Quando ex*

ex fact. tutor. nisi qua pupillus est factus locupletior. *d.l. dolus.* 3. *l. sed & ex dolo.* 15. *D. de dolo malo.* Idem in tutore circa Tributoriam pronunciavit Ulpianus. *l. Sed si servus.* 3. §. 1. *D.h.* Nec alia est ratio in tutore, quam in procuratore. III. Si procurator, tutor, curator non optemperaverint jus dicenti, ipsi puniuntur, non dominus, non pupillus vel minor. *l. un. §. si procurator. d. si quis jus dicenti non optemp.* cur minus id contumaciæ delictum nocebit domino, quam id, quod est ex dolo, cum delicta semper suos authores teneant. *l. sancimus.* 22. *C. de pœn.* IV. De quo non videtur mandatum intervenisse, de eo dominus non tenetur. *l. si procurator.* 6. *§. celsus.* 2. *fin* D. *de cond. Indebit.* Ad illicita non censetur datus procurator, licet mandatum habeat generale. *l. pen. §. fin.* D. *Mandat.* sed semper præsumitur inesse bona fides. *l. Titius.* 54. D. *ad SC. Trebell.* Si itaque mandati fines excesserit mandatarius, mandatum non tenet: nam aliud quid fecit. *l. diligenter.* 5. *pr.* D. *Mandat.* Vtilitas hujus quæstionis ac usus est hodiè, si id quod de domino est dictum transferamus ad patrem, cujus procurator vel contractum scivit vel dolo malo merces peculiares distribuit: De dolo enim agitur in *l. Illud.* 7. *§.* 1. *D.h.*

1... In actione Tributoria melior nullo modo est conditio occupantis: verum ea actio æqualem causam quandoque agentium præbet. *l. Non enim* 6. *D. h.* Vndè, si unus veniat distribui desiderans, integram portionem consequitur. Sed quoniam fieri potest, ut alius quoque vel alii existere possint creditores mercis peculiaris: cavere debet is creditor, se pro rata refusurum, si forte alii emerserint. *l. procuratoris.* 5. *§. fin.* D. *h.* Illud quoque cavere debet, si quod aliud domini debitum emerserit, refusurum se ei pro rata. *l. Vlud.* 7. D *h.* Ratio dubitandi. Semper fere est occupantis conditio melior in pari causa, ita in actione noxali. *l. Inter eos.* 19. D. *de re judicat.* *l. Si*

quis è multis. 14. D. *de noxal. act.* In procuratoris officio *l. pluribus.* 32. D. *de procurator.* In actione de peculio. *l. Si verò adhuc.* 10. *l. Ex facto.* 52. D. *de pecul.* In pignore. *l.* 10. *D. de pignorib.* In quo & valet hæc regula, qui prior est tempore potior est jure *l. Si fundum* 4. C. *Qui potior. in pign.* In actione de legato. *l. Si pluribus.* 33. *in fin.* D. *de legat.* 1. In solutione, quam facit heres sub beneficio Inventarii. *l. fin.* §. 4. *C. de jure delib.* Non ergo debet fieri refusio: quod jus habet egregiam rationem: Vigilantibus sunt jura scripta; vigilavi, conditionem meam meliorem feci. *l. non enim.* 16. *D.* Ex *quib. caus. major. l. Quod autem.* 6. §. *sciendum. l. pupillus.* 24. *in fin.* D. *Quæ in fraud creditor.*

Ex tit. de SCto macedon.

15. Macedonianum SC. non tantum filiof. & patri præbet exceptionem, sed & heredibus. *l. Item si filiusf.* 7. §. *Non solum.* 6. D. *h.* & Fidejussorib. *l. Sed si paterfam.* 9. §. *Non solum.* 3. D. *h.* quandoquidem hæc exceptio in rem, non personam est concepta. *l. Exceptiones.* 7. §. 1. *versic. Idem dicitur.* D. *de Except.* Ratio dubitandi. I. Filiusf. naturaliter obligatur *l. Quia naturalis.* 10. D. *h.* & ad naturalem obligationem jure accedit fidejussor. *l.* 1. D. *de fidejussor.* §. 1. *Inst eod.* II. Senatusconsultum tantum patris & filii mentionem facit. *l.* 1. D. *h.* Non ergo ad alios extendendum est. Privilegia enim ac personales constitutiones non excedunt personas. *l.* 1. *in fine.* D. *de constit, Princip.* III Imputet sibi Fidejussor, quod voluerit pro filiofam. intercedere, cum ex sua culpa damnum sentiat si ipsi denegetur actio mandati, quæ ipsi deneganda erit, uti & denegatur eidē si pro minore intercesserit. *l. In causæ cognitione.* 13. *D. de minorib.* IV. Quid ergò, si. *d. l. sed si paterfam.* 9. §. *Non solum.* 3. sic explicemus, quod tunc subveniatur fidejussoribus, cum regressum habēnt mandati: scilicet, cum ignora-

ve-

verunt: Ignorantibus enim jura subveniunt, non scientibus. *l. Si fidejussor.* 29. D. *Mandat.* Ad quid dabitur iis beneficium, qui scivierunt esse filiumf. & æquè se voluerunt obligare contra SCtun? V. Non est hæc exceptio in rem, sed in personam: nam non ob rem sed ob personæ statum, quia filiusfam. est, beneficium hoc datur præcipuè patri. *l.* 1. D. *h.*

16. Militibus filiusfamilias hoc datum est, ut, si pecuniam creditam acceperint, contractus sit validus, nec debeat distingvi ubi ea sit comsumta, aut ex qua causa sit accepta. præsumitur enim omnis miles in nihil aliud quam in causas & res castrenses nummos suos erogare. *l. fin.* §. 1. D. *h.* Ita quidem, ut, licet quantitatem peculii castrensis id creditum excedat, æquè mutuum teneat. Indistinctè enim. *d. l. fin.* loquitur. Id non ita nostris militibus, iisq;, qui peculium quasi castrense habent, concedendum est. Ratio dubitandi. I. Non est id admittendum in militibus, cum ordinario ferociores sint iis, qui domi perpetuò manu patris reguntur. II. Non aliud habent in hac causa privilegium milites, quam usque ad quantitatem sui peculii. *l.* 1. §. *f.* & *l. usque* 2. D. *h.* quod jus cum non sit mutatum, stare debet. *arg. l. sancimus.* 27. *C. de Testament.* III. In omnibus quasi castrense peculium comparatur castrensi. *l.* 1. §. *Nec castrense.* 15. *D. de collat. pr Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. l. final. C. de Inoffic.* & in utroq; est eadem ratio. IV. Non aliud jus nostris militibus dicendum, quam Romanis. Debent enim ii, quorum est eadem causa, eodem jure censeri.

17. Filiusfamilias beneficio SCti non potest renunciare: quia non tam filii quam patris causa est introductum. *l.* 1. D. *de SC. Macedon* §. *pen. Inst. Quod cum eo. q. in al. pot* Habet etiam principium suum sive rationem in odio fæneratorum. *d. l.* 1. Fraus fieret SCto, ac eadem facilitate renunciaret filiusf. qua recipit mutuum. adeò quidem id verum est, ut nec

juramento

juramento ejusmodi renunciatio possit confirmari. Quò facit textus *in l.non est dubium.* 5.C. *delegib. l. Iurisgentium.* 7. *§. Et generaliter.* 16. D. *de pact.* Ratio est, ne jusiurandum sit iniquitatis vinculum, vel quem invitet ad peccandum, & patri præjudicium adferat. *l. Non est.* 58. *de Reg. Iur. in* 6. junct. *l. cum contingat.* 28. *x. de jurejur.* Nec etiam præstari potest contra formam juris. *d. l. Iurisg. §. ait prætor.* 7. *junct d. §. & generaliter.* 16. D. *de pact.* Vnde Fachin. *lib.* 2. *Controv. c.* 61. *Costal. Bartol. in l. Tamen, si.* 11. D. *h.* Ratio dnbitandi. I. SCtum Macedon. sequitur exemplum SCti Vellejani. *d. l. Tamen, si.* 11. D. *h.* Vellejano SCto potest fæmina renunciare omnino quidem juratò. *l. fin. §. pen.* D. *ad Vellejan. c. d. cum contigant.* 28. II. Ex omnibus causis obligari potest & conveniri filiusf. *l. Filiusf.* 39. D. *de oblig. & action.* ergò & ex hac renunciatione, maximè jurata: scilicet, ut non præjudicium fiat patri, id enim nec debet nec potest fieri, sed tantum ipsi filiofamilias, quò is possit conveniri & quidem post patris obitum. Beatus ille est, qui jurat & id servat, etiam cum detrimento rerum suarum. *Psalm.* 15. *auth. sacramenta.* C. *si advers. vendit.* III. Si solvere possit & solutum nequeat repetere. *l. sed. si.* 9. *§. Et hi.* 4. D. *h.* potest ergò sese obligare cum juramento. Vbi enim solutio, quæ obligationis privatio, ibi & fuit obligatio. vide *Zas.* 2. *singul. respons. c.* 28. Rittershus. *ad §. pen. Inst. quod cum eo.* Covarr. *in c. Quamvis. de pact in* 6. *part* 2. *§.* 3. *n.* 4.

18. Si quis se patremf. esse dixerit, & ei creditor fidem habuerit, justa ratione motus, non habebit locum SC. Macedon. *l.* 1. C. *h. l. Si quis paterfam.* 7. D. *h.* Nec requiritur decennum, ut filius se gesserit pro patref. in *d. l.* 1. Ratio dubitandi. *I.* Sibi imputet creditor, qui fuerit credulus. *l.* 1. *§.* 2. D. *de eo, per quem fact.* Vide Costal. in *l.* 1. D. *h. l. Quod si servus.* 3. *§. sed si sic accepit.* 9. D. *de in rem vers. II.* Opinio non turbat veritatem. *l.* 1. *& tit.* C. *plus val. quod agit.* Plus utique

semper in veritate. *l. Ilicitas.* 6. §. 1. D. *de offic. præsid.* Nec error alterius alteri nocere debet. Itaque nec eum patri obesse oportet. III. Patri prius est denunciandum. *l. si filiusf.* 16. D. *h.* III. Imò requiritur decennium: si enim pater Diu sit passus filium suum sese gerere ut patremf. tunc demum videtur filius esse sui juris. *l.* 1. *C. de patria potest.* diu enim est nota decennii arg. *l. si cum fideicommissa.* 16 §. *Aristo.* 3. *& ibi gloss. in verb. decennio.* D. *Qui & a quib. manum.* Donell. 13, *comm.* 13.

19. Cessat SCtum, si pater solvere cæpit, quod filiusfamilias mutuo sumsit: quasi ratum habuerit. *l. Item si filius.* 7. §. *hoc amplius.* 15. *D. h.* vel si filius, cum paterfam. est factus, partem solverit. *d. l. Item.* 7. §. *si paterfam.* 16. D. *h.* qui enim ratihabitionem simpliciter per factum in parte interponit, censetur quoque reliquum habere ratum. nisi sit alia partis residuæ ratio, uti, si illicitè consumserit partem. Vid. Christ. *in t. t. h. n.* 11. vid. Bus. *in d.* §. *si paterfam.* 16. Ratio dubitandi. I. Pars non includit totum: & quod juris est in toto, ut id non debeatur, id & in parte ut nec ea debeatur. *arg. l. Quæ de tota.* 76. D. *de Rei vindicat.* II. Directò contrarium est in. *l. Sed si paterf.* 9. *D. h.* Vide de hac quæst. Connan. 7. *comm* 2. *n.* 8.

20. Si pater consueverit ratum habere mutuum à filio suo contractum, existimo SCto non fore locum: cum enim pater consentit vel ratum habet, mutuum valet. *l. Zenodorus*, 2. *l. fin.* C. *h.* ac ratum videtur habere vel saltem consentire, si ita solitus sit agere, ac post non contradicat. Est enim argumentum a solitis frequens, probabile, ac utilissimum, uti patet ex iis, quæ probat Nicolaus Ever. à Middelb. *loco ab usitato n.* 1. Non verò id sine distinctione admiserim. Puto esse habendam rationem summarum ac aliarum circumstantiarum. Quid enim, si ante parvas sive modicas accepperit mutuò, nunc, cum controversia movetur, magnam summam?

Quid

Quid si antè bene vixerit filius, jam male agere inceperit? Quid si pater invitus semper solverit, ac protestatus sit, se post non soluturum? Quid si pater antè liberaverit filii institoris fidem, cum in eam rem accepisset nummos, nunc filius non sit institor, vel, si sit, in eam causam non acceperit? Quid si alia sit ratio, ex qua mutatio voluntatis possit præsumi? Hisce & similibus modis obiici posse SCtum statuo. nec pater tenetur publice id indicare. Ratio dubitandi. I. Creditor non potest specialia ea, quæ patrem mutasse suam consuetudinem indicio sunt, scire, nec probare tenetur. cum probatio voluntatis ei debeat incumbere, qui convenitur. *l. cum tacitum.* 3. *l. Eum, qui.* 22. D. *de probat.* Si pater nolit contrahi mutuum cum filio, prohibeat id palam, ne quis decipiatur. *l. sed si pupillus.* 11. §. *De quo.* 2. *verbis sed. si quis nolit contrahi, prohibeat.* D. *de Instit. act. add. ejusdem l.* §§. *seqq.* II. Est præsumptio juris quasi de jure, quod, quandò pater filiof. permittit, ut agat tanquam paterfam. is continuò pro patref. sit habendus. *l.* 1. *C. de patria pot.* III. Non admittunt loca, quæ de solitis agunt, ut ita ullo modo distingvatur: simpliciter enim sunt concepta. vid. loca a. Middelb. *d. loc.* n. 1. allegata, & inter ea præcipuè *l. fin.* D. *Quod cum eo.* Bald. *in l.* 2. *C. h.*

21. In SCto Macedoniano nepotes nomine filiorum venire, non est dubium, licet filiorum tantum sit mentio facta. *l. si filius.* 6. §. 1. C. h. Quinimò si pater nepotis consenserit, non avus, in cujus potestate & pater & nepos sunt, æquè SCtum non impeditur: cum ipse pater in ea causa sit, ut mutuam non possit accipere pecuniam. *l. Filium habeo.* 14. D. *h.* non ergò alii consentire potest. Ratio dubitandi; I. Cum in SCto Macedon. nepotes nomine filiorum contineantur; cur ergò non in casu *l. fin. C. de natural. & in* §. *fin. Inst. qui testam. tuto dar. poss?* II. Cum hæc materia sit omnino odiosa, cur non restringimus

mus nomina: quandoquidem ea quæ odium habent, non ſolent interpretatione adiuvari. *l. cum quidam.* 19. D. *de libe. & poſth. præt. C. odia. de reg. Jur. in 6.*

22. Filiusfamilias mutuò non poteſt accipere nummos; verum frumentum, oleum, vinum, poteſt. *l. Item, ſi.* 7. §. *mutus.* 3. D. *h.* atque alios contractus rectè celebrat. *l. ſi quis paterfam.* 3. *n. is autem ſolus.* 3. D. *h.* Sichard. *in Rubr. n.* 3. C. *h.* Azo *ibid.* Ratio dubitandi. Pecuniæ nomen res quaſvis complectitur. *l.* 2. C. *de conſtit. pecun. l.* 178. 222. *D. de verb. ſignific.* II. Omninò periculum idem eſt in aliis mutui ſpeciebus, & maximè in vino, in veſtimentis precioſis: in iiſdem præſtat quoque coarctari juveniles calores, ne cupidini dediti triſtem poſt diſperſum patrimonium ſentiant exitum. *l. fin.* §. 5. *verſic. melius. C. de bon. quæ liber.* III. Non tantum de mutua pecunia conſtitutum eſt, ſed & de omni credito ac contractu, quod nullius momenti ſit actus. Ita Ulpianus: ſi adoleſcens luxurioſus mandet tibi, ut pro meretrice fidejubeas; idque tu ſciens mandatum ſuſceperis, non habebis mandati actionem. *l. ſi vero.* 12. §. *ſi adoleſcens.* 11. D. *Mandat. l. ſi quis. cū.* 8. *in fin. d. Pro emtor.*

Ex tit. de peculio.

23. Etiamſi prohibuerit cum filiof. contrahi pater, erit æque in eum actio. *l. ſi quis ſervum.* 29. §. 1. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Fundamentum, quod pater de peculio teneatur, eſt, quia pater filiof. permittit de peculio diſponere per contractum, & in eo negotiari: ergò ſi ejus voluntas hæc non ſit, conveniri non debet. Obligationes enim ex conſenſu habent ſuam eſſentiam. *l. ſicut.* 5. C. *de obligat. & action.* & tolluntur, ſi prohibitio ſit facta in contrarium. *l. fin. C. de negot. geſt.* II. Qui in taberna ita ſcripſit: *nolò cum ſervo geri negotium*, efficit, ut non teneatur Inſtitoria. *l. Quotiens.* 47. *D. h.* cur ergò non efficiet, ut non teneatur de peculio, ſi ſimpliciter vetuerit nullum negotium geri! addi hiſce poteſt reſponſum *in l. Sed*

pupillus

pupillus. 11. §. *De quo*, 2. *& seqq*. D. *de Inst*. III. Legis est quidem provisio, ut, qui cum filiofam. contraxit, possit de peculio agere, verum ea provisio tollitur per hominis, patris sc. contrariam provisionem: cessat enim legis, ubi est hominis provisio. *l. fin.* C. *de pact. conv. tam sup. dot*.

24. Si creditor patrem, qui de peculio tenebatur, heredem instituerit; quia mortis tempus in Falcidiæ ratione spectatur: illius temporis peculium considerabitur. *l. Eo tempore*. 50. §. 1. D. *h. l. cum quo de peculio*. 56. *pr*. D. *ad l. Falcidiam*. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Si creditor*. 83. D. *eod*. ubi non mortis sed aditæ hereditatis tempus recipitur. II. Videtur suadere justa ratio, ut non spectetur tempus mortis, sed aditæ hereditatis: quia incrementum capit sua natura peculium & pleniorem per se facit hereditatem. *l. Cum quo* 56. §. 1. D. *eod*. *l. Si ex duobus*. 32. *l*. 40. §. 1. D. *de pecul*. *l*. 1. §. *Id, quod natura*, 17. *versic. sed julianus*. D. *ad leg. Falc*.

Ex tit. de in rem verso.

25. Datur etiam actio de in rem verso, cum filius ad turpes quæstus ac ad luxuriam & delitias patri subministravit volenti: neque enim spectamus, an bono patris cesserit, quod consumtum est, sed an in negotium patris versum sit. *l. Quod si*. 3. §. *Necnon* 6. D. *h*. Ratio dubitandi. I. Ex turpi causa non est obligatio. *l. Generaliter*. 26. D. *de verbor. Obligat*. Sic mandatum rei turpis non est obligatorium. *l. Si remunerandi*. 6. §. *Rei turpis*. 3. *l. Si mandavero*. 22. §. *Qui edem*. 6. D. *Mandat*. Vti nec emtio, *l. Quod sæpe*: 35. §. 1. D. *de contr. Emt*. Nec societas. *l. Nec prætermittedum*. 57. D. *pro soc*. Nec tutela. *l*. 1. §. *plane*. 14. D. *de tutel. & ration. distrah*. Nec fidejussio. *l. Si a reo*. 70. § *fin*. D. *de fidejussor*. II. Ex *l*. 8. D. *pro Emtor*. *l*. 12. §. 8. D. *Mandat*. III. Toties datur actio de in rem

rem verso, quoties melior vel saltem non deterior fit conditio patris. *d. l. Quod si servus.* 3. §. 1. 2. D. *h.* At, quod in luxuriam, in turpitudinem expensum, non reddit meliorem sed causam patris deteriorem.

26. Quod versum est, debet durare, ut detur hæc actio *l. si pro patre* 10. §. *versum.* 6. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Simulac versum quid est in rem patris, nascitur actio acquiriturque creditori. Actio semel nata ac acquisita non potest adimi ex facto debitoris. *l. debitorum* 25. C. *de pact.* Vndè, si quid vel uno momento pervenerit, perpetuo deberi docet Paulus *in l. videamus.* 17. *in fin. l. Quod autem.* 20. D. *de eo. quod met. causa. l. Cum prætor* 127. D. *de regul. jur.* II. Cum versum periit ac non durat, tenetur æquè de in rem verso pater. D. *l. Quod si servus.* 3. §. *Vnde.* 7. *Et seq.* §, *fin. l. servus.* 17. D. *h.*

Ex tit. Quod jussu.

27. Qui filii chirographo subscripsit, tenetur quod jussu. *l.* 1. §. *sed & si.* 4. D. *h. arg. l. Etiam si.* 3. C. *Quod cum eo* Ratio dubitandi. I. Subscriptio vel signatio non præjudicat subscribenti vel signanti ut probare actum alienum videatur & obligetur. *l. Gajus.* 39. D. *de pigner. act.* II. Verum quidem est, teneri dominum, si ut dominus subscribat; & sic explicari potest. *d. l.* 1. §. *Sed & si.* 4. D. *h.* Sed non si simpliciter, quia eo casu tanquam testis & sine intentione sese obligandi confirmasse est censendus: cum leges in dubio magis inclinent ad liberandum, quam ad obligandum. *l. Arrianus.* 47. D. *de obligat. et action.* III. Si pater fidejusserit, non tenetur quasi jusserit. D. *l.* 4. §. 5. Ergo justa est ratio, quod ex nuda subscriptione fit obligatus, cum fidejussio sit obligatio confirmans principalem, in subscriptione sit tantum testimonium.

EXERCITIUM XXXIV.

Resp. CHRISTOPHORO ERNESTO NASONE. Mulhemensi.

Ex tit. ad SCtum vellejanum.

THESIS PRIMA.

VEllejano SCto plenissimè comprehensum est, ne pro ullo fæminæ intercedant. *l. 1. pr. D h.* Iusta hujus est ratio: quia, cum sunt incautiores, nec vident periculum præsens, immemores veteris dicti, *sponde, noxa est præsto*, facilimè inducuntur, vel prece vel precio aliquo, ut sese alienis immiscentes negotiis contra propria laborent commoda. *l. 4. C. de sponsal.* Ac non parvam rei familiaris jacturam patiantur. *d. l. 1. §. 1.* Omnino autem providendum erat, ne earum fragilitas in perniciem suæ substantiæ convertatur. *pr. in fin. Inst. de h. quib. alien. non licet.* Accedit, quod & sexui isti non sit adeò conveniens, ut ejusmodi causis sese implicet, unde & civilia ei sunt ademta officia. *d. l. 1. §. 1. & l. fæmina. 2. D. de regul. jur.* Ratio dubitandi. I. Cum sit iis permissum donare. *l. sed si ergo. 4. §. 1. D. h.* Quoslibet contractus celebrare: pro alio solvere. *l. 1. C. h.* pignora sua remittere. *l. Etiam. 11. C. h.* Cur non intercedere? Minus est intercedere, quam donare, aliosque inire contractus: donare est perdere. *l. 7. D. de donat.* Qui contrahit, multis se exponit insidiis. *l. 1. D. de minor.* Et qui pro alio solvit, re vera alterius obligationem in se suscipit ac intervenit. II. Cur hic impunè violari fidem permittimus hominibus sanæ ac integræ mentis, cum nihil tam sit naturali rationi conveniens, quam ut servetur fides *l. 1. D. de p act. l. 1. D. de const. pecun.* Cum ille sit futurus beatus, qui sese obligat & solvit, licet id sit conjunctum cum summo detrimento, *Psalm. 15.* III. Malè additur hæc ratio, quod intercedere sit munus publicum sive civile, ex. *d. l. fæmi-*

d. l. fæmina. 2. *D. de regul. Jur.* & *l.* 1. §. *l.* 2. §. 1. *D. h* Cũ id ſit abſolute juris privati. Male & hoc, qnon pou conveniat ei ſexui ſeſe aliorum negotiis immiſcere, cum & imponatur mulieribus, ut munera quoque ſua publica civilia, & in patrimonio idem jus cum reliquis, publicè as generaliter ſuſtineant. *l. Vn. C. de mulierib. in quo loc. lib.* 10. Si in publicis non diſtingvatur quoad patrimonium, non admittenda quoque erit in privatis negotiis diſtinctio.

2. Intercedit fæmina cum vel participat, ut in caſu. *l.* 17. §. 2. *D. h* Vel veterem aut novam obligationem alienam recipit. *l. Quamvis.* 8. §. 1. *D. h. l. Senatusconſultum.* 4. *C. h.* Veterem. cum vel accedit, uti fit cum pro alio fideiubet, conſtituit, mandat, oppignerat ſe vel res ſuas vel ſibi obligatas. *l.* 2. § 1. *l.* 6. 7. 8. *l.* 17. §. 1. *D. h. l.* 1. §. 2. *D. de conſtitut. pecun.* Vel in ſe eam transfert, uti expromittendo, novando (a) defendendo. *l.* 2 §. *fin. l.* 8. §. 8. *D. l.* 4. 16. *C. h.* Novam, cum ab initio ſe ream pro alio conſtituit, uti fit in *d l.* 8. §. 14. *l.* 17. *D. l.* 2. 4. 19. *C. h.* Si fæmina acceſſerit, manet integra actio ipſo jure contra debitorem, quaſi nulla eſſet facta interceſſio: adeo quidem, ut, ſi alius cum muliere interceſſerit, mulier eximatur obligationi & ille ſolus in ſolidum poſſit conveniri. *l. ſi Titius.* 48. *D. de fidejuſſor.* (b) Si in ſe tranſtulerit priorem obligationem liberato reo, reſtituetur priſtina actio. *d. l.* 8. §. 8. §. 12. *l.* 14. *l.* 16. §. 1. *l. fin. D. l.* 16. *C. h.* Ratio dubitandi. ad (a) Si mulier pecuniam dedit ne delegetur, videtur interceſſiſſe, *d. l. debitrix.* 24. §. 1. Ergo ſi delegetur & pecuniam non dederit, non interceſſit. contrariorum enim eſt contraria ratio. Ratio dubitandi ad (b) I. Non debet confidejuſſori nocere, ſi perſona mulieris ſubducatur, ſed creditori, qui mulierem ſuſcepit: Cum creditor, non confidejuſſor, ſit ſtipulatus, & non tam ad commodum confidejuſſoris, quam creditoris fiat ſtipulatio fidejuſſio-

nis: debebat ergo creditor ſibi imputare. II. Beneficium Epiſtolæ Hadriani non debet confidejuſſori adimi ex privilegio alteri conceſſo; privilegia enim non ad iniuriam alterius conceduntur. *l. Nec avus*. 4. *C. de Emancip. liber.* Ratio dubitandi. ad (c) I. Non eſt reſtituenda actio, quæ ex voluntate creditoris eſt extincta. *l. Qui res.* 98. *§.* 8. D *de ſolut.* cum quis alterius fidem eſt ſecutus. *arg. l. 2. C. de pact.* Et ſi ex eo damnum ſentiat, eſt, quod ſuæ inprudentiæ acceptum ferat, ut de fidejuſſore non idoneo recepto reſpondet Ulpianus in *l. ſi is, à quo.* 3. *§. fin.* D. *ut in poſſeſſ. legat.* II. Delegatio facta inutiliter ex eo, quod delegata perſona obligari nequeat, liberat plemiſſimè reum. §. 3. *Inſt. Quib. mod. ſolv. obligat.* cur non in hac cauſa?

3. Actio reſtituitur adverſus priorem debitorem non ipſo jure, ſive vi SCti, ſed ex officio prætoris per in integrum reſtitutionem. A prætore reſtituitur prior debitor. *l. ſi mulier.* 16. *in fin.* D. *h.* Integra cauſa priſtina eſt reſtituenda. *l. ſi mulier.* 14. D. *h.* actio quæ reſtituitur, *l. Debitrix* 4. *§. fin.* D. *h.* appellatur Reſtitutoria. *l. Quamvis.* 8. *§ ſi mulier.* 12. D. *h.* Reſciſſoria. *l. Si mulier.* 16. C. *h.* ac reſciſſâ reſtitutione reſtituitur. *l. fin. §. fin.* D. *h.* Quæ omnia indicant reſtitutione in integrum eſſe opus. *l.* 1. D. *Ex quib. cauſ. major. in integ. reſt.* Accedit quod hæc actio non ſit neceſſaria, ſi alia civilis ſit & ordinaria. D. *l. Quamvis*, 8. §. 8. D. *h.* Id verò cum ſit, denotatur quod hæc contineat extraordinarium remedium. *arg. l.* 16. D. *de minor.* Quid non pronuncietur hoc, quod egit mulier. per ſe nullum fuiſſe, ſed omnia primum redire in priorem cauſam à die reſtitutionis. *l. Debitrix* 24. *§. fin.* D. *h.* Vide Donell. 12. *Comm.* 31. Ratio dubitandi. I. Non datur majoribus reſtiturio ex aliis cauſis, quam iis, quæ relatæ ſunt in *l.* 1. *& tot. tit.* D. *Ex quib. cauſ. major.* Inter eas non eſt hæc relata. II. Reſtitutio ex hac cauſa ſtatim competit. *d. l. Debitrix*

bitrix. 14. §. fin. D. h. Ergo ipso jure datur. III. Ipso jure est obligatio mulieris nulla. *l. Et primò. §. 1. verbis: neve eo nomine ab iis petitio, neque in eas actio detur. l. Quamvis. 8. §. si convenerit. verb: quid enim interest, non det, an talem det. Et §. si mulieri. 1. 2. verb. cum non obligata cum effectu. D. h.* Mulier subtrahitur. *l. Si mulier 14. D. h.* Senatus totam obligationem improbat *l. Si mulier. 16. D. h.* Cum itaque ipso jure sit munita fœmina, nullâ opus habet restitutione. restitutio quippe præsupponit contractum validum. *l. In causa. 16. pr. D. de min. l. fin. C. de in integr. rest. minor.* vide Accurs. *in d. l. Quãvis. 8. §. 8. Et* Cuiac. *lib. 4. ad Afric. in l. tutor. 19. D. h.*

4. Hanc restitutionem sive actionem restitutoriam tolli quadriennio indicatur per *l. f. C. de temp. in integ. restit.* Donell. *d. loc.* Hottomann. *in Epit. n. 15. h. t.* Ratio dubitandi. Hæc actio, quia ex descendit legibus, est perpetua. *pr. Inst. de perpet. & temper. act.* ac Fundamentum habet ex nullitate ejus, quod actû est, nõ ex necessitate, absentia vel simili causa, de qua in Edicto, *Ex quib. caus. major.* nec enim necessaria est causa recipiendæ ad fidejubendum mulieris, sed voluntaria ac ipso jure nulla.

5. Si novam susceperit mulier obligationem, datur in Te debitorem actio, quæ instituit magis, quam restituit obligationem, ut perindè obligeris eodem genere obligationis, quo mulier fuit obligata: verbi gratia, si per stipulationem mulier sit obligata, & tu quasi ex stipulatu convenieris. *d. l Quamvis. 8. §. pen. D. h.* Ratio dubitandi. Non unum ex hoc dicto sequitur absurdum. I. Quod hoc casu directo ageretur in debitorem, qui non est nec fuit obligatus, cum, ut in debitorem, liberatum agatur, restitutione sit opus. *thes. prox. prec.* et difficilius sit dare actionem citra restitutionem contra non obligatum, quam contra nulliter liberatum. II. Quod detur actio ex stipulatu contra eum, qui non est stipulatus. Stipulatio, quæ facti est & formam certam ha-

bet, non potest præsumi, vel fingi. In dote quidem est speciale, ut sola pactio pro stipulatione valeat. *l. un. C. de Rei uxor. action.* Sed hîc non est casus privilegiatus iure ut in dote, sed creditoris negligentiæ, ne ipsi pereat res, subvenitur: nec hîc ulla est pactio. Accedit, quod pacta non egrediantur personas. *l. Si unus. 27. §. pacta. 4. in fin. D. de pact.* & nemo alteri possit pacisci directo; quomodò ergô pactum non interpositum ad alium extendetur?

6. Iure civili fæmina mercatrix hoc utitur beneficio: quia non patitur generalitas. *l. 1. Et 2. D. h.* ut in mercatrice sit danda exceptio. Nec admittitur exceptio, quæ non potest probari. *l. ab ea parte. 5. D. de probat.* Ratio dubitandi. I. Ea, quæ mercaturam exercet, non ita facile inducitur. Cessat quippe ratio SCti, quæ est in fragilitate ac facilitate. II. Qui conduxit vectigalia, non adiuvatur SCto Macedoniano *l. 3. §. 1. D. ad SC. Macedon.* Ergo, quæ publicè negotiatur, hoc beneficio excidit: & videre est in institoria ac similibus, cum ex negotiationibus oriuntur actiones, validam esse obligationem fæminæ pro alio. *l. Et si à muliere. 4. C. de Instit. & exercitor.* III. Obstat authoritas Baldi in *d. l. Et si a muliere.* cujus sententiam usu esse confirmatam docet Busius in *l. 1. n. fin. h. Et ibid.* Costal.

7. Non aliter creditori obstabit hoc SCtum, quam si sciverit eam intercedere. *l. Sed si ego. 4. l. si mulier. 11. l. Imo. 12. l. tutor. 19. 8. cum haberes. 5. D. h.* Alioquin nemo cum ea contraheret. *d. l. Si mulier 11. l. 24. §. 1. D. de minorib.* Nec desideratur, ut fæmina dolo fecerit, ne intelligeret creditor se intercedendi intentione contractum celebrare. Sola ignorantia sufficiet. *d. l. Sed si ego. 4. l. si fidejussores. 6. l. vir uxori. 17. D. l. 1. C. h.* Vide Cujac. in explicatione. *D. l. vir uxori. 17.* Buf. in *l. Si mulier. 11.* Ratio dubitandi. I. Qui cum alio contrahit, debet scire conditionem ejus rei ac personæ, ob quam, & cum qua fic con-

contractus. *l. Qui cum alio.* 19. D. *de regul. Iur.* II. In Macedoniano SCto non sufficit ignorantia, sed est probandum est à creditore, se esse non vana simplicitate deceptum. *l. 3. pr.* D. *ad* SC. *Macedon*, Non ergò & in hoc SCto sufficit ignorantia. III. Semper creditor diceret se ignorasse, & ita daretur occasio malè agendi & subvertendi SCtum: quod omninò admitti non oportet, cum malitiis non sit indulgendum. *l. In fundo.* 38. D. *de Rei vindicat.* IV. Si decipiendi animo, vel cum sciret se non teneri, mulier intercessit, exceptio non datur. *l Si decipiendi.* 30. *D. h.* Ergò, si non deceperit fæmina, sed tantum ignoret creditor, ea habebit pro se SCtum. uti & patet ex *l.* 2. §. 3. *D. eod.* Ubi decipientes mulieres excluduntur ab hoc privilegio, atque additur: calliditas fœminarum, non infirmitas auxilium demit. estque eadem infirmitas, sive creditor sciverit, sive ignoraverit. Unde in *l.* 11. D. *h.* respondetur, tunc demum non esse locum SCto, si mulier tanquam in usus suos pecuniam acceperit. V. Est in potestate creditoris, quærere utrum fœmina se tantum, an pro, & cum alio obliget: eo ipso, quod creditor id omittat, per suum silentium tacite videtur velle fœminam decipere. Nam & in tacendo, & non quærendo fraus est. *l. præscriptione.* 2. *C. Si contra jus vel utilitat.*

8. SCtum Vellejanum pronunciat intercessionem fœminarum ipso jure esse nullam. *l Et primo.* 2. §. 1. D. *h.* ac improbat totam obligationem. *l. Si mulier.* 16. *in fin.* D. *h.* Ratio dubitandi I. Cur ergo exceptionis ubique mentio. *l.* 6. *l.* 7. *l.* 8, §. 2. 4. 6. *l.* 15. *l.* 16. §. 1. *l.* 17. §. 2. *l.* 19. *pr.* §. 5. *l.* 21. *l.* 23. *l.* 25. §. 1. *l.* 27. *pr.* & §. 1. *l.* 30. *l. fin.* §. *pen.* D. *l.* 2. 3. 8. 15. 16. 17. 18. *C. h. l. Qui. exceptionem.* 40. D. *de cond. Indeb. l. Exceptiones.* 7. §. 1. D. *de Except.* II. Datur & mulieri replicatio. *l.* 17, §. 1. *l. fin.* III. Cum duo sint casus, quibus mulier ipso jure est tuta, sci-

licet, *l. 23. C. h. Et nov. 134. c.* 8. sequitur eas aliis casibus ipso jure non esse munitas.

9. Licet pater consensum suum præbuerit obligationi suæ filiæ pro alio, æque filia adiuvabitur SCto. Nullo juris textu contrarium demonstrari potest, & ubi textus deficit, silendum est arg. *Nov. 22. c. h.* 5. Vide Bald. *in l. fin. C. de bon. q. liber.* Ratio dubitandi. Per consensum patris excluditur fraus omnis & fragilitas sexus, & in SCto Macedoniano patris consensus contractum filii reddit validum. *l. Zenodorus. 2. C. ad SC. macedon.* Cur ergò non in Vellejano idem dicendum est?

10. Titius debet Semproniæ mille; Sempronia ei molesta est & pecuniam repetit: Titius adit Mævium eumque rogat, ut mutuò det sibi mille: Titius tandem id impetrat a Mævio, hac lege, ut Sempronia recipiens pecuniam fidejubeat pro Titio: consentit Sempronia: instrumentum fit Sempronia pecuniam accipit ac fide suâ mille esse jubet. Quid juris? Non videtur absolutè intercessisse. *l. Si mulier.* 16 *D. h.* vide Sand. *lib.* 3. *decis. frisic. tit.* 11. *de fin.* 1. I. Ratio dubitandi. Sempronia verè intercessit pro Titio; nec obstat, quod pecuniam acceperit, quia ea ei debebatur & in solutum est data ex priori causa, adeò ut hæc obligatio nova, cum Mævio inita, nihil commune habeat cum priori.

11. Fæmina potest SCto Vellejano renunciare, non tantum in judicio, sed & extra judicium, nec tantum in publico sed & privato instrumento, nec tantum juratò sed & sine juramento. Id suadet generalitas *in l. fin. §. pen. D. h. l. fin. C. quand. mul. tut. off. fungi.* Est permissum cuivis suo privilegio renunciare. *l. pen. C. de pact.* si quidem contrahere possit: mulieris antem solius hoc est privilegium. *l. Qui exceptionem.* 40. *D. de cond. indeb.* Nullus quoque est textus, quo id fieri posse negatur, non ergò libertatem contrahendi denegari oportet. Vid. Fachn. 2. *Controv.* 60.

Azon.

Azon. *in summ. C. h.* Certiorationem autem requiro, cumvel in privato vel in publico instrumento renunciatio fit. quia alias ignorat hoc suum beneficium, & ignorantibus non nocent renunciationes. *arg. l. 9. §. 1. D. de transact.* Ratio dubitandi. I. Debet fieri renunciatio in judicio. Bartol. in *d. l. fin. §. pen. D. h.* Hæc sententia à plerisque Curiis recepta est. II. Requiritur ad renunciationem instrumentum publicum trino teste confirmatum. *l. Antiquæ. 23. pr. et §§ seqq. C. h.* vid. Sand. *lib. 3. decis. frisicar. 11. defin. 2.6.* III. Præstat juratam renunciationem tantum admittere in privato, secundum Bartol. *in d. l. antiquæ. 23. §. ne autem, 2. C. h.* Quod & judicatum esse refert Sand. *d. tit. defin. 5.* IV. Optimè dicitur, non privari beneficio suo mulierem, licet renunciet quolibet modo. 1. Eadem quippè facilitate & in publico, & in privato fit renunciatio, ac eadem fragilitate renunciat, qua intercedit *l. Si mulier perfectæ. 22. verb. quod adhuc ex consequentia suæ fragilitatis in jacturam secundam incederit.* C. *h.* 2. Iuramentum nihil facit, cum sequatur naturam negotii, cui est appositum. *l. fin. C. de non numer. pecun.* Imo quicquid ad renunciationem accesserit, nullius est momenti : cum enim lex quid annihilat, uti fit in hoc casu *l. 2. §. 1. D. h.* Simul etiam omnia, quæ postea sunt subsecuta, destruit. *l. Non dubium est, 5. C. de legib. l. Iurisg. 7. §. Et generaliter. 16. D. de pactis.* Id maximè valet in hac causa, cujus cura ad jus publicum, quod privati suis pactionibus mutare non possunt. *l. Ius publicum. 38. D. de pactis.* refertur ex sexus fragilitate. *l. 1. l. 2. §. 1. D. h.* Vnde & fraus videtur fieri per renunciationem, quia Senatus noluit obligari fæminam. *D. l. 1. pr. §. 1. Et l. 2. §. 1.* et, quod magis est, improbavit totam obligationem, adeo, ut & fidejussor datus sive fuerit a fæmina rogatus, sive non, sit nulla ex parte obligatus. *l. Si mulier. 16. §. 1. D. h.* Vide Donell. 12. *Comment.*

c. ult. Connan. 6. *Comm.* 8. *n.* 9. Duaren. *c.* 2. *h.* Cyn. Et Angel. in *l. fin. C. h.* Berlich. 2. *part. concluſ.* 19. *n.* 19. *Et ſeqq. ubi de hac tota materia late.* V. Non opus eſt, ut præmoneatur ſui beneficii mulier, quia juris ignorantiam fæmina prætendere non poteſt. *l. Si emancipata.* 3. *C. de Iur. Et fact. ign.* Leges enim oportet cunctos ſcire. *l.* 3. *l.* 9, *C. de legib.*

12. Quæ jurato interceſſit, & non renunciavit SCto Vellejano ſpecialiter, æquè eſt validè obligata. *C. Ex reſcripto,* 9. *verſic. interim. x. de Iurejurand.* Nec juramentum ulla ratione eſt violandum. *C. Cum. contingat.* 28. *x. eod.* Nec fæminæ prodeſt juris ignorantia, ſive non nocet niſi iis caſibus, qui ſunt jure expreſſi. *l. fin. C. de jur. & facti ignor.* Hic verò caſus non eſt ulla lege expreſſus. vide Fachn. 2. *Controverſiar.* 61. *in fin.* Gail. 2. *Obſ.* 77. *n.* 10. Ratio dubitandi. I. Nemo renunciat, de quo non cogitavit, licet & iuraverit. *C. veniens. verſic. verum, quia C. Quintavallis.* 23. *x. eod.* II. Iuramentum non ſupplet judicium, nec tollit fragilitatem ſexus. III. Cur hoc caſu minus certioratio deſideratur, quam ſi publico in inſtrumento fuerit facta renunciatio? forte ſi ſciviſſet tale beneficium ſibi ex jure dari, non juraſſet: videtur & hæc res habere ſuſpicionem doli, ut privilegiata, ac fragilis judicii perſona, ad juſiurandum conſtringatur, cum ei non eſt expoſitum juris beneficium, & ita rem ſuam ammittat: nam generatim ſolet dolus præſumi ex facto clandeſtino. *l. Fin.* §. 1. *D. de rit. nupt. l. non exiſtimo,* 54. *D. de adminiſtr. tut. l. pupillus.* 5. §. *ſanè.* 6. *D. de author. tut. l. non intelligitur.* 3. *pr. Et* §. 1, *D. de jur. fiſc.* Vide Covarruv. in *c. Quamvis. v.* 2. §. 3. *n.* 5. *de pact. in* 6. Jaſ. in Auth. *Sacramenta. n.* 56. *C. ſi adverſ. vendit.* Aretin. *in l. Sciendum,* 30. *D. de verbor. obligat.* Buſ. *in l. fin.* §. *pen. n.* 9. *D. h.*

13. In dubio non præſumitur certioratio, licet SCto ſit renunciatum: Eſt enim facti, & quod facti

eſt

est non solet præsumi. *c. 1. de constit. in 6. arg. l. 1. C. de solut.* vide Gloss. in *l. fin. §. pen. verb. non usuram. D. h.* nisi Notarius expressè hoc adscripserit. etenim scripto creditur, donec contrarium doceatur § *Item verborum. 12. inst. de inuti l. stipulat.* Si autem Notarius, qui adscripsit mulierem esse certioratam, ad instantiam partis à judice interrogatus, ignoraverit, quale sit hoc beneficium, intercessio erit nullius momenti, verum actio poterit contra Notarium institui ad damnum & interesse. Non enim satisfecit suo officio, ac ejus ignorantia non debet aliis obesse. vide Gail. 2. *Observ.* 77. *n.* 7. Quin & Notarium tunc parti læsæ ad damnum teneri assero, si rogatus, ut in forma curaret renunciationem fieri, eam non certioraverit, nec se certiorasse adscripserit, vel etiam si non specialiter rogatus ut in forma omnia fierent, sed SCto renunciaretur, omiserit certiorationem. Quia Notarius ea, quæ sunt sui officii, debet fideliter exequi & non tantum ea facere quæ ipsi injunguntur, sed omnia, sine quibus actus non valet. *l. 2. D. de jurisdict.* Ratio dubitandi. I. Si SCto sit renunciatum, præsumenda omninò est certioratio. *l sciendum. 30. D. de verbor. obligat.* Quia posito consequenti, videtur etiam poni antecedens. Facta quidem simpliciter non solent præsumi, verum facta ex factis deducuntur. II. Licet Notarius id adscripserit, propterea non est ei habenda fides. 1. quia uni testi, licet curiæ præclaro præfulgeat honore, non creditur. *l. Jurisjurandi. 9. §. 1. C de testib.* 2. quia solent ejusmodi clausulæ ut plurimum ex consuetudine adiici. III. Est nimis durum, ut Notarius teneatur, cum tantum consecutus pro suo labore 12 stuf. patiatur damnum aliquot millium, ac ita officium ei sit damnosum. *l. si servus. 61. §. Quod. 5. D. de furt.* IV. Si judex officium suum non impertiat nisi sit rogatus, cur Notarius tenebitur, si, cum rogatus est renunciationem SCti Vellejani curare, non certioret

mulierem, cum limitata causa rogationis, limitatum habeat effectum. *l. In agris. 16. D. de acq. rer. domin.?*

14. Si fæmina, quæ fidejussit pro alio, mandaverit heredibus, ut debitum solvant, heredes non poterunt uti SCto vellejano: videtur enim eares esse legatum. Huc faciunt regulæ Expedit publice suprema hominum judicia exitum habere. *l. vel negare. 5. D. testam. quenadmod. aperiant. l. 1. C. de sacros. Eccles.* In testamentis videndum est, ne, dum nimia utimur circa hujusmodi sensus subtilitate, judicium testatoris defraudetur. *l. Si quis heredem. 7. C. de Instit. et substitut.* Heredes, qui spernunt ultimam voluntatem, invidiam & conscientiam malam evitare nequeunt. *l. militis. 5. C de religios. & sumt. funer.* vide Sand. *frisic. decis. 3. tit. 11. defin. fin.* Ratio dubitandi. I. Quicquid agit fæmina pro alio obligata, licet & solvat ex præcedenti fidejussionis causâ, nullius est momenti. *l. Quamvis. 9. C. h.* II. Omninò præstat distingvere inter fæminam sui beneficii gnaram & ejus nesciam. *arg. d. l. Quamvis.* III. Eadem facilitate in ultima voluntate id agit mulier, qua in contractu, & cum ob sexus fragilitatem secundò intercedens intra biennium non obligetur, non poterit quoque obligare etiam suos heredes. Nam & heredibus tam competit beneficium quã ipsi mulieri defunctæ competiisset. *l. Heredes. 20. C. h.* Nec existimandum est aliud in Testamento, aliud in contractu dici, cum argumentum à contractu ad ultimam voluntatem & vice versa sit validuum, ut probat. Nicolaus Everard *à Middelb. loco legali à contract. ad ultim. volunt.*

15. *Anth. Si qua mulier. C. ad SC. vellejan.* desumta ex *Nov. 134. c. 8.* hæc habet singularia. I. Locum tantum habet in fæmina, quæ pro marito intercedit. II. Constituit, quod nullius momenti sit omnis obligatio uxoris, sive marito consentiat, sive una cum ipso vel pro ipso sese aut sua obliget. III. Quod

Quod procedat ejus definitio, sive sit publicum sive privatum debitum. IV. Quod, licet sæpius intervenerit, æque non sit obligata. V. Quod si pecunia sit in rem mulieris conversa & hoc probetur, obligatio teneat. Ex hisce hæc deducuntur. 1. An tantum in mutuo habeat locum? nego: verbum enim crediti generale est. *l.* 1. *D. de reb. credit. l. Creditorum.* 11. *D. de verbor. signif.* eademque est & in mutuo & in aliis contractibus ratio. vide Bald. *in d. auth. n.* 1. 13. Bartol. *ibid.* Tessaur. *dec.* 222. *n. ult. in fin.* 2. An possit renunciare solo pacto? Nego. Est enim major ratio quæ prohibet hujus anthentic. renunciationem quam ea, quæ SCti: quandoquidem in *Auth.* agitur de marito. cujus authoritas magna est, ut sæpè uxor ei nihil audeat negare: facilè vel cogit maritus vel inducit coniugem, ex metu vel reverentia. Itaque ut validè fiat renunciatio, requiritur: primò, ut fiat certioratio de beneficio, ne ad incognita referatur renunciatio. Gail. 2. *Observ.* 77. Tessaur. *decis.* 222, *n.* 3. Deindè, ut adhibeatur insjurandum, vide Tessaur. *dicis.* 223. *n.* 8. Quod non ex principiis juris civilis, sed canonici descendit. *c. Ex rescripto.* 9. *c. Cum contingat*, 28. *x. de jurejur.* et usu receptum est. Iure quippe civili in totum pronunciatur irrita obligatio, quod ita accipio, ut nec naturalis dici possit non scilicet ratione facti, sed effectu juris. An renunciare debeat juratò in specie *anthent. si quas mulier.* Nego. an sufficiat SCti Vellejani facere in jurisiurandi formâ mentionem, video dubitare nonnullos. magis est, ut valida sit renunciatio, licet non sit facta nominatim mentio *auth.* Ita sentiunt Tessaur. D. *decis.* 223. *n.* 8. Alexand. *cons.* 146. *n.* 1. *Et seqq. lib.* 7. modò certioratio legitimè præcesserit. Potest & mulier post condemnationem jus ex *Authent.* quæsitum opponere in executione, & si condemnata solverit, solutum repetere. *l. Qui excentionum.* 40. *D. de condict. indeb.* Ratio dubitandi multiplex circa varia. I. Videtur

detur

detur in mutuo tantum valere jus *d. authent.* quia de credito tantum loquitur. Suadet justissima ratio, cum jus hoc planè sit singulare, ne extendatur sed restringatur, quantum fieri possit. *l. Quod verò.* 14. *& seqq. D. de legib.* II. Si dixerimus, jure jurando fieri posse renunciationem, fit contra principia juris, quæ docent jusiurandum legem publicam non posse mutare, nec id oportere esse vinculum iniquitatis: vinculum esset iniquitatis, si maritus metum illicite illatum, ea via posset reddere licitum. III. Non potest dici quod mulier non naturaliter obligetur, cum & consensus intervenerit, & hæc conventio juregentium vel naturâ non sit plane iniqua. IV. Præcise & formaliter in renunciatione est mentio *Auth.* facienda, quia generali renunciatione non tolluntur ea, quæ specialem habent juris formam ac rationem *l.* 4. §. 4. *D. Si quis caution. arg. l* 6. *D. de pignorib.* V. Cum sententia est lata, post nihil opponi aut repeti potest, ne authoritas rerum judicatarum convellatur. *l.* 36. *D. famil. ercisc. l.* 65. §. 2. *D. ad SC Trebellian.*

16. Cautum est *d. auth. si qua mulier.* quod validè uxor pro marito obligetur, si probari possit liquidò, quod pecuniæ in uxoris utilitatem sint expensæ. *d. Auth. in fin.* Hinc quæro. 1. Quid si uxor sit confessa in instrumento? 2. Quid, si dilapidaverit nummos in luxum vel vestimenta aut in alios usus inutiles aut malos? 3. Quid in dubio statuendum, an & mariti jusiurandum sufficiat? Respondeo ad. 1. Credendum esse; tamdiu enim scripturæ fidem habere oportet, donec contrarium demonstretur. *l. Generaliter.* 13. *C. de non num.* §. *Item.* 12. *Inst. de inutil. stipulat.* modò nulla sit aut esse possit dubitatio, vel suspicio maligna de fide scripturæ aut scribentis: nec distingvo inter publicum ac privatum instrumentum; Fundamentum est, ne ex mendacio mulieris alius capiatur. Ratio dubit. I. Imò oportet in hac re distingvere inter publicum & privatum instru-

mentum. *l. antiqua.* 23. *C. h. arg. l. scripturas.* 11. *C. Qui potior. in pign.* II. Desideratur in *d. authent.* ut probentur pecuniæ expensæ in rem uxoris. III. Non difficulter maritus ad hanc confessionem compellet, aut permovebit uxorem. Ad 2. Teneri uxorem exsolvere, nec posse allegare pro se *Authent.* Fundamentum est, quia ad ipsam pervenit & in rem ejus est versum. Fæmina, cum & suum dilapidare possit, & donare *l. 4. §. 1. D. h.* ex sua culpa non potest adiuvari. *l.* 15. *D. si quis omiss. caus. testat.* Versum quoque esse dicitur in rem patris, cum pater dilapedavit. *l. Quod si.* 3. §. *Nec non illud.* 6. *D. de in rem verso.* Ratio dubit. requiritur, ut in utilitatem & commodum pecuniæ sint expensæ. *d. auth. in fin.* Cum fæmina in luxuriam, in vestimenta, in ungventa consumsit nullum omninò ex eo sensit commodum. Ad 3. Mariti iusiurandum non sufficere, nisi id creditor detulerit ei. Fundamentum est, quia debet probari & quidem manifestè, in rem uxoris pecuniam esse conversam. *d Auth. in fin.* Ratio dubit. In dubiis solent Iudices deferre jusjurandum. *l. admonendi.* 31. *D. de Iurejur.* Vel cum omninò est inopia probationum. *l. In bonæ fidei.* 3. *C. de reb. credit.*

Ex tit. de compensat.

17. Compensatio, quæ cedenti potest objici, bono jure obiicitur cessionario: quia, cum compensatio fit ipso jure ab eo momento, quo utrinque deberi cæptũ est, compensandi jus non potest auferri creditori; quinimò & statim utrinque solutio videtur esse facta. *l. 4. D. l. 4. C. h.* junct. *l. 1. D. h.* Et cessionarius sive procurator in rem suam id quod sibi competit ex cessione compensat, & post litem contestatam. *l. In rem suam.* 18. *D. h.* & antè, si denunciaverit debitori sibi cessionem esse factam. *l. Si delegatio.* 3. *C. de Novat.* Antequam enim denunciavit, potest impunè

& suo jure debitor solvere debitum cedenti. *d. l. si delegatio.* Vnde nec antè videtur cessionarii debitor esse factus. Nec enim cessionem privatim factam debitori captiosam esse oportet. Multis autem casibus esset captiosa. E. G. Pone, Titium debere sine usuris Cajo mille cal. Maij 1645. Eidem Titio Mævium duo millia sub usuris maximis : Cajum cessisse Mævio tertio die ab obligatione inita sua mille, Titium nec à Cajo nec à Mævio aliquot annis moneri, nec monere Mævium Mævius, 20. May 1648. convenit Titium & vult compensare à tempore cessionis. Iniquum esse inquit Titius, ut privaretur suis usuris: nam potuisset solvere Titius, si scivisset Cajum velle exigere: pecunian enim ociosam habebat vel alibi sub vilibus usuris mutuo potuisset accipere. Id & mihi videtur. Nec enim silentium Mævii fraudi & damno debet esse Titio. *arg. l. factum,* 155. *D. de regul. Iur* Quocircà rectè respondit Papinianus, post litem contestatem (adde denunciationem. *arg. l.* 3. *C. de novat. & delegat.*) compensationi esse locum. Ratio dubitandi. I. Persona debitoris mutatâ, etiam mutatur jus debiti. nam debitum sequitur personam. *l. Obligationum.* 3. D. *de Oblig. Et action.* Ergo non potest cessionario objici id, quod cedens debet. hinc vitium auctoris non nocet singulari successori. *l. an vitium.* 5. *D. de divers. Et tempor. præscript.* adde *l.* 5. *§. pen. D. de dol. except.* II Procurator in rem suam statim habet utiles actiones ex vi sui contractus. *l Emtor.* 5. *l. postquam.* 7. *l. Ex nominis.* 8. C. *de Hered. vel act. vendit.* Ac sic statim, antequã denunciatio est facta creditor est factus: & ubi est creditum, ibi est compensandi jus. *l.* 1. D. *h.* Procurator in rem suam, præferur domino volentagere. *l.* 55. D. *de procurat.* Ergo omni modo potest compensare non tantum debitum post sed & ante litem contestatã. Dominus enim compẽsare potest qualecunque fuerit debitum; licet nulla facta fuerit litis contestatio vide. Guid. *pap. decis.* 567. Tessaur. 221. *Costal. in l,* 4. *D. h,*

IV. Non

IV. Non eſt compellendus creditor compenſare, quod alii, quam debitori ſuo debet, *l. In rem.* 18. §. 1. D. *h.* Et cum creditor non ſit debitor ceſſionarii, non debet pati compenſationem quam procurator obiicit, & abſurdum omninò eſt, ut debitor cedens, ſuo facto ac per pactum cum alio initum, obligationis naturam mutet. *arg l. Debitorum.* 25. *C. de pact.* Ac duriorem facat ſui creditoris cauſam obiiciendo ceſſionarium, qui quid exigere poteſt à creditore. Meliorem poſſumus facere alterius conditionem; non autem deteriorem. *l. Solvendo.* 39. *D. de negot. geſt.* Nec cedens plus juris poteſt transferre, quam habet: ex quo ſequitur ceſſionarium non poſſe ſuum proprium obiicere debitum, ſed tantum cedentis.

18. Qui juravit ſe ſoluturum, rectè compenſat: nam compenſare eſt ſolvere; & quod compenſatur, ipſo jure pro ſoluto habetur. *l. Conſtat.* 4. *C h. l. Si debitor.* 4. *in f. D. qui potior. in pign.* Et benignius eſt non ſolvere, *l. Si peculium.* 20. §. 2. *D. de ſtatu lib.* Vide Fachin. *l. Controv.* 7. Buſ. *in l.* 2. 4. D. *h. n. ult.* Ratio dubitandi. I. Strictè ſunt ſervanda juramenta *c.* 28. *x. de Iurejur.* nec quiſquam ea poteſt immutare pro ſuo arbitrio. uti & conditio à teſtatore impoſita eſt formaliter adimplenda. *l. Mævius.* 55. *D. de cond. Et demonſtrat.* II. Ex *c. Debitores.* 6. *c. Ad noſtrum.* 7. *x. eod.* Vide Canoniſt *in d. c. Debitores.* 6.

19. Debitum tantum civile, cui prætoria obſtat æquitas; quia revera non eſt debitum juribus conſentaneum. *l. Quod ſi maritus.* 3. D. *de conſt. pecun.* & perpetua exceptione poteſt perimi. *l. Quæcunque.* 14. *D. h* in compenſationem non venit. Quod verò naturâ debetur, venit. *l. Etiam, quod.* 6. D. *h.* Nec tantum, cum utrinque naturaliter debetur. *arg. d. l. Etiam.* 6. *l. Si peculium.* 6. §. *ſitut autem* 4. D. *de pecul. legat. arg. l. Stichum.* 95. §. *Naturalis.* 4. *D. de ſolut.* pone, fratrem fratri, in eſuſdem patris poteſtate conſtituto, quid debere quo, huc applicari poteſt textus in

l. Frater à Fratre. 38. D *de cond. indeb.* verum etiam, cum ab una parte naturaliter, ab altera naturaliter & civiliter debetur. *d. l. Etiam.* 6. Qui textus est generalis. Vide DD. *ad d. l. Etiam.* Ratio dubitandi. I. Per inefficax non potest perimi id, quod duobus nexibus est colligatum. *§. 2. Inst. de adopt.* Nec ergò naturalis obligatio mixtam, quia naturalis est inefficax & uno jure astringit tantum, cum mixta sit efficax & duplici jure liget. II. Quæcunque exceptione perpetuâ perimuntur, non veniunt in compensationem. *l. Quæcunque.* 14. D. *h.* Atqui exceptio perpetua inefficaciæ in obstat obligatione naturali. III. Vbi non est actio, ibi nec compensatio. *arg. l. amplius.* 15. D. *rem rat. haber. l.* 2. 3. D. *h. & l.* 4. C. *h.* ibi agendi, petendi, repetendi verbum invenitur pro fundamento compensationis; Atqui actio non est ex naturali obligatione. IV. Ibi nullum est debitum, ubi quid peti non potest ab invito. *l. Debitor.* 108. *D. de verbor. signific.* Vel ubi agi non potest, ibi nec est debitum: actio enim jus persequendi ejus, quod debetur. *pr. Inst. de action.* Vndè nec dicuntur creditores, quibus naturâ quid debetur. *l. Creditores.* 10. D. *de verbor. significat.* Vbi verò non est debitum, ibi nec compensatio est. *l.* 1. D. *de compens.* V. Non est admittendum, ut quod lex non vult exigi directò, id exigatur per flexum ac indirectò, juxta regulam: cum quid una prohibetur via, id alia non debet admitti, *c. Cum quod una.* 84. *de reg. Iur. in* 6. *l. scire oportet.* 21. §. 1. *D. de tutor. & curat.* *dat. l. Cum hi.* 8. *§. si cum lis.* 20. D. *de transact.* Accedit, quod prohibito uno, omnia sint prohibita, per quæ ad prohibitum pervenitur. *l. Eos.* 26. *in fin. princ.* *C. de usur.* Id enim si fieret, liceret legibus fraudem facere contra. *l. Non dubium.* 5. *C. de legib. l. contra.* 29. *& seq.* D. *eod.*

20, Compensatio non est nisi quantitatum ejusdem generis ac qualitatis, utrinque debitarũ, ac maxime

me pecuniæ, *l. Si convenerit.* 18. *pr. vers. Ergò.* D. *de pign. act.* Nec fieri poteſt inter invitos, ſi debeantur corpora, ſive ſpecies ab utraque, ſive ab una parte: ſive quantitates diverſi generis, uti ab uno oleum, ab altero frumentum: ſive diverſæ qualitatis, uti ab uno vetus, ab alio novum, ab uno hiſpanicum ab altero Rhenanum vinum: ſive ab uno quantitas, & ab altero etiam quantitas quæ ſe habet adinſtar ſpeciei, uti ab uno centum floreni ab altero nummi, quos habeo in arca, ab uno centum imperiales in ſpecie, ab altero viginti libræ Flandricæ. *d. l. Si convenerit.* 18. *arg. l. Si non ſortem.* 26 §. *Si Centum.* 4. D. *de condict. indeb. l. Quod.* 5. *D. de impenſ. in rem dot. fact. l. Cum fundus.* 31. §. *ſervum.* 1. *D. de reb. credit.* Vbi Bartol. Iaſon. *l. Sed ſi certos.* 51. *D. de legat.* 1. Sive res æſtimata ſit reſtituenda, ſive non. *l.* 1. *C. de crim. expilat. heredit.* Fundamentum eſt, quia aliud pro alio non poteſt ſolvi. *l.* 2. §. 1. *D. de reb. credit. l.* 16. *C. de ſolut.* Et conſequenter non poteſt aliud cum alio compenſari; quia compenſare eſt ſolvere. *l. Conſtat.* 4. *C. h. l. Si debitor.* 4. *D. qui potior. in pign.* Nec quiſquam aut cum alio eſſe in communione cogitur, *d. l. Si non ſortem.* 26. §. 4. *D. de condict. indeb.* quod fieret, ſi quis partem rei cogeretur compenſare: nec quiſquam rem ſuam vendere cogendus eſt aut emere. *l.* 11. *C. de contrah. emt. l.* 16. *C. de jure delib.* quod fieret, ſi debitor pecuniæ compenſari rem pati cogertur. Vide Donell. *in §. in bona fidei.* 30. *Inſt. de action. &* 16. *comment.* 16. Hotomann. *in Epitom. h. t. n.* 5. Fachin. 1. *Controv.* 7. Ratio dubitandi. I. Compenſatio admittitur in commodato. *l. In rebus.* 18. § *fin. D. Comm.* In commodato autem agitur de ſpecie. § *Item is, cui.* 2 *Inſt. Quib. modis re contrah. oblig.* II. Habet locum compenſatio in omnibus actionib, in rem. *l fin. pr. C. h. d.* §. *In bona fidei.* 30. Iis atuem res ipſæ petuntur. *l.* 1. *ff. de rei vindic.* III. Homo poteſt compenſari. *l. ſi debeas.* 22.

D. *h.* Homo est species. IV. Fructus possunt compensari. *l. Fructus.* 7. §. *ob donationes.* 5. *D. solut. matrim.* V. Datur qvarumlibet rerum retentio, cur non compensatio? VI. Æstimentur res, uti fit in quasi usufructu. § 2. *Inst. de usuf.* Atque ita in omnibus speciebus est certum precium, & certa quantitas. *l. un. C. de sentent. quæ pro eo quod inter. profer.* VII. Absurdè dicitur, quod, si ab una imperiales in specie, ab altero nummi simpliciter sint præstandi, intersit in qua forma accipiantur nummi modò nullo afficiatur damno creditor. *l. 99. D. de solut.* Nec enim in nummos cadit affectio: poterunt nummi æstiri statim. vid. Bus. *in l. In compensationem.* 8. *n.* 3. 4. *D h.* Quia nummi in genere functionem recipiunt, potest aliud pro alio solvi. *l.* 2. §. 1. D. *de reb. credit.* De hac quæstione vide pro dissent. à Thesi Duaren. *in d. l. Fructus.* 7. §. *ob donationes* 5. *D. solut. matrim.* Harprecht. *in* §. *In bonæ fidej.* 30. *Inst. de actionib.*

21. Vt debitum, quod compensatur, non tantum certum de quo dubitari nequeat, sed & ab omni parte liquidum sit, requiritur; vel ut non multis ambagibus sit innodatum, quodque facilem sui exitum præbeat, an verò tale sit, arbitrio judicis committitur. *l. fin.* §. 1. C. *h.* Quocirca nullum certum tempus ordinariò datum esse debitoribus, intra quod probent sibi quid deberi. *d. l. fin.* §. 1. verbis; *moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi, satis miserabile est. &c.* Fisci tantum debitoribus est tributum, quod intra duos menses sibi quid deberi, docere queant, nisi sit causa tributoria, stipendiaria, annonaria, precii rei à Fisco emtæ, similisque, quæ in *l. In ea.* 3. C. *h.* proponitur. vide DD. *in l. fin.* C. *h.* Ratio dubitandi. I. Tempus duorum mensium reo debet dari ad probandum debitum, quod Reus vult compensare. 1. Quia id tempus parvum dicitur. *l.* 2. C. *de secund. nupt.* 2. Quia, cum Fisci, debitoribus cujus causa est privilegiata, duorum mensium

spacium

ſpacium indultum eſt, & ad ſolvendum. *l. In fraudem* 45. §. *Fiſcalibus*. 10. D. *de jure fiſci*. & ad compenſandum. *d. l.* 22. *aufertur*. §. 4. *eod.* magis id indulgeri oportet privatis. II. Tempus duorum menſium, fiſci debitoribus adſcriptum, eſt ſublatum per *d. l. fin.* §. 1. C. *h.*

22. Compenſatio fit ipſo jure. *d. l. fin* §. 1. *In* §. *bonæ*. 30. *Inſt. de action.* Ita ut à primo momento, quo deberi incepit, ſtatim locum inveniſſe cenſeatur. Hinc, ſi quid ſub uſuris debeatur, ſtatim quoad concurrentem quantitatem ſiſtitur uſurarum curſus. *l.* 11. 12. D. *d. l.* 4. C. *h.* Ratio dubitandi. I. Compenſatio opponitur, objicitur. *l. Si ex venditione*. 7. & *ſeq.* C. *h.* II. Opus eſt ad compenſandum doli exceptione, vel officio judicis. *l. Hereditas*. 50. §. 1. *l. fin.* D. *de hered petit.* III. De compenſatione diſputandum eſt plene coram Iudice. *l. Quod in diem*. 7. §. 1. D. *h.*

23. Quoties de maleficiis agitur pecuniariè, non criminaliter, locum habet compenſatio. *l. Si ambo*. 10. §. *Quotiens*. 2. D. *h.* Id ita accipiendum eſt, quod compenſatio non ſit ipſorum delictorum ſed quantitatis quæ eſt in pecuniaria pæna; vide Clariſſ. ac mihi amiciſſi. D. Mæſtert. Collegam, in *d. l. fin.* q. 17. Ratio dubitandi. I. Præſtaret defendere, ipſorum delictorum eſſe compenſationem. Illi enim, qui deliquit, non debet permitti, ut agat. Illi debet permitti pænam petere, qui in eam non incidit. *l. Cum par.* 154. *in fin.* D. *de reg. jur. l. fin.* §. 3. D. *de eo, per quam fact. erit* Addatur caſus in *l. viro*. 39. De *ſolut. matrimon.* II. Præſtaret nullam compenſationem, nec quoad nummariam privatam ac civilem pænam, nec quoad delicta tolerari, ſed partes utrinque ad agendum cogi. Intereſt enim publicè delicta eſſe nota, *l.* 18. D. *de injur.* Huc faciunt textus *in l.* 5. D *de publi. Iud. in l.* 2. §. 4 *in l.* 13. §. 5. *in fin.* D. *ad. l. Iul. de adult.*

De Retentione.

24. In Deposito ob sumtus factos in rem jure fit retentio; quia ii rem ipsam afficiunt, *arg. l. Si in area.* 33. *in fin.* D. *de cond. Indeb.* Ac fatuus quasi est, qui restituit antequam sumtus recuperaverit. vide Sichard. *in l.* 11. C. *h. n.* 5. 6 In dote verò omnis retentio rejicitur, sive ob impensas, sive alias causas commemoratas in *l. un.* §. *Taceat.* 5. C. *de rei uxor. action.* Ratio dubitandi. I. Qui res per titulum depositionis acceperit, eas reddere compellitur illico, quam celerrimè, sine ullo obstaculo, prima fronte, quam ocissimè, nullamque compensationem, deductionem vel doli exceptionem, qua servantur impensæ, *l. Sumtus.* 48. D. *de rei vindic.* opponit: sive sit actio in personam, sive in rem. *l. Si quis vel pecunias.* 11. C. *deposit.* II. In commodato non conceditur retentio. *l. fin.* C. *Commod.* Multo minus in commendato; quia minus est creditum in deposito, cum tantum fiat depositum ad custodiendum, quam in commodato, in quo usus rei est permissus. III. Etiam in dote fit retentio. *l Quod dicitur.* 5. *verb. manebit ergo maritus in detentionem,* D. *de Impens. in rem dotal. fact.* Nec obstat. *d. l. un.* §. *Tacent.* 5. C. *de rei uxor. act.* Quia ea accipi potest de impensis illiquidis.

25. Ex jure retentionis non oritur pignus: nulla enim lege id demonstratur. pignus est vel ex conventione, vel ex missione in possessionem, vel ex causa judicati, vel ex arresto, vel ex testamento, nec dari potest pignus aliud. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Iulianus.* 13. §. *Offerri.* 8. D. *de action. Emt. l. Hereditas.* 22. D *de Hered. vel act. vendit. l. Quod si nolit.* 31. §. *Idem marcellus.* 8. D. *de ædil. Edict. l. Cum, qui.* 14 §. 1. D. *de furt.* II. Cum prætor tantum servandæ rei causâ mittit quem in possessionem, paratum est pignus. *l. Si d. kreto.* 2. *& seq.* C. *Qui potior. in pignor.* Multo magis,

magis, si lex jubeat per retentionem possideri, donec debitum solvatur.

EXERCITIVM XXXV.

Resp. WILHELMO HUYGHENS, Arenaco-Gelro.

Ex tit. Depositi vel contra.

THESIS PRIMA.

QUod depositum est, semper potest repeti, licet convenerit, ut post tempus reddatur. *l.* 1. §. *si deposuero.* 45. *ubi Bartol. Castrens. Costal. & l. seq.* D. *h.* Ratio dubitandi. I. Pacta sunt servanda. *l.* 1. D. *de pact.* Etiam cum detrimento paciscentium. II. Quid si intersit depositarii ante diem adjectum non reddi? Pone Titium noluisse supellectilem Mævii peregrinaturi in depositum accipere, nisi eâ simul suas ornaret ædes usque in biennium. Id jus non potest auferri Titio. III. Potest conditio addi deposito *d. l.* 1. §. *Est autem.* 22. *in fin.* D. *h.* cur non dies?

2. In deposito præstatur culpa lata tantum *l.* 1. §. *fin. l. Quod Nerva.* 32. D. *h. l.* 1. §. *Is quoque* 5. D. *de obligat. & action. l. Contractus.* 23. D. *de Regul. Iur.* nisi fortè & merces accesserit. *l. Si, ut certo.* 5. §. *nunc videndum.* 2. *versic. nisi fortè* D. *Commodat.* quo casu manet depositum: quia accessio non mutat essentiam contractus, & initium contractus spectandum est. vide Bocer. *in* §. *pen. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. n.* 34. Ratio dubitandi. I. Ubi merces pro custodia intervenit, ibi non est depositum, sed locatio conductio & actio locati conducti. *l.* 1. §. *Si quis servum* 6. D. *deposit.* De essentia quippe depositi est, ut sit gratuitum. Hinc si vestimenta servanda data perierint, & nullam mercedem acceperit balneator, depositi tenetur, & dolum duntaxat præstat. *l.* 1. §.

si vestimenta. 8. D. *h*. Et contra, si acceperit mercedem, dabitur actio ex conducto. *d. l.* 1. § 8. *in fin.* Ubi enim merces, ibi est locatio. *l. locatio*. 2. D. *locat. conduct. l. Si vir uxori*. § 2. *pr.* D. *de Donat. int. vir. & uxor. d. l. Si ut certo*. 5. §. *Rem tibi*. 12. D. *Commod. l.* 1. §. *fin.* D. *Mandat.*

3. Si quis nec causam, nec propositum fœnerandi habuerit, & tu empturus prædia desideraveris mutuam pecuniam, nec volueris creditæ nomine, antequam emisses suscipere, atque ita creditor, quia necessitatem proficiscendi habebat, deposuerit apud te eandem pecuniam, ut, si emisses, crediti nomine obligatus esset, hoc depositum periculo ejus est, qui suscepit. Nam & qui rem vendendam accepit, ut precio uteretur, periculo suo rem habebit. *l. Si quis nec causam*. 4. D. *de reb. credit.* An periculum sit nota casus fortuiti, quæstionis est: Existimo hoc jure negari posse, distingui verò oportet hoc modo. Aut spectatur tempus, antequam emerit accipiens, aut post. Priori casu tenetur ex levissima culpa, quia in gratiam depositarii hic contractus est initus: &, ubi utilitas solius accipientis vertitur, ibi præstatur levissima culpa. *l. Si ut certo*. 5. §. 2. *versic. Commodatum*. D. *Commod.* Nec casum fortuitum præstare potest deponens, quia manet dominus, donec depositarius emerit. Domino autem res sua perit, *l. pignus*. 9. C. *de pign. act* vide Fach. 2. *Controvers.* 70. Busf. *in d. l. Si quis nec causam*. 4. Post Bart. aliosque. Ratio dubitandi. I. Expresse in *d. l. Si quis nec*. respondetur, depositum esse periculo accipientis: periculi autem nomine venit casus *l.* 1. *Commodat.* II. Etiam textus in *l. Si gratuitam*. 17. §. 1. D. *de præscript. verb* simpliciter eum, qui rem æstimatam (quod idem est cum æstimatione sive nummis, qui per se habent certum precium) ad suam rogationem & in suam gratiam accepit, ad periculum obligatum esse docet. III. Pecunia destinata ex conventione

de mutuo ac tradita pro mutuo data accipi debet *arg. l,* 1. §. *cæpisse.* 3, *D. de pollicitat. l. Cum aurum.* 19. §. *Infecti.* 11. *D. de aur. & argent, l. pen. D. de Test. mil. l, lex julia.* 4. *D. de fundo dotal.* Id maxime in hac causa procedit: cum nec causam nec propositum fœnerandi haberet creditor, ac gratuitam concesserit pecuniam. IV. Responsum est in *l. Rogasti.* 11. *D. de reb. credit.* accipienti rem perire, quæ sine usuris est tradita. Pinguius agitur cum eo, qui liberalitatem exercet, ne eâ inops fieri periclitetur. *l. Et exheredatum.* 49. *& l. seq. D. de re judicat.* Vide Donell, & Gothofred. in *d. l. si quis nec causam.* 4 *& ibid.* Anton. Fabr. *in rationalib.* Dec. Curt. Alciat. *in d. l.* 4.

4. Qui se obtulit deposito, tenetur de omni culpa etiam levissima, non de casu fortuito. *l.* 1. § *sæpè event.* 35. *D. h.* Id accipio cum hoc temperamento, uti si amicus amico offerat se ad res deponendas ex necessitate (puta, depositurus peregrinationem instituet, vel alia est urgens ratio deponendi) depositarius non teneatur nisi ad dolum. *arg. l. ait prætor.* 3. §. *Interdum.* 9. *D. de negot. gest.* Idem statuo, si quis velit deponere citra necessitatem, & amicum nullum possit invenire. *arg. d. l. ait prætor.* 3. §. 10. Cæterum, si quis se ultro offerat & invitet alterum ad deponendum, valebit id, quod supra ex *d. l.* 1. §. *sæpe.* 35. positum est. Ratio dubitandi. I. Qui ex benevolentia ac humanitate sua suum officium obtulit, nullo casu debet damnum pati; cum officium nemini debeat esse damnosum, quod sc. ejus cum quo contraxerit, non etiam sui commodi causa susceperat. *l. Si servus.* 61. § *Quod verò.* 5. *versic. multo tamen. D. de furt.* II. Commodè potest textus *in d. l.* 1. § *sæpe.* 35. accipi de culpa levi, non de omni. Nec fundamentum est satis solidum: non præstat casum, ergo tenetur de levissima culpa; quia unius positio non est alterius exclusio. huc facit *l In Iudicio.* 28. *D. locat.* ubi eodem modo sunt verba concepta, quo in *d. l.* 1. §. *sæpe.* 35.

tamen verissimum est levissimam culpam non præstari à conductore. *l.* 3. § 1. *D. Naut. caupon. stabular.* III. Temperamentum id addi non oportet 1, Cum lex loquatur indistinctè & sic eam temperare non licet. 2. Cum is, qui offert, debeat sibi imputare, quod sese immisceat rei ad se non pertinenti, Eo enim ipso in culpa est. *l. Culpa est.* 36. *D. de regul. Iur.* potuit expectare donec rogaretur 3. Cum non sit similis ratio negotiorum, quæ geruntur ex *d. l.* 3. §. 9. D. *de negot. gest.* & depositi: quia negotia absentis geruntur & nemo est, qui curet aut mandare possit, quod in causa depositi secus est.

5. Si res deposita perierit casu fortuito, quem culpa præcessit, periisse censetur depositario. Multo minus tenebitur depositarius, si ex incendio cum posset, neglectis & pereuntibus suis, servare depositas, suas prætulerit & passus fuerit comburi depositas. Id simpliciter & indistincte verum non est. Siquidem enim culpa levis vel levissima, quam non præstat depositarius commissa fuerit, non tenebitur, si lata, utique præstabit casum. Si enim depositarius non sit obligatus, ut præstet damnum, cum per levem vel levissimam culpam res suo facto interierit, sed tantum, cum damnum incidit per dolum aut latam culpam, uti Thes. 2. h. ostensum est; nulla est ratio, cur condemnandus sit depositarius ex casu fortuito indirectò & ex consequentia incidente, quem non præcessit lata culpa, cum in nullo bonæ fidei judicio sit præstandus casus *l. Quæ fortuitis.* 6. C. *de pign. action.* Ratio dubitandi. I. Simpliciter respondetur in *l. Si. ut certo.* 5. §. *Quod vero.* 4. *D. Commod. l.* 1. §. *Et ille.* 4. *vers. Sed & in majoribus casibus.* D. *de Oblig. & action. l. Sive Hereditaria.* 22. *vers. Sed ita. D. de Neg. gest. l. non exigimus.* 2. §. *si quis tamen* 8. *D. Si quis cautione. judic. sist. caus. fact* casum fortuitum imputari, si aliqua culpa intervenerit. II. Culpa perpetuat obligationem, *l. Si servum.* 91. § *se-*

§. *sequitur.* 3. D. *de verb. obligat.* ubi est perpetuatio obligationis, ibi & præstatur casus. II. Qui in mora est, non semper est in culpa tantum lata, sed & in levi vel levissima, at, qui in mora est, semper & omni casu tenetur de casu. *l. Si in Asia.* 12. *in fin.* D. *h.* IV. Bona fides, inquit Gregorius Magnus, abesse præsumitur, si, tuis rebus salvis existentibus, depositas amisisti. *c. fin. x. h.* In deposito, uti in omnibus contractibus, bona fides est præstanda. *l. Bona fides.* 31. *D. h.* Vide Accurs. in *l.* 1. §. *sæpe.* D. *h.*

6. Si mora in deposito reddendo sit commissa ac res post perierit, non aliter tenetur morator, quam si eo modo non periisset res apud deponentem *l. Si plures.* 14. §. 1. *D. h. l. Si vehenda* 10 §. 1. *versic. Paulus. D. ad l Rhod. de jact.* Itaque si res naturaliter interierit, securus erit depositarius: nisi dominus fuisset rem distracturus, *l. Item, si cum.* 14. §. *Quod si homo.* 11. *in fin. D. de eo. quod met. caus. l. Item si verberatum.* 15. §. *fin. D. de rei vindicat.* Tunc enim potuisset lucrari precium; qnando quidem ad emtorem spectat rei interitus. §. 3. *Inst. de Emt. vendit.* Vide Castrens. Aretin. Fulgos. *in l. Quod te.* 5. *D. de reb. credit. & ibid.* Bus. *n.* 17. 18. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Si in Asia* 12. §. 1. *D. h. d. l. Quod te.* 5. *D. de reb. cred. l.* 1. §. *rectissimè, D. de vi & vi armat.* II. Respondet Paulus *in l. si Filiof.* 25. §. *si post divortium.* 2. *D. solut. matrimon.* Omni modo teneri post moram debitorem ex rei interitu. III. Semper potuit distrahere, ergò semper morator ex periculo casus tenebitur. IV. Mora cuique sua non alteri est nociva. *c. mora.* 25. *de reg. Iur in* 6. Et quod damnum quis sentit ex sua mora, sua culpa, non videtur sentire. *l.* 203. D. *de reg. Iur.* Sibi debet non aliis imputare. *c. damnum* 86. *Eod in* 6. vide Bart. Bald. Angel. *in d. l. Quod te.* 5. D. *de reb. cred t.*

7. Multa sunt singularia in deposito. an hæc in deposito confessato locum habeant, quæsiverunt nonnulli, non puto. Cum legum forma non privatorum autho-

authoritate sed publicâ jura statuentium voluntate regi debeat. *arg. l. fin. D. de suis & legit. l. Ius publicum.* 38. D. *de pact.* Admiserim quidem id, quatenus soli contrahentes spectantur, sed non cum aliorum præjudicium simul vertitur. Ita, si quæratur de prælatione inter creditores, cum debitor non est solvendo, nunquam pro deposito haberi, quod depositum non est, oportet. deponens enim cum maneat dominus, bono jure omnibus præfertur. *arg. l. Is cui.* 5. *§. si deposita.* 10. & D. *ut in possess. legat. Vaud.* 1. *quæst.* 21, *in fin.* Boc. *disput. de deposit. thes.* 32. Pro Thesi nostra faciunt argumenta. 1. Ex *l.* 1. & *t. t. C. plus valere quod agit.* Ex *l fin.* C. *de h. qui ven. ætat.* Ex *l.* 76. D. *de cond. & demonstrat.* 2. Quia in *l. Si quis.* 11. *C. h.* dicitur, *accepit.* Vide Boer. *decis.* 295. *n.* 8. Ratio dubitandi. I. Contrahentes dant formam per suas conventiones omnibus negotiis. *l. in conventionalibus.* 52. D. *de verb. obligat. l. in stipulationibus.* 34. D. *de reg. Iur.* formam hanc oportet judices sequi, II. Cum convenit in deposito, ut tantundem reddatur, licet notissimos terminos depositi excesserint contrahentes, manet tamen depositum, & jura, quæ in deposito habent locum, in ea quoque specie obtinent. *l. lucius.* 24. *l. die.* 25. *§.* 1. *l. Si sacculum.* 29. §. 1. D. *h.* III. Solo pacto ex uno contractu in alium datur transitus, etiam cum re fit obligatio. *l. Singularia.* 15. D. *de reb. credit.* IV. Instrumenta depositionum sunt pro rebus depositis. *l. In contractibus.* 14. *§.* 1. C. *de non num. pecun.* Instrumenta verò nihil aliud continent, quam confessionem de deposito. V. Privilegia dotis extenduntur ad dotem confessatam secundum DD. sententiam. ergo & hæc privilegia in deposito. Vide Roland. à valle. *lib.* 1. *cons* 17. quem sequitur Fachin. 2. *Controv.* 92.

Ex tit. C. de prohib. sequest. pecun.

8. Sequestratio voluntaria, omni jure est permissa, nusquam enim prohibetur, ac, cum ipsi contrahentes consentiant, nihil injuriæ ac iniquitatis habet, & si quis sibi nocuerit, sibi id imputet. Ac valebit pactio, ut si debitum non solvatur, bona sequestrari possint. Necessaria, quæ fit à judice, illicita, nisi est sit justa aliqua causa, quia ab executione non est initium faciendum. *l. 1. C. de Exec. rei. judicat. arg. l. 3. C. de pignor. junct. l. 21. C. Mandat.* vid. Ferrar. *form. sequestr.* Nec possessio ejusque commodum alicui eripi debet aut turbari. *c. 1. x. ut lit. pendent.* Huc pertinent textus in *l. un. C. h.* ubi & est egregia ratio. *c. 1. x. de sequest. poss. fruct.* Vide Gœdd. *ad. d. c. 1. n. 83. & seqq.* Clud. *de sequestrat. c. 4. n. 2.* Salic. Sichard. Duaren. *ind. l. unic.* Rebuff. Alciat. Brecsæ. in *l. 110. D. de verb. signif.* Ratio dubitandi. In voluntaria sequestratione. I. Datur, ne quis damnum patiatur ex sua simplicitate, repetitio sequestratæ rei, quia ea indebitè in alium translata est. *t. t. de cond. Indeb.* vel condictio sine causa, quia non habet justam causam sequestratio. *t. t. de condict. sin. causa.* vel restitutio in integrum ex generali clausula, *si qua mihi justa causa videbitur.* scilicet ob errorem. *l. 1. D. Ex quib. major. in integr. rest.* II. Cum Iudici non sit permissum imperare sequestrationem, non licebit etiam privatis. Ratio dubitandi in necessaria sequestratione. Multis locis demonstratur, eam esse permissam. *l. Si fidejussor. 7. §. fin. D. Qui satisd. cogant. l. SCto 16. D. de offic. præsid. l. postquam. 5 §. 1. D. ut legat. serv. caus. caveat. l. si qua sunt. 5. D. famil. ercisc. l. si cujus 13. §. sed si. 3. D de usuf. l. si cum dotem. 22. §. sin autem. 8. D. solut. matrimon. l. 1. §. si frater. D. de collat. l. 3. §. Iulianus. D. ad exhib. l. Deinde. 3. D. de lib. ex hib. l. imperatores. 21. §. fin. D. de appell. l. fin. C. Quib. ad libert. proclam. non lic. l. ab executione. 5. Quorum appel. non recip. l. ult. de adsert. toll.*

l. fin.

l. fin. C. de agricol. & censit, II. Prohibitio sequestrationis est tantum in pecunia. *l. un.* C. *h.* Ergò non in aliis rebus. Dictam verò *leg. un.* pertinere tantum ad nummos, indè patet, quod & Theodosius suo codice, ex quo *d. l. un.* est desumta, subiecerit jus *d. l. un.* propositum titulo si certum petat. de Chirographis, quo tractatur de mutuo, quod Impr. Justinianus eum sit secutus in suo codice est. III. Constat ex *d. l. un.* quod sequestratio tantum sit prohibita in pecunia ex contractu debita per verba: *Quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat.* Unde à contrario sensu colligitur; prohibitionem non habere locum in actionibus in rem. IV. Longè alia ratio est quantitatum & corporum. Quantitates non pereunt. corpora utique: unde hæc sequestrari utile est, ne reo sit occasio rem tollendi vel deteriorandi. *arg. l. Nam is nullam.* 6. D. *de dol. mal. l. imperatores.* 21. §. *fin. D. de appellat.* Vide Cujac. in. *paratit. l. t. C. de prohib. sequestrat.* Robert. 1. *Sentent.* 5. Forner. *in l. sequester.* 110. *D. de ver. significat.*

9. Metus dilapidationis sufficiens est sequestrationis causa. *l. Impp.* 21. §. *fin.* D. *de appellat, l. si cum dotem.* 22. §. *fin. antem* 8. D. *solut. matrim.* Omninò enim videndum, ne actio reddatur inanis. *arg. dd. ll, & d. l.* 6. D. *de dol. l. ubi* 29. C. *de jur. dot. l.* 10. C. *mandat.* vid. Minsing. 5. *observ.* 35. Gail. 1. *observ.* 144. Azon. *in summ.* C. *h.* Nec tantum id admittendum est in realibus actionibus, sed & personalibus *arg. dd. ll. Et l. in omnib.* 41. D. *de Iudic. vid. Francisc. curt. de sequest. q.* 6. *n.* 33. Coler. *de process. Exec. part.* 1. *c.* 2. *n.* 103. 128. Clud. *de sequest. c.* 5. *n.* 27. Gœdd. *c.* 2. *de sequestr. n.* 27. *Gail.* 1. Ratio dubitandi. I. Nihil faciunt *dd. ll.* Nam *l.* 21. §. *fin.* loquitur de condemnato: condemnati durior est omninò causa. Et *d. l.* 22. §. 8. agit de dote rebusque dotalibus, de furiosa uxore, cujus maritus rationem non habet,

habet: quæ omnia & causam & favorem specialem habent ac merentur, deindè *d. l,* 6. *de dol.* tractat de dolo tutoris ac de actione pupillo danda, quod jus quoque speciale est. Item *d. l.* 29, de causa dotis. *d. l.* 10. de aliquo liberando à fidejussione. Hæc itaque omnia non ponunt regulam, quod in omni dilapidatione, quæ metuitur, sequestratio sit concedenda: Imò contrarium probant, quod, cum in materia favorabili ac singulari tantum sit licita sequestratio, consequenter illicita sit in aliis. II. Valdè absurdum est admitti sequestrationem in realibus, ac maximè immobilibus, cum eæ se satis ostendant nec tollantur. III. Fiat potius interdictio alienationis, secundum præceptum Ulpiani in *l. Divus*. 5. D. *de petit. hæredit*, vel exigatur cautio idonea. *d. l. Divus*. 5. & non adimatur possessio rei. Quinimò, si res alienetur, nihil agitur, quia res litigiosi vitio affecta in alium transire nequit. Nullus itaque hîc justus est metus. IV. In personalibus quoque nihil hic admittendum contra principia obligationum, quæ tantum personas afficiunt, *l. obligationem*. 3. D. *de Obligat. & action*. Quod creditor sit secutus personæ fidem, sibi imputet. V. Leges videntur tunc tantum admittere sequestrationem cum res mobilis est, & simul de fuga suspectus debitor, qui nulla immobilia possidet. *l.* 7. §. *fin.* D. *Qui satisd. cogant.* Ergò ea non admittetur, si debitor non sit oneratus suspicione de fugâ.

10. Metus armorum etiam pro justa, qua nulla videtur esse magis urgens sequestrandi causa, recipiendus est. *Si arg. l. cujus*. 13. §. *sed si inter*. 3. D. *de usufruct.* vide Duaren. *in l. un.* C. *h.* Costal. in *d. l. si fidejussor*. 7. §. *fin.* D. *Qui satisd. cogànt*. Menoch. *re ned.* 6. *adipisc. poss. n.* 12. Bus. in *l.* 5. §. 1. & 2. & *l.* 8. D. *h* Ratio dubitandi. I. Componat potius Prætor sua jurisdictione, & sententiam in possessorio statim dicat. Et hoc est, quod innuit *d. l. Si cujus*. 13. §. *sed si inter*. 3. ubi non conceditur sequestratio, sed jubetur prætor

jus

jus dicere ac per ſententiam proviſionaliter litem dirimere. II. Nuſquam id relatum in leges: ſine lege loqui non licet. *Nov.* 18. *c.* 5. Vid. Ferrarienſ. *in form. ſequeſt. n.* 3 Gæd. *d. c.* 2. *n.* 44.

12. Vt legitimè ſequeſtrentur res mobiles vel immobiles, opus eſt quidem non plenaria ac abſolutâ, ſed ſummariâ cauſæ cognitione ſuper jure actoris, juſtitia ac veritate cauſæ, ob quam petitur ſequeſtratio: adeoque non libello ſupplice hæc res expediri poteſt, ſed neceſſaria eſt citatio. Ad probationem ſui juris non tenetur creditor tantum publicum proferre inſtrumentum: extra enim publici inſtrumenti productionem, & aliter de veritate poteſt conſtare: uti per teſtes duos *l. ubi numerus teſtium.* 12. *D. de teſtib.* ac per privatum inſtrumentum, quod debitor ipſe ſcripſit & non negat. *l. Publia Mævià.* 26. *D. depoſit. auth. ſi quis. vult. l. Qui potior. in pign.* vide Bocer. *claſſ.* 2. *diſp.* 11. *theſ.* 77. *lit. d. edit.* 2. Ratio dubitandi. I. Non ſufficit privatum inſtrumentum ad hanc rem, cum ſit ſummi præjudicii: ubi enim magnum eſt, vel ſequi poteſt incommodum, tutiſſimè agendum: at tutò tunc res geritur, ſi inſtrumento publico veritas demonſtretur. II. Idem docet. *l. Iubemus.* 16. *§. ſuper his.* 2. *verb. Erogationis pyctacia C. de erogat. milit. annon.* Pictacia verò ſunt publica inſtrumenta actuariorum, & commentarii annonarũ militariũ. Gothofred. *in l. actuarii.* 5. *eod.* uti indices ſive libri cenſuales, ac ſimilia monumenta publica. *l. Cenſus.* 10. *D. de probat.* vide Bartol. *n.* 5. *in d. l. Iubemus.* 16. Grammat. *conſil.* 27. *n.* 2.

13. In ſequeſtrem poſſeſſio rei non tranſit, niſi aliud ſpeciatim ſit actum: ſive ſit voluntaria ſive neceſſaria ſequeſtratio. *l. Intereſſe.* 39. *D. de acq. vel. amitt. poſſeſſ.* Nec enim vel contrahentes, vel judex videntur jus poſſeſſionis, vel ſibi, aut parti, quæ poſtea vincit, velle intervertere, Gœdd. *c.* 1. *De ſequeſt. n.* 115. *& ſeqq.* Clud. *de ſequeſt. c.* 9. *n.* 25. *& ſeqq.* Buſ. *in l. licet.*

licet. 17. *n*. 6. *D*. *h*. Ratio dubitandi. I. Possessio in *c*. 1. & *t*. *t*. *de sequest*. *possess*. & *clem*. *unic*. *eod*. dicitur sequestrari. II. Contrarium est responsum in *l*. *licet*. 17. §. 1. *D*. *Deposit*. III. Cum de possessione, ob quam petitur sequestratio, lis est, & Iudex tertio eam esse committendam pronunciat, vult eam esse cum effectu apud tertium ac ea privat litigantes. Cui enim judex adjudicat dominium, ille statim fit dominus. §. *fin*. *Inst*. *de offic*. *Iudic*. cui ergò possessionem adjudicaverit, is erit possessor, & quibus interim abjudicaverit, nullo modo dici possunt possidere. Vide Gail. 1. *Observat*. 5. *n*. 10. & *obs*. 184. *n*.9. post Cyn. in *l*. *un*. *C*. *h*.

14. Illi, à quo res sequestratur, si non satis commodè possit aliunde vel se sustentare vel sumtus litis sustinere, sunt prorogandæ non tantum impensæ ad litem, sed & alimenta: si scilicet res id ferre possit, Nam si sequestrario non fuisset facta, habuisset ipse satis ex proventu, quem res ipsa suppeditasset. Huc facit textus in *l*. *Sed* & *si hereditas*. 11. §. 1. *versic*. *proinde*. D. *ad Exhib*. *l*. *ait*. *prætor*. 7. §. *fin*. *l*. *filius*. 9. D. *de jur*. *delib*. *l*. Heres. 51. D. *de petit*. *heredit*. *l*. *fin*. C. *de ordin*. *cognit*. *l*. *unic*. §. *super*. C. *de adsert*. *toll*. vide Clud. *de sequest*. *c*. 5. *n*. 16. & *c*. 10. *n*. 24. & *seq*. Ratio dubitandi. I. Præstat intacta jura servari, quam post vulneratam causam remedium frustra quærere. *l*. *fin*. C. *In quib*. *caus*. *in integr*. *restit*. *non est necessaria*. Et sanè, si actor posteà obtineat, non poterit consequi omnes fructus, qui post litis contestationem debent actori restitui, *l*. *Certum*. 22. C. *de rei vindicat*. cum consumti sunt per impensas ac alimenta. Præsumendum vero est, quod reus sit obtenturus 1. quia nemo sine justissima causa ac certa spe victoriæ censetur litem movere. 2. quia summariè actor, cum petiit rem sequestrari oportere, probavit suum jus: nec enim aliter sequestratio impetratur juxta *Thes*. 11. II. Nemo tenetur jure suppeditare adversario arma

contra ſeſe *l. Nimis grave.* 7. *C. de Probat. l.* 4. *C. de Edend.* nec debet dari occaſio ut lites protelentur. *§. fin Inſt. de exception.* atque per ſubminiſtrationem ſumtuum ac alimentorum armatur adverſarius quæretque occaſionem diu litem trahendi.

15. Si rei ſequeſtratæ cohæreat jus patronatus, poteſt beneficium conferri à Sequeſtro dum litigatur, ſi res non poſſit pati moram. Sequeſter enim interim adminiſtrat. *clement. un. de ſequeſt. poſſeſſ. & fruct.* Nec omnino negotia eccleſiaſtica ſunt differenda cum detrimento eccleſiæ, ne, dum paſtor juſtus nullus eſt, oves in periculo ſint ne à lupis rapacibus intercipiantur. *c. ne pro defectu.* 12. *x. de elect. & electi poteſtat.* Vide Gœd. *c.* 2. *de ſequeſtr. n.* 59. *& ſeqq.* Clud. *c.* 11. *n.* 27. *de ſequeſtr.* Ratio dubitandi. I. Præſtat eam rem committere Epiſcopo, juxta *l. quoniam.* 3. *& c. cum propter.* 27. *x. de Iur. patron.* II. Qui alieno nomine detinet, imo nec poſſeſſionem habet, non habet poteſtatem conferendi. *c. cum Bartholdus.* 18. *x. de ſentent. & re judicat.* Sequeſter verò non poſſidet rem *l. Intereſſe.* 39. *D. de acq. vel. amitt. poſſ. Theſ.* 13. *h.* II. Minus juris habet ſequeſter, quam conductor rei. Conductor ſibi habet fructus, ſequeſter colligit fructus aliis: conductorem verò habere jus conferendi, inauditum eſt.

Ex titulo Mandati.

16. Etiam alienâ causâ poteſt fieri mandatum, etſi non interſit mandantis. *l. Mandatum.* 2. *§. aliena.* 2. *& ſeq.* D. *h.* In iis enim duobus §§, proponitur aliena tantum cauſa mandatum valere, & ea ſpecies ſeparatur à mandato mandantis ac aliena cauſa inito. Ratio dubitandi. I. Nulla eſt obligatio, ſi contrahentium non interſit. *§. alteri.* 18. *Inſt. de inutilib. ſtipulat.* II. Nemo poteſt alteri paciſci vel ſtipulari. *l. ſtipulatio.* 38. *§. alteri.* 17. *D. de verbor. obligat. l. Quo tutela.* 73. *§. fin.*

§. fin. D. de reg. jur. III. Ubique damnatur πολυπραγμοσύνη culpa est sese immiscere rei ad se non pertinenti. *l. culpa.* 36. *D. de Reg. Iur. c. Non est sine culpa.* 19. *eod. in* 6.

17. Mandatum proprie non est, cum quis consilium dedit alteri in re sua. *l. Mandatum. §. fin. D. h.* nisi consilium fuerit fraudulentum 1. *l. consilii.* 47. *D. de regul. Iur. l. aut facta.* 16. *verb. aut consilia de pœn. l.* 1. *§.* 3. *D. de serv. corrupt. in l.* 2. *in fin. D. de proxenetic. vid. casus in l. Quod si.* 8. *l. Servus* 20. *l.* 47. *l. fin. D. de dol. mal. l. Falsus creditor.* 43. *§. si quis nihil.* 3. *D. de furt. l.* 20. *C. eod.* non quidem, ut mandati actio detur, sed sæpè alia. *dd. ll.* 2. nisi non simpliciter quis alteri quem commendaverit. *l. Si verò.* 12. *§. Cum quidam.* 12. *D. h.* sed induxerit, ei persuaserit, ut alteri quid crederet. *§. Tua tantum.* 6. *Inst. h.* vel quid aliud ageret, quod non egisset, nisi mandatum fuisset. *l. Si remunerani.* 6. *§. plane.* 5. *D. h.* licet non intersit mandantis. *d. §. plane.* Multo ergo magis, mandans tenetur, si caverit de damno *l. si hereditatem.* 22. *D. h.* Ratio dubit. I. Non potest esse obligatio, nisi intersit contrahentis: inventæ enim sunt obligationes, ut quisque quod sua interest, acquirat. *§. Alteri.* 18. *Inst. de Inutil. stipulat.* Ergo si non interest mandantis, nihil actum est. II. Absurdum est, ut in mandato, quod est contractus utrinque obligatorius, sit obligatio tantum ab una parte: & iniquum est, ut mandans non habeat actionem cum mandatario, at mandatarius, qui suum tantum negotium gessit, habeat contra mandantem. *l. præterea.* 3. *in fin. D. h.* III. Licet quis intervenerit, licet & laudaverit nomen, non tamen tenetur proxeneta. *l.* 2. *D. de proxenet.* Nec in illo aliud juris est, quam in alio.

18. Procurator cum liberâ administrandi potestate potest vendere res domini. *l. Procurator.* 58. *& seq. D. de procurat. l. Qua ratione.* 9. *§. Nihil.* 4. *D. de acq. rer. domin.* Vide Fac. *cent.* 2. *Enant.* 47, D. Tim.

Fabr. *disp. anniv. ad §. 43. Inst. de rer. divis.* Id limito, nisi quid vendat, quod dominus probabiliter non alienasset. D. Fab. *d. loc.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Mandato*. 60. *l. procuratotorum*. 63. D. *de procurat.* II. Opus est non tantum, ad hoc ut procurator possit vendere mandato adjcii clausulam de libera administrandi sed & vendendipotestate: uti patet ex *l. Creditor*. 60. *§. Ducius. fin. D. Mandat.* Hinc sequitur, quod non ex mandato liberæ administrationis, sed ex speciali mandato de vendendo potestatem vendendi consequatur. III. Nemo præsumitur res suas velle vendere, Ita quoque non præsumitur quis dare potestatem ad vendendum: actus enim non explicantur ultra intentionem contrahentium. *l. Non omnis*. 19. D. *de reb. credit. l. Obligation*. 6. *& seqq.* D. *de pignorib.* Accedit quod administrare non sit vendere: qui vendit is amittit, imminuit, qui administrat, is conservat. Sic & liberrima est data potestas administrandi tutoribus, ut & loco dominorum sint. *l. ad ea*. 157. D. *de reg. jur.* sed non vendendi. *l. 22.* C. *de adminis. tut.* IV. Non obstant loca, pro thesi allegata, quia exactio debiti & permutatio, de quibus in *d. l.* 5. 8. non tollunt rem absolute; & solvere, de quo *in d. l.* 59. est administrare; Denique *d. l.* 9. *§.* 4. commode accipitur de eo, qui negotiationem, ad quam requiritur venditio, alieno mandato exercet.

19. Qui quid suscepit faciendum, potest id alteri mandare *l. Si procuratorem*. 8. *§.* 3. D. *h. c.* 1. *§. 2. x. de procurat.* modò non sit singularis artificii factum, ut per alterum æque expediri nequeat, aut non convenerit, ut per mandatarium solum fieret. *l. inter artifices*. 31. D. *de solut. l. fideicommissa*. 11. *§. fin.* D. *de legat.* 3. Ratio dubitandi. I. Facta cohærent personæ, non ergò ab alio possunt præstari *l. stichum*. 30. *§. fin.* D. *de statulib.* II. Quare potest substituere procurator ad negotia, cum procuratori ad

ad lites id sit negatum, licet substitutus melius possit expedire judicialia quam ipse procurator. *d. l. Si procuratorem.* 8. §. 3. D *h?* III. Quare Jurisdictio demandata mandari nequit *l. Mores* D. *de Iurisd.* cum ad negotia datus mandatarius alii demandare possit?

20. Mandans delinquere tam est puniendus, quam is, qui deliquit; Ita mandans homicidium pro homicida habetur, *l. Nihil interest.* 15. §. 1. D *ad l. Corn. de sicar.* Idemque in aliis communiter observatur, si delictum sit secutum. *l. Siquis.* 7. §. *fin. de Iurisd. l. non solum.* 11. D. *de injur. l.* 1. §. 1. *D. de eo, per quem fact. l.* 1. §. *dejecisse.* 12. *l. Quod est.* 3. §. *cum procurator,* 10. D. *de vi & vi armat.* Hinc duæ nascuntur quæstiones. prima est, anqui vulnerari mandaverat, teneatur homicidii, si mandatarius occiderit. Nego: licet & mandans non sit protestatus ne occideret. In dubiis est eligendum quod minime nocet reo. *l. semper.* 9. 34. *D. de Reg. Iur.* Id maximè obtinet in pœnis delictorum. *l. factum.* 155. §. *fin.* D. *eod, l. Inter-pretatione.* 42. D. *de pœn* minimè nocet reo, si ad mortem inferendam non extendamus mandatum ad vulnerandum: nec etiam omnia vulnera mortem inferunt: uti reus qui vulneravit animo non occidendi, non tenetur homicidii. *l.* 1. §. *Divus.* 3. *D. ad l. Corn. de sicar.* ita nec mandans: cum enim principaliter delinquens non est reus homicidii, nec erit accessoriè delinquens. Accedit, quod lata culpa quidem mereatur gravem pœnam, non tamen ordinariam. *l. In lege.* 7. *D. ad l. Cornel. de sicar.* & quod *in l. Cornelia* tantum voluntas ac animus occidendi puniatur. Vide Arum. *Exercit.* 15. *Thes.* 9. Bus. *in l.* 6. §. *rem n.* 3. *D. h.* Secunda est, an mandans homicidium ut reus homicidii sit puniendus, si mandatarius, licet mandatum nullum intervenisset, æquè occidisset? Affirmo, quia *d. l. nihil* §. 1. *D. ad l. Corn. de sicar.* non distinguit sed simpliciter de mandante est concepta: & quia lex Cornelia voluntatem ac animum occidendi, qui etiam

hoc casu in mandante est, punit. *d. l. 1. n. divus. 3.* Ac, licet hoc casu mandans suis persuasionibus non commoveat mandatarium, tamen mandatum dedit & corroboravit mandatarium in maleficio. Huc facit textus elegans in *l. 1. §. sed utrum. 5. D. de serv. corrupt.* Ratio dubitandi ad quæstionem primam. I. Qui in re illicita versatur, est in dolo eique imputandum est, quod ex eo facto sequitur. *l. Qui occidit. 30. §. 3. D. ad l. aquil. c. 10. 20. x. de homicid.* Qui author est mali, ex quo sequitur homicidium, tenetur homicidii. *l. Quoniam multa 6. C. ad l. Iul. de vi publ.* Nihil interest, utrum quis præbeat causam morti, vel ipsam mortem inferat. *d. l. Nihil interest. 15. D. ad l. Corn. de sicar.* Hæc & similia eo pertinent, ut homicidium, ceu præcipuo authori, sit ascribendum mandanti, & magis, quia persuadere delictum plus est, quam ad delinquendum cogere. *l. 1. §. persuadere. 3. D. de serv. corrupt.* II. Mandatum generale complectitur omnes species: mandatum autem ad vulnerandum est generale & sese exerit tam ad lethifera, quam ad non lethifera vulnera. III. Omninò cavendum, ne malitiis indulgeatur. *l. 38. D. de rei vindic.* Malitiis indulgetur, si delictorum authoribus spem impunitatis demus: nec enim impunitas ullius delicti danda est. *l. 2. D. de delict. privat.* Vnde & morte punitur delictum pessimi moris & exempli, licet non sit in delinquente animus occidendi. *l. Si quis aliquid. 38. §. qui abortionis. 5. D. de pæn.* IV. Per vulnera infertur mors: undè qui vulnerari jubet, mortem inferri jubet: nec enim in potestate vulnerantis est, ut possit ad mensuram certam vulnerare. vide Woltzium. *c. 6. de homicid. n. 28.* Gomes. *3. resol. 3. n. 18.* Boss. *tit. de mandat. ad homicid. n. 10.* Ratio dubitandi ad secundam quæstion. I. Mandatum tunc tenet tantum, si mandatarius non fecisset, nisi mandatum esset. *l. Si remunerandi. 6. §. planè. 5. D. h.* Nihil ergò videtur mandatum esse ei, qui æquè

faceret. Qui delictum committit proprio motu, licet alius quoque mandet, non ex mandato facit: quocirca nec mandans peccat: & ubi non est peccatum, ibi nec pœna habet locum. II. In delictis hæc regula est perpetua: in dubio est parcendum reo. *l. Interpretatione.* 42. *D. de pœn.* Hoc omninò est dubium cum, nullo textu probari possit, expressim esse statutum, ut hoc casu mandans absolutè teneatur. III. Textus *in l. non solum.* 11. §. *attilicinus.* 6. *D. de injur.* docet mandantem tunc teneri jujuriarum, cum nolenti persuasit. Et *in l. non solum.* 11. §. *si mandatu.* 3. tunc demum mandantem esse reum, cum mandatarius mandatum suscepit. Id si in injuriâ valeat, multo magis procedet in homicidio, quod exigit pœnam mortis; cum in atrocioribus severitatem legum temperamento benignitatis subsequi oporteat. *l. perspiciendum.* 11. *D. de pœn.* & Vide Clar. *lb. sentent.* §. *fin. q.* 89.

21. Diligenter mandati fines custodiendos esse, docet Paulus, *in l. Diligenter.* 5. *uti & Gajus in l. potest.* 41. *D. h.* Qui verò fines excessit, usque ad modum mandato statutum habet actionem, sed non ulterius. *l. præterea.* 3. §. *fin. & l. seq* D. §. 8. *Inst. h.* Si verò utiliter gesserit mandatarius, in eo, quo excesfit negotium mandantis, non debet negotiorum gestor. actio denegari sed justum est, si utiliter gesserit, præstari ei, quod eo nomine vel abest vel abfuturum est. *l. Si quis absentis.* 2. D. *de negot. gest.* Æquum est alterius res gerentem in damno non versari. *l. Quæ utiliter.* 45. §. *fin.* D. *eod.* nec officium ei nocere. *l. si servus.* 61. §. *Quod verò.* 5. *vers. multo tamen.* D. *de furt.* & mandantem non sentire lucrum cum mandatarii jactura. *l.* 206. D. *de Reg. Iur.* Ratio dubitandi. I. Non debet dari actio ei, qui excesfit modum sibi impositum, nec quidem ad concurrentem modum. *d. l. potest.* 41. *D. h.* Aliud enim egit. *l. Diligenter.* 5. D. *h.* & ob aliud non datur mandati actio. Nec etiam fidejussor acceptus in majorem

summam, quàm debet reus, ad concurrentem tenetur. *l.* 8. §. 7. *D. de fidejussor.* II. Non debet dari negotiorum gestorum actio ei, qui prohibitus est. *l. fin. C. de negot. gest.* Qui certum accepit modum, prohibitus est eum excedere. *arg. l.* 11. §. 3. D. *de pignor. act. junct. l. un. C. Etiam ob Chirograp.*

22. In mandato præstanda est culpa levissima. *l. à procuratore* 13. *l. In re mandata.* 21. *C. mandat.* Consistit enim in facto, in industria, quæ promitti videtur mandatum recipiendo. Undè Plautus in mercatore *act.* 2. *scen.* 3. Mandatæ rei omnes sapientes primum prævorti decet. Ac Cicero pro Rosc. Amerin. si quis rem mandatam negligentius gessisset, eum majores summum admisisse dedecus existimabant: itaque mandati judicium constitutum est non minus turpe, quam furti. §. 2. *Inst. de pœn. temer. litigant.* vide *Donell.* 13. *Comm.* 11. D. Tim. Fab. *disp. anniversf.* 24. *Thes.* 18. Arimæ. *Exercitat.* 15. *Th.* 10. Ratio dubitandi. I. In mandato utilitas mandantis versatur: ergò præstanda est culpa lata, secundum regulam in *l. si ut certò.* 5. §. *nunc videndum.* 2. *D. Commod.* II. Mandatum ex officio ac amicitia originem ac causam habet: sufficit ergò mediocris diligentia, ne sc. committatur magna negligentia. *l.* 3. §. 9. 10. *D. de negot. gest.* III. Inconveniens est, officium, ex quo nihil commodi habet, sed laborem præstat, debitori esse damnosum. *l. Si servus.* 61. §. *Quod verò.* 5. *versic. multo tamen.* D. *de furt.* IV. Loca juris expressim statuunt dolum tantum & latam culpam. *l. si procuratorem.* 8. §. *fin. D. h.* ac bonam fidem præstari oportere. *l. Idemque.* 10. *D. h.* V. Sunt & loca, quæ culpam simpliciter præstari volunt. *d. l. Idemque.* 10. §. 1. VI. Cur aliud in deposito, in tutela, precario ac similibus?

23. Ad vendendum aut locandum constitutus non habet mandatum ut precium vel mercedem recipiat: aliud enim est vendere, locare, aliud precium recipere

recipere: idoneus ad emendum aut ad locandum, non est semper idoneus ad nummos recipiendos. ubi vero aliud est, in re in, persona, in causa, ibi mandati actio non tenet. *d. l. Diligenter.* 5. D. *h.* Qui & ad agendum mandatum habet, ei non potest solvi. *l. Sed si tantum* 13. D. *de pact l. Hoc jure.* 86. *D. de solut.* Limitata causa limitatum habet effectum. Adde textus in. *l.* 1. §. *Igitur praepositio.* 12. *versic. vel si ad locandum.* *D. de exercit. act. l. Cuicunque.* 5. §. *non tamen.* 11. *D. de inst. act. l. sed si pupillus.* 11. §. *conditio.* 5. D. *eod. l. si pupillorum.* 7. §. *si prater.* 3. D. *de reb. eor. qui sub. tut.* Vide Ludov. Roman. *sing.* 23. Ratio dubitaddi. I. Qui vult antecedens, vult consequens. *l. Tabularum.* 2. §. *Inspectio.* 5. *D. testam. quemadm. aper.* Nicol. à Middel. *loco legal. à concess. antecedent.* Vbi hoc exemplum ponit: Filiusf. ex patris permissione studiis vacans potest pro necessitatibus studii patrem obligare. Ad confirmationem hujus objectionis pertinent textus. *in l. ad rem mobilem.* 56. *l. ad legatum.* 62. D. *de procurat.* II. Qui vendit, ex natura contractus sibi alium obligat ad solvendum precium: qui locat, sibi alium obligat ad solvendam mercedem. Est enim precium de emtionis, merces de locationis substantia: sequitur ergò procuratori ad vendendum vel locandum esse datum jus, alium sibi ad solvendum quoque astringendi. III. Regula est certissimi juris, quod qui voluntate domini cum servo sive procuratore contrahit, & ab eo accipere eique solvere possit. *l. Quod servus.* 35. *in fin.* D. *de solut.* Et ei, cujus nomen est insertum contractui, rectè fit solutio, licet non fuerit procurator. *l. vero.* 12. §. 1. D. *de solut.* Multo ergò magis ipsi procuratori vero. *d. l. vero.* 12. *pr.* vide Bartol. *in l. Filiae* 59. D. *solut. matrim.* Fachin. 2. *Controv.* 93. Decium. *consil.* 330. *n.* 3.

24. Mandatum morte interit. *l. Mandatum.* 15. C. *h.* modo res sit integra. *d. l. mandatum*, 15. vel mandatarius non ignoraverit mortem. *l. Inter. causas.*

26. *pr.* D. *h.* aut non convenerit, ut poſt mortem id impleatur, de quo convenit. *l. Si vero.* 12. §. *fin. l. ſeq.* D. *h. l. fin.* D. *de ſolut.* aut rei favor aliud non exigat. *arg. l. Si ego.* 9. §. 1. D. *de jure dot. l. ſi pater.* 4. D. *de manum. vindiſta.* Ratio dubitandi. I. Ex *d. l. fin.* D. *de ſolution.* II. Ex *l.* 1. C. *de obligat. & act.* ubi utilis datur actio ex mandato poſt mortem mandantis: ad quoad effectum non intereſt, utrum utilis at directa detur. *l.* 47. D. *de negot. geſt.* III. Si omnes contractus tranſeant in heredes. *l.* 13. C. *de contrah. & committ. ſtipulat.* quæ eſt ratio, quod hic contractus morte pereat? IV. Si quis poſt obitum mandantis tradat, cum non ſcit heredes id fieri nolle, rectè tradit. *l. Fundi* 33. D. *de acquir. poſſ.* Ex eo colligitur opus eſſe prohibitione heredum, ne mandatum poſt obitum mandantis ad effectum perducatur.

Ex tit. pro ſoc.

25. Societati omnium abſolutè bonorum etiam imputantur ea, quæ in ſtudia & honorem liberorum, nec non in dotem filiarum ſunt erogata. *arg. l. cum duobus.* 52. §. *fin. l. ſi ſocietatem.* 73. §. 1. D. *h. l. Ex parte.* 39. §. *filius.* 3. D. *famil. erciſc.* Hoc non tantum verum eſt, cum omnes ſocii habent liberos, ſed & ſi unus tantum habeat: quia alimenta, erogationes in dotem, in ſtudia & honores, ſunt expenſæ neceſſariæ: ac ſibi ſocius, qui liberos non habet, vel ad ſtudia non educat, aut filias in matrimonium non collocat, imputet, quod à communione non receſſerit, cum animadverteret fore, ut ejuſmodi erogationes fieri oporteret. Vide Fachin. 8. *Controverſ.* 4. Donell. *in rubr.* C. *h. n.* 19. Ratio dubitandi. I. Ex *l. ſi ſocius pro filia.* 81. D. *h.* II. Iniquum eſt, ut inter ſocios ſit inæqualitas: at ſi unus habeat liberos, alter non, ſumma oriretur inæqualitas. Ea quippe ſocietas, ut unus ſolus lucrum habeat, alter ſolus damnum patiatur,

tiatur, est leonina ac legibus vetita. *l. Si non fuerint*. §. *fin. D. h.* III. Distingvendum omnino est, utrum pater destinet filios studiis post societatum initam, an & antè destinaverit. si antè, impensæ in studia imputabuntur, non si post. Vide Donell. *d. loc. in rubr. C. h. n.* 1. 18.

26. Vnus pecuniam contulit, alter operam, pecunia periit, cujus damno id cedet? Puto esse distingvendum. Aut convenit, & id sequi oportet, quod actum est. *l. semper.* 34. *D. de reg. Iuris.* Aut non convenit, hoc modo damnum commune erit, *l. si non* 29. §. 1. *l. Cum duobus.* 52. §. *qui sagariam.* 4. *D. h.* Nam pecunia interim communicatur, cum in societatem est collata, scilicet ratione damni & lucri, *arg.* §. 2. *Inst. h.* Ac iniquum esset, ut conferens pecuniam summo afficeretur damno, ac is, qui operam tantum confert, vix decimam sustineret damni partem Cum omnes partes damni oporteat esse æquales, si nihil de iis sit dictum. *d. l. Si non fuerint.* 29. *pr. D. h.* Interim hæc ita sunt temperanda, ut, si tanti sit opera amissa, quanti est pecunia, ejus omninò habenda sit ratio. Vide Cyn. Salicet. *in l.* 1. *C. h.* Schneid. *in* §. 2. *n.* 6. *Inst. h.* Ratio dubitandi. I. Domino res sua perit. *l. pignus.* 9. *C. de pign. act.* Socius, qui pecuniam confert, manet ejus dominus, cum tantum ejus usum faciat communem, non proprietatem. II. Inæqualitas maxima oritur, si dixerimus conferentem operam præter suam operam etiam oportere damnum ob pecuniam amissam sentire. vide Fachin. 2. *Controv* 95. *Bald. Sichard. Castrens. in l.* 1. *C. h. Bus. in d. l.* 10. §. 1. *n.* 3. *D. h.*

27. Si quis solus pecuniam contulerit, is eam, quam contulit, ubi fuerit soluta societas, præcipiet. Non enim ea mente nummi conferuntur ut absolutè ii cedant sociis, sed redeant ad priorem dominum: interim enim communicantur, id est, stante societate, ut lucrum sit commune. *arg.* §. *de illi.* 2. *verbis:*

verbis : & tamen lucum inter illos commune fit. Inst. h. Adeò ut non tam sit pecuniæ societas, quam negotii. Sed hæc ita, nisi opera sit tanti, quanti pecunia. vide Gail. 2, *observ.* 24. *n.* 6. Sichard. *n.* 4. *in l.* 1. C. *h.* Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. D. *h.* Ubi conferre, est communicare. Nam is confert, qui communicat. *l.* 1. *D. de collat.* Et ex suo facit alienum sive commune. II. Communicationem fieri docent textus in *l.* 1. 2. D. *h.* & quod semel nostrum sive commune est, sine facto nostro vel socior. non desinit esse commune. *l. Id quod nostrum.* 11. D. *de Reg. Iur.* Undè *& in §. fin. Inst. h.* res collatæ in societatem absolute dicuntur communes. III. Operam valere pro ipsa pecunia, docet textus in *d. §. de illa.* 2. *Inst. h.* Vid. Bartol. *in d. l.* 1. *C. h.*

EXERCITIVM XXXVI.

Resp. HENRICO TIHLE Buxtehuden.

Ex tit. de contrah. Emt.

THESIS PRIMA.

CONsensus de re, certo precio transferenda vel habenda facit emtionem. *pr. Inst. h.* Si autem sit dissensus vel circa corpus, vel circa precium, vel circa materiam (veluti, cum æs pro auro venit) contractus est ipso jure nullus. *l. In venditionibus.* 9. *pr. & §.* 2. D. *h. l. Quid tamen.* 14. *in fin.* D. *h.* Idem, si ab ignorante ignoranti mensa pro solidâ vendita est, cum tantum argento sit cooperta. *l. Cum ab eo.* 41. *§.* 1. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Pignus valet, cum æs pro auro est datum, licet id fiat malâ fide. *l.* 1. *§. fin. D. de pign. act.* Pignoris verò causa est bonæ fidei. *§. actionum.* 28. *Inst. de actionib.* Undè idem in emtione quod in pignore juris est. II. In stipulationem

tionem si æs pro auro sit deductum, valet quod actum est. *l. Si id quod aurum. 22. D. de Verbor. Obligat.* Cur aliud in emtione? III. Si mensam, quam puto esse citream imprudens ac errans emero, emtio constat, & agitur in id quod interest *l. Si sterilis. 21. n. 2. D. de action. Emt.* Citrearum vero mensarum magnum fuit precium, uti patet ex Martiale: Accipe Fœlices, atlantica munera, mensas: aurea qui dederit dona, minora dabit. IV. Præstat, cum in idem corpus contrahentes consenserunt, statuere contractum subsistere, reservata læso emtori actione in id quod interest. *l. Iulianus. 13. §. 4. 5. D. de actionib. Emt. l. cum in corpus. 36. D. de acq. rer. domin.* V. Cur aliud cum pro aureo est venditum deauratum, quam si æs pro auro, mensa aurea lamina cooperta pro aurea est vendita. *l. Quod tamen. 14. junct. d. l. Cum ab eo. 41. §. 1. D. h?*

2. Licet contrahentibus sese invicem in precio circumvenire. *l. In causa. 16. §. idem 4. D. de minorib. l. 8. C. de rescind. vendit.* Licet & id quod pluris sit minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere. *l. Item, si. 22. §. 3. D. locat. conduct.* Adde & textum *in c. pen. x. h.* Hinc regula inter mercatores recepta: sublata spe quæstus, languet mercatus. Ratio dubitandi. I. Circumventiones omni jure sunt illicitæ. *l. 1. D. de doc. mal.* II. Pugnat cum ratione naturali, est naturæ pravitas, si quid pluris veneat, quam res reverâ est; nihil tam consentaneum est Iustitiæ commutativæ ac fidei humanæ, quam ut sit æqualitas in commerciis, quæ optima fide ut vigeant publicè interest. Nec admittit regula charitatis, ut id quis alii faciat, quod sibi nollet fieri. *Math. 7. v. 12.* Ista enim est lex & Prophetæ. Nemo verò vellet carori emere, quam res valet, cur ergo id in mercatura permittitur? Habeant pro labore, periculo aliisque incommodis mercatores justum hostimentum, sed nemo ab iis lædatur: nec dolus hic alicui sit lucrosus simpli-

ſimplicitas damnoſa. *l.* 1. D. *de dol. mal. ad Theſſalon.* 4. *v.* 6. 1 *Corinth.* 6. 8.

3 Iure optimo poteſt precii definitio conferri in arbitrium tertii: ac, is ſi definierit æquum, valet emtio, ſi iniquum, valet æquè emtio, verum per reductionem ad arbitrium viri boni, qui eſt judex. *l.* 127. §. 2. *D. de verb. Oblig.* reformatur. *l. ſi in lege locationis.* 24. *pr.* D. *locat. conducti. l. Societatem.* 76. & *ſeqq.* D. *pro ſoc.* Ut autem iniquum dicatur, non opus eſt ut excedat duplum læſio: verum judicis prudentiæ committendum eſt, ut is ſtatuat, an iniquum fuerit. Si verò modicus fuerit exceſſus, nulla fiet reformatio: Caſtrenſ. *in l. fin. n.* 2. *C. h.* quo facit *l. Vnde ſi.* 79. D. *pro ſoc.* Tempus petendi hanc reformationem ſtatuo 30. annorum: eſt enim hæc cauſa ex obligatione ſive ejus ſequela: actionibus autem perſonalibus præſcribitur 30. annis. *l. ſicut.* 3. *C. de præſcript.* 30. *v.* 40. *annor.* Gail. 1. *Obſervat.* 150. Coſtal. *in l.* 76. & *ſeqq.* D. *pro ſoc.* Ratio dubitandi. I. Sive æquum ſive iniquum dixerit æſtimator, omninò ei definitioni eſſe ſtandum, nec quæri de arbitrio viri boni ſtatandum, tutum eſt. *d. l. fin. C.* & §. 1. *Inſt. h.* Unde defendi poſſet, jus de reductione ad viri boni arbitrium, eſſe correctum in emtione & locatione. II. Reductioni non poteſt eſſe locus, niſi deceptio ſit ultra duplum vel dimidium, ſi quidem enim ipſi contrahentes ſtatuiſſent precium, tantum habet locum. *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* quæ exigit læſionem ultra dimidium vel duplum. hoc verò precium, quod arbiter dicit, videtur definiri ab ipſis contrahentibus. *d. l. fin.* Deinde cum in aliquo caſu lex manifeſta eſt, oportet eam producere ad ſimiles caſus. *l. Non poſſunt.* 12. & *ſeq.* *D. de legib.* Et in uno caſu *lex* 2. *C. de reſcind. vendit.* eſt manifeſta. Add. *l. Vndè ſi.* 79. D. *pro ſoc.* Vide Donell. *in l.* 43. *n.* 19. *D. de verb. Oblig.* III. Videtur ad hanc rem requiri decendium: generaliter enim omni reductioni ab arbitris, omni, appellationi decem dies

ſunt

sunt dati. *l. pen.* C. *de recept. arbitr. Authent. hodie.* C *de appellat.* à quo tempore non est recedendum in hac causa, quæ consensu geritur. vid. Fachin. 8. *Controv* 95.

4. Potest etiam in vendentis vel ementis arbitrium simpliciter definitio precii conferri, & hoc ipsum habetur, ac si viri boni arbitrium esset electum uti in societate, ut unus ex sociis partes lucri constituat *l. Si societatem.* 5. D. *pro soc.* In locatione, ut dominus opus arbitretur, *l. Si in lege.* 24. *pr.* D. *locat. conduct.* In datione in dotem, ut ejus quantitas constituatur. *l. Cum post.* 69. §. *Gener.* 4. D. *de jur. dot. l.* 3. C. *de dot. promiss.* In operis, quas patronus arbitrabitur. *l. Si libertus.* 30. D. *de oper. libert.* In legatis, ut heres æstimet. *l. Si sic legatum.* 75. *pr.* D. *de legat.* 1. *l. fidei commissa.* 11. §. 7. D. *de legat.* 3. Ita quoque in hoc contractu. *l. Hæc venditio.* 7. D. *h.* Nihil enim nolle contrahentes agere certum est: videntur ergò eam elegisse viam, ut actus valeat ac simul omnia fiant ex æquitate. *d. l. si libertus.* 30. D. *de oper. libertor.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. In vendentis.* 13. *C. h* II. Illud constat, imperfectum esse negotium, cum emere volenti sic venditor dicit: quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti æstimaveris, habebis emtum. *l. quod sæpe.* 35. §. 1. *D. h.* III. Stipulatio non valet in rei promittendi arbitrium collata conditione. *l. Stipulatio.* 17. D. *de verbor. Obligat.* Legatum in heredis voluntate non potest poni. *l. Senatus.* 43. §. *legatum.* 2. D. *de legat* 1. Nulla promissio potest consistere, quæ ex voluntate promittentis statum capit. *l. A Titio.* 108. §. 1. D. *de verbor. Obligat. l. sub hac conditione.* 8. D. *de Obligat. & act.*

5. Valet emtio, facta hisce modis. I. Res emta sit, quanti tu eam emisti. *l. Hæc venditio.* 7. §. 1. *D. h.* Est enim precium certum per relationem ad aliud, quod certum est. Non hic spectatur precium instrumento expressum, sed quod verè fuit promissum. *t. t.*

C. plus

C. *Plus valer. quod agit.* Verum evidentisſimè debet à venditore probari aliud precium eſſe ſolutum, quam id quod inſtrumento continetur. *l. Generaliter.* 13. C. *de non num. pec.* II. Res emta ſit, quantum precii in arca habeo. *d. l. 7. §. 1.* vel res ſit emta eô precio, ſive iis nummis, quos in arca habeo. Non enim, cum de venditione agitur, diſtingvi poteſt, quoad intentionem contrahentium, quæ facit contractum. *arg. l. Non omnis.* 19. *D. de reb. credit.* inter quantum & quod: nec etiam verbis ſed rebus impoſitæ ſunt leges. *l. Omne.* 2. C. *Commun. de legat.* Nec propter nimiam verborum ſubtilitatem ac anguſtiam, latitudo voluntatis contrahentium eſt impedienda. *l. tun. in fin.* C. *ut action. ab hered.* In emtione, quod actum, non quod dictum eſt ſpectari oportet *l. ſed Ceſſus* 6. *n. ff. hic.* vide Alberic. ac Salic. *in d. l. 7.* §. 1. Pinell. *in l. 2 C. de reſc. vendit. part.* 1. *rubr.* 12. Buſ. *in l.* 1. D. *de permut. n.* 6. III. Res emta ſit precio, quod periti rerum æſtimatores, quorum unus ab emtore, alter à venditore ſit eligendus, conſtituerint. Hanc formam mores probant. Non officit quod non ſint nominati, quia debent hi, ad quos eligendos ſunt contrahentes obligati, haberi pro electis: cum poſito antecedente, ex quo eſt neceſſarium conſequens, etiã conſequens cenſeatur eſſe poſitum. Nic. Ever. à Midd. *loco legali à conceſſion. antec.* ac ubi actio eſt, ibi præſés eſſe videtur effectus ejuſdem: cum juxta, *l. Id apud.* 143. D. *de verbor. ſignif.* habeatur id, de quo actio eſt. Exitus verò hic erit, ſi emtor vel venditor nolit eligere, ut is, qui deficit, pignoribus captis mulctæve indictione cogatur. ad eligendum *arg. l. non diſtingvemus.* 32. §. *ſi arbiter.* 12. *D. de h. qui arbitr. receper.* §. *pen. Inſt. de ſatiſd. tutor. l.* 1. §. 3. D. *de inſpic. vent.* vel etiam condemnetur iu id quod intereſt actoris. *arg. l.* 13. §. 1. D. *de re Iudicat.* Quinimò non iniquum eſt, ut propter contumaciam judex peritos ejus rei eligat ac ita æſtimationem decernat. Si autem periti æſtimatores

res utrinque electi æstimare non nolverint, aut morte præventi non potuerint, sunt alii in eorum locum substituendi, ut effectum res habeat. Vide Bartol. & Castrens. *in l. Si merces.* 25. *D. locat.* IV. Res tibi sit emta justo precio. Habet enim ea res certitudinem vel habere potest, si à partibus constituantur æstimatores, vel judex æstimet. Huc facit textus in *l. Si fundus.* 16. *§. fin. D. de pignor.* Vide Alberic. Fulgos. *in d. l.* 2. *§.* 1. *D. h.* V. Si generaliter convenerit de arbitrio alieno, nihil actum esse censetur. *l. Si merces* 25. *D. locat.* ubi DD. Ratio dubitandi. ad I. Satius est sequi instrumenti fidem quam alias probationes: de fide instrumenti publice constat & dubitari nequit: de testium depositionibus non sæpè exigua est dubitatio. *l.* 18. *C. de testib. l.* 3. *C. si minor. major. si dixer.* ad II. Magna est differentia inter quantum & quod; illud quantitatem, hoc speciem denotat. *l. Sed si certos.* 51. *l. Si servus.* 108. *§. qui quinque.* 10. *D. de legat.* 1. Precium verò consistit tantum in quantitate ac numerata pecunia *§.* 2. *Inst. h.* Deindè omninò non valet emtio, facta precio, quantum vel quod in arca habeo, cum precium debeat æquivalere rei, ac consequenter, ut æquivalens sit, oporteat esse certum. Denique non potest esse emtio, *do tibi pecuniam. ut mihi Stichum aliamve rem des*, si non constet de quantitate. *l. fin. D. de condict. caus. dat. caus. non secut.* Vide Accurs. *in l.* 7. *§.* 1. *D. h.* Bartol. *in d. l.* 108. *§.* 10. *D. de legat.* 1. Ad III. Summa est in hac specie incertitudo ratione personarum: nec enim nimis vagandum est. *d. l. Si merces.* 25. *D. locat. l. fin. C. h.* Dissensu suo unus contrahentium posset impedire, ne negotium sortiretur suum effectum. Vide Pinell. *in rubr. de resc. vendit. part.* 1. *c.* 1. *n.* 6. Ad IV. Oportet certam nominare personam arbitri, *l.* 25. *D. locat.* atqui hoc casu nullus est nominatus arbiter. Oportet precium esse certum. *§.* 1. *Inst. h.* Nulla hoc casu precii certitudo est. Vide Bald. *in d. l. fin. n.* 8.

6. Arrhæ datio non eſt de eſſentia contractus emtionis, ſed argumentum eſt emtionis factæ. *l. Quod ſæpè.* 35. D. *h.* Si quidem ea fuerit data, & poſt convenerit, ut irrita fiat emtio, dabitur actio ex emto, aut vendito ad arrham reſtituendam. *l. Ex emto.* 11. §. *is qui vina.* 6. *D. de act. Emt. l. Perfectam.* 2. *C. Quand. ab emt. lic. reced.* Si verò emtio ad effectum fuerit perducta, precio numerato ac re tradita, repetetur id actione ex emto, vel condictione quaſi cauſa finita, aut ſine cauſa. *d. l. Ex emt.* 11. § *Is, qui vina.* 6. Si verò quis putet ſibi permiſſum eſſe recedere ab emtione ritè perfecta, cum diſpendium arrhæ datæ vult facere, aut paratus eſt eam, quam accepit, duplicatam reſtituere, grandi errore labitur. *l. prout quidque.* 80. D. *de ſolut. l.* 1. 2. C. *Quoad. lic. ab emt. reced*, Vid. *Tim. Fabr. diſp. anniv.* 24. *Theſ.* 2. Ratio dubitandi. I. Licet abire tota emtione, ſi nondum impleta ſunt, quæ utrinque præſtari debuerunt. *l. ſed colſus.* 6. §. *fin. D. h.* Si ſimpliciter id ſit permiſſum, multo magis permittetur cum diſpendio arrhæ. II. Ex *l. Contractus*, 17. C. *de fide Inſtrum. pr. Inſt. h.*

Ex tit. Cod. de Commerc. & mercatorib.

7. Nobiles non amittunt nobilitatem per mercaturam, nec à mercatura arcentur. Eſt enim mercatura res per ſeſe honeſtiſſima, cui & Viri Principes operam dant ac omni ſæculo dederunt: eaque à jure gentium profecta eſt, repub. neceſſarium ac & utile exercitium. Ita tamen hoc temperandum eſt, modò ſibi à fraudibus ac turpi lucro caveant, nec pernitioſum reip. commercium exerceant. *l. Nobiiores*, 3. C. *h.* non operam dent viliſſimis negotiationibus. Ita habet textus *in l. Ne quis.* C. *de dignitatib.* Ne, quis ex ultimis negotiatoribus, vel monetariis abjectiſque officiis, vel deformibus miniſteriis, vel ſtationariis omnique officiorum fæce, diverſiſque paſtis turpi-

turpibus lucris aliqua sui dignitate pertentet, &, si quis meruerit, repellatur. Cæterum, si ob nimiam paupertatem, ortam ex bellorum ac temporum iniquitate, etiam sit inter infimos negotiatores Nobilis, eundem nobilem manere, tenendum est: cum necessitas faciat licitum, quod alias est illicitum. *c. Quod non. 4. x. de Reg. Iur.* Cum & ex infima mercatura quis possit honestissimè vivere, ac præstet ad infima quæque officia civitatis, quæ sine probro ac vitio geri possunt, sese dimittere, quam alios mendicando onerare vel quid inhonesti perpetrare. Ratio dubitandi, I. Mercatores sunt inter humiles & abjectos. *l. Humilem. 7. verb. aut eam, quæ mercimoniis publicis præfuit. D. de incest. nupt.* II. Proprium est mercatoribus mentiri, fallere. Unde Cup. *theatr. mund.* Sanctitas sodalitatis eorum est nulla alia, quam pejerare, decipere ac fraudare Proximum. Vulgare inter eos est & conveniens, hominum moribus proverbium: qui rem facere ac fortunam superare volet, oportet eum Deo dorsum obvertere, & conscientiæ suæ fores nonnihil latius expandere. Hæc in virum Nobilem, qui compositum jus fasque animi sanctosque recessus mentis & incoctum generoso pectus honesto amat & amare debet, cadere non possunt. III. Qui se dimittit ad vilissima, fieri non potest, quin & ipse vilissimum gerat animum. *l. Ne quis. 6. C. de dignitat.* IV. Satius est distingvere inter eos, qui per se, & qui per alios mercaturam exercent. *arg. clement. 1. verb. publice & personaliter exercentes. de vit. & honest. clericor.* Vide Tiraquell. *de nobilit. c. 23. in fin. & c. 27. n. 7.* Cujac. *in parat. C. h.*

Ex tit. si quis alteri &c. C.

8. Qui alteri, in cujus potestate non est, quid emit expressim, nec sibi nec alteri acquirit actionem emti, si alter non habeat ratum: non sibi, quia

hoc non est actum: non alteri, quia nemo potest alteri pacisci. *l. Multum interest. 6. vers. si verò ab initio. C. h* Nec etiam venditori datur actio ex vendito. Non contra emtorem, quia se noluit obstringere ullo modo nec se ceu procuratorem aut negotiorum gestorem gessit: qui enim se non vult obligare, non potest conveniri. In dubio verò censeri debet, quod se obligaverit, vel egerit tanquam procurator, aut negotiorum gestor: ne actus in totum pereat. *l. Quotiens. 12. D. de reb. dub. l. Cogi. 16. in fin. pr. D. ad SC. trobell.* Non contra alterum, quia is sese non obligavit. Itaque hic actus ipso jure erit nullus *§. 3. Inst. de jnut. stip. junct. l. Quæcunque. 11. D. de Oblig. & act.* qua sc. solus contractus spectatur. Cæterum, si ipsi emtori vel alteri ex vi prioris conventionis sit res tradita, is fiet dominus, cui tradita est. *d. l. Multum. 6. in fin.* Semper enim rem tenens in causa dominii est potior, & in persona ejus, cui res traditur, confirmatur venditio. Si quis sibi & alteri fundum emerit, inanem actum non gerit, sed persona alterius ceu supervacua est addita: sic ut emtio in solidum consistat in persona emtoris. *l. Fundus. 64. D. h.* ne venditor invitus incidat in communionem cum alio. *l. Si non sortem. 26. §. si centum. 4. D. de condit. indeb.* ac debet sibi imputare Emtor, cur alterius personam adiecerit. Si procurator emerit, non acquirit directo Domino actionem emti, sed is ad tradendum debet vel ipse agere, vel actionem suam mandare Domino. *l. cum per eos. 7. C. h.* Id intellige, si sibi emerit verbis, licet id egerit eo affectu, ut negotium Domino suo gereretur. *d. l. Cum per eos* Sin autem nuncius emerit, domino dabitur actio sine ulla cessione. *l. fin. C. h.* Est enim nuncius epistolæ loco *d. l. final. l. Qui autem. 14. §. fin. & l. sequent. D. de constit. pecun. l. 2. D. de pact.* Ratio dubitandi. I. Certum quidem est, quod extraneus non possit alteri obligationem acquirere, ut dictum supra. *ad*

Tit

Tit. per quas person. acquir. verum æquum eſt, ut cum alter, cui res emta eſt, non vult probare contractum, teneatur is, qui emit: dum enim alteri emit, debet hoc præſtare, ut alter ratum habeat, ne venditor fraudetur ac eludatur, quippe qui negotium alteri gerit abſenti ac ignoranti, valide obligatur ei, cum quo contrahit. Ita & defenſor, qui nullum habet mandatum, ſuo periculo rem omnem habet. *l.* 4. D. *de re indicat.* Nec opitulabitur ementi, quod ſibi non emerit, vel emere noluerit: cum, ſi contractus non confirmetur ab eo, cui emtio eſt facta, debeat emtor conveniri in id quod venditoris intereſt. Vti venditor, cum rem non præſtat quod ab alio evincatur, convenitur in id quod intereſt, *l.* 1 D. *de act. Emt.* idem & præſtabit emtor, ſi ex alterius facto contractus ſuo effectu deſtituatur. II. Malè videtur eſſe dictum, quod is, qui alteri emit, ſi poſt poſſeſſio ei tradatur, fiat dominus rei, cum ſibi non emerit, ac emtio ratione ſuæ perſonæ planè inutilis fuerit: unde regulæ juris hic obſtant, ex inutili fundamento nihil poteſt ſequi, & quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit. *l.* 29. *l.* 201. *D. de reg. jur. c.* 18. *eod. in* 6. *l.* 83. *§.* 5. *D. de verb. Obligat. l.* 19 *D, de appellat.* III. Cum quis ſibi & alteri emit, pro parte tantum dimidia valebit contractus, uti manifeſtè reſpondetur in *l. Si mihi* 110. *D. de verbor. Obligat.* IV. Cur aliud in procuratore, quam in nuncio, cum & nuncius ex mandato agat uti procurator?

9. Qui ſibi emit reverâ, alterius nomine dicis cauſâ addito, ſibi acquirit actionem emti ac dominium, ſi res ſit tradita, licet & inſtrumentis alterius nomen ſit inſertum. *l. Quamvis.* 4. *&* 2. *ſeqq*, C. *h.* Plus enim valet veritas, quam fictio. Qui pecunia aliena aut emit aut ſolvit rem ſibi revera emtam & actionem ſibi ex emto & dominium poſt traditionem conſequitur: ſive emerit uxor mariti pecunia. *l*, 1. ſive maritus

uxoris. *l.* 5. sive filius matris. *l.* 3. *C. h.* Ratio dubitandi. I. Oportet absolute scripturæ sive instrumenti tenorem, non ejus, quod extra id gestum esse narratur, sequi. *l. fin. verb. si ipse per ejusmodi scripturam confessus fuerit &c. Non esse aliud inspiciendum, nisi hoc quod inscripserit: neque enim sic homo simplex (imò magis stultus) invenitur, ut in publico inventario contra se scribi aliquid patiatur. C, Arbit. tutel.* Imputet sibi, quod alienum nomen usurpaverit & in contractu perficiendo & instrumenti conceptione. Hac ratione multæ fraudes possunt committi, si fides instrumentis denegaretur. Si dicat, se ejus, quod emit, possessionem à venditore esse nactum, nihil id pro eo faciet: cum contra eum militet præsumtio, quod ad ministerium illius, cujus nomen est instrumento insertum, traditionem sibi fieri curaverit. II. Res ejus esse debet, cujus est pecunia, uti id multis juris textibus probatur. *l. Si ut proponis.* 8. *C. de rei vindicat. l. Si curator.* 3. *C. arbitr. tutel. l. Res.* 54. *D. de jur. dot. l. uxor.* 55. *D. de donat. int. vir. & uxor. arg. l. Orphanotrophos.* 31. *C. de Episc. & cleric.*

Ex tit. de pact. int. Emtor & vendit. compos.

10. Ex pacto de retrovendendo datur actio tantum personalis ex vendito, vel præscriptis verbis. *l. Si fundus.* 2. *C. h.* uti & similibus casibus accidit, ut utraque hac actione possit agi. *l. Labeo.* 50. *D. de contrah. Emt. l. Si convenit.* 6. *D. de rescind. vendit,* vel etiam aliæ possint concurrere. Nec in rem agi potest contra possessorem, cum ex obligatione non afficiatur res, sed tantum persona obstringatur ad aliquid dandum, faciendum aut præstandum. *l. obligationum.* 3. *D. de obligat. & action.* ac consequenter, si res ad alium ab emtore fuerit translata, non poterit offerri ei precium, sed ab eo actio contra emtorem in id quod interest instituetur. *l.* 1. *D. de act. Emt.* vide

Vide *Gayl.* 2. *Obs.* 16. Hartmann. Pistor. 1. *quæst.* 21. *n.* 7. Ratio dubitandi. I. Actio præscriptis verbis non habet locum cum datur actio ex vendito; quia illa tunc intentatur, cum omnes actiones ordinariæ deficiunt. *l.* 1. 2. 3. *D. de prescript. verb.* II. Omninò agetur contra tertium, quia res cum omni causa ac onere transit ad alium. *l.* 12. *C. de distract. pign. l. alienatio.* 67. D. *de contr. Emt. l. Et post litem.* 12. §. 2. D. *famil. erc.* III. Responsum est, sub hac conditione ac lege distractam rem vindicari posse. *l. Si cum venderet.* 13. *D. de pign. action.* Quæ pacta traditionibus adiiciuntur, firma sunt ac servanda. *l.* 48. *D. de pact.* Nec ferendum est, cum venditor, qui non alia lege rem suam transferre voluit, nisi tali fretus conventione, aliquam captionem ex varia pati eum interpretatione. *l. fin.* C. *h.* V. Res restitutioni subjectæ non possunt vendi. *nov.* 39. *c.* 1. Vid. Tiraquell. *de retr. Conv.* §. 1. *gl.* 7. *n.* 6. 7.

11. Ius redimendi, licet nulla sit mentio heredum facta in pacto, etiam datur heredibus: quia omnes ex contractu actiones regulariter, cum sint rei persecutoriæ, & heredibus & contra heredes competunt. *l. veteris.* 13. *C. de contrah & committend stip.* §. 1. *Inst. de perpet. ac temporal. action.* Ratio dubitandi. I. Quæ facti sunt, non transeunt ad heredes. *l. Cum heredes.* 23. *l. Qui universas.* 30 §. 5. D. *de acq. vel amitt. poss.* Facti autem est redimere, offerre precium. II. Cum conditio est implenda, non admittitur heres ad implendam eam. sive sit ultima voluntas. *l. Cum ita. datur.* 94. D. *de condit & demonit* sive conventio *l. Centesimis.* 46. §. *pen. l. Qui Romæ.* 122. §. *Ageriut.* D. *de verbor. oblig.* III. Opus fuit *in d. l. Si fundus.* 2. C. *h.* ut fieret mentio heredum specialis. Vid. Donell. *in d. l.* 2. *num.* 11. *& seq.*

12. Si unus ex pluribus heredibus venditoris redimere velit partem suam, & precii partem offerat, non est audiendus, siquidem emtor partem redimi

nolit, ſed totum velit. Totum emit emtor, ergò & totum redimendum eſt: nec enim defunctus potuiſſet partem redimere, & per heredes conditio obligationis non eſt mutanda. *l. Stipulationum.* 2. §. *Ex his.* 2. *verſ. non enim* D. *de verbor. obligat.* Add. *l.* 78. D. *de cont. Emt.* Nec etiam poteſt reſtitutio rei inter heredes dividi: cum diviſio fiat cum injuria alterius, *arg. l. ſtipulationum aliæ.* 5. §. *fin.* D. *de verbor. obligat.* Injuria verò infertur emtori, ſi cogatur. 1. admittere plures, qui cum ipſo particulatim agent, cum cum uno contraxerit. *l.* 1. §. *fin. l.* 2. *D. de exercitor.* 2. invitus eſſe cum alio in communione. *l. Si non ſortem*, 26. §. *Centum*, 4. *verſec nemo.* D. *de condict. indeb.* Rurſus, ſi unus reliquorum coheredum & ſuo nomine totum velit redimere, & à reliquis heredib. non habeat mandatum, is ſimiliter non audietur, ſi emtor partem retinere velit. Non enim unus ex heredibus plus agendo conſequi poteſt quam ſuum: ac ubi non eſt actio in totum parata, ibi nec in totum ſit condemnatio. Similiter, ſi plures ſint venditores, qui uno contractu, uno precio, ſimul totum vendiderunt, jus dicetur: nec poteſt obtinere rem totam unus, licet ſatiſdare ſit paratus de parte danda ſocio ſi is quoque voluerit ſuam partem redimere; ſed eliget emtor, utrum totam rem an partem velit dimittere. Vide Donell. *in d. l. Si fundus.* 2. C. *h. n.* 15. 16. Ratio dubitandi. I. Ipſo jure nomina dividuntur inter heredes. *l. Ea quæ.* 6. C *famil. Erciſc.* Nec tantum actiones activæ ſed & paſſivæ *l.* 1. C. *ſi cert. petat.* Hanc verò actionem ad nomina pertinere, nemini dubium eſſe poteſt. Et huic regulæ ſtandum eſt, donec de exceptione doceatur. II. Reſpondetur in *l. eadem.* 4. §. *fin.* D. *de verbor. Oblig.* Si quis ſtipulatus duplam deceſſerit relictis pluribus heredibus, unuſquiſque pro ſua parte habebit actionem. Idem & in aliis cauſarum figuris docet ibi ICtus eſſe receptum. III. Præſtat contra emtorem, cum textum nullum habeamus liquidum,

quo,

quo ſententia noſtra probetur, pro heredibus reſpondere: cum heredibus nihil imputari poſſit, quia incidunt in contractum: emtori vero objici poſſit, quod, cum ſibi non caverit ne unus ex heredibus partem redimeret, cum cavere potuerit, nihil obiicere poſſit heredi, qui partem vult redimere. *arg. l. Qui cum alio.* 19 D. *de Reg. Iur.* IV. Iuſtiſſimo jure unus ex heredibus poteſt totum redimere etiam ſine mandato, modò reliqui redimere nolint. 1. Quia conjunctis perſonis ſine mandato licet agere. *l.* 35. *D. de procurat.* acſi haberent mandatum. 2. Quia in heredibus eſt jus accreſcendi, ut non petentium partes petentibus cedunt. *l. un. C. Quando non petent. part.* & abſurdum eſt, jus, quod defuncto in ſolidum competiit, non competere uni ex heredibus, cum reliqui nolint agere vel jure ſuo uti. V. Ineptum omninò eſt, ut utroque caſu, ſi heres unus vel partem, vel totum repetat, emtori detur electio, quam ſibi non eſt pactus, & habeat facultatem, ſi velit rem totam, ſi aliter velit, partem retinendi: heredis verò jus ſit incertum. Id iniquum eſſe cenſetur. *l.* 3. *in fin. D. mandat.* V. Cum plures ejuſdem rei domini eam vendunt, ſinguli ſuas partes vendunt revera: partium ergo ſingulis ſuarum danda eſt redemtio.

13. Si minor rem emerit immobilem ſub pacto de retrovendendo, cum poſt venditor vult redimere, nullumque decretum judicis acceſſit ad contractum, tam obligatus eſt ac agi poteſt contra eum, acſi major eſſet: cum enim non eſt manifeſta circumſcriptio vel læſio, Prætor ſeſe non poteſt interponere. *l. Quod ſi minor.* 24. §. 1. D. *de minorib.* Vide Pinell. *in l.* 1. *C. de bon. matern. part.* 3. *n.* 53. Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. §. *fin & l. ſeq. D. de reb. cor. qui ſub tutel.* II. Ex *l. Si ad reſolvendam.* 7. *C. de præd. & al. reb. minor.* III. Redemtio eſt nova emtio, quæ fit poſtquam minor eſt dominus factus: at res immobilis minoris emi nequit abſque decreto. *l. Si quidem.* 11. *C. de præd.*

& al. reb. minor. Vide Fach. 2. Controv. 3. post Alber, Menoch. Alciat. Accurs.

14. Ius redimendi, uti ad heredes transmittitur, ita & cedi potest; omnes enim actiones rei persecutoriæ quæque personam non afficiunt, cedi queunt. *t. t. D. & C. de hered. vel act. vendit.* Vide Castrens. *cons.* 1. *lib.* 2. Ratio dubitandi. I. Ius retrahendi ex jure sangvinis, vel ex jure confinii non potest cedi, ergò nec hoc jus. II. Redemptio sive ejus jus non rei sed personæ cohæret: parit enim actionem in personam, ac datur propterea, quia regulariter venditor sub pacto de redimendo absolutè eam amittere & alienare non vult, quia affectionem in rem habet. III. Ius ad restituendum non potest cedi. *l. Si mulier.* 59. §. *Ex asse.* 1. D. *de jur. dot.* Ergò nec jus redimendi, quia ad restitutionem rei paratum est. Vide Ruin. *lib.* 1. *cons.* 72.

15. Potest ac debet omninò cogi Emtor ad revendendum, licet velit præstare id quod interest. Berlich. *concl.* 2. *n.* 38. *part.* 2. &, si nolit precium quod præstari debet, recipere oblatum, id integrum consignandum ac deponendum est. *l. si à re.* 7. *C. h.* Fides enim data est liberanda. Nec redit ipso jure dominium ad venditorem post oblationem plenè factam sed movenda est actio personalis ex vendito vel præscriptis verbis. *l. si fundus.* 2. C. *h.* Nam traditionibus, non pactis transferuntur rerum dominia. *l.* 20. *C. de pact.* Sed hoc, nisi sibi venditor reservaverit dominium. Ratio dubitandi. I. Retrovendere est facti; ad factum liberatur, si facere nolit, obligatus præstatione ejus quod interest. *l.* 13. §. 1. D. *de re judic.* II. Imò dominium ipso jure redit, quia emtio prior pro infecta habetur & res inemta fit: & cum venditor antè fuit dominus, videtur quasi dominus mansisse. III. Respondetur in *l. Si, cum venderet.* 13. *D. de pign. act.* dominium mansisse, vindicationem dari. IV. Ex *l. voluntate.* 10. §. *fin.* D. *Quib. mod. pign. solv.*

V. Est

V. Est in potestate venditoris rem repetere, ac ita non videtur dominium aliter translatum, quam sub conditione revocandi dominium. Itaque, postquam venditor obtulit precium, redit res in dominium venditoris ac emtor precariam tantum videtur habuisse possessionem. *arg. l. Id apud.* 143. *D. de verbor. signif.* V. Emphyteuta ipso jure amittit dominum utile idque transit in directum dominum (licet & nulla ei sit facta traditio) simul ac dominus voluerit jue suo uti ob non solutam intra triennium pensionem. *l.* 2. C. *de Iur. Emphyt* Cur non emtor hoc casu? VI. In lege commissoria datur vindicatio. *l. Commissoriæ.* 4. C. *h.* Cur non in hac lege? Vide Tiraquell. *de retract. convent.* §. 1. *gloss.* 1. *n.* 1.

16. Fructus, percepti ante oblationem precii ac moram, pertinent ad emtorem: quia is interim dominus est, & ad dominum fructus pertinent jure dominii. Fructus extantes in re, qui sunt ultimo anno percipiendi, pro rata temporis inter venditorem ac emtorem dividendi sunt, ne sit in potestate calumniosa venditoris damno emtorem afficere Pone: maturis fructibus, & summa agri ubertate, venit venditor ad redimendum, cum per multos retro annos ex lue, vi tempestatis, aut cæli aliquo vitio aut incursu hostium nulli fructus percipi potuerint: si quidem eo casu teneretur omnes maturos fructus præstare redimenti emtor, magnam pateretur jacturam. Nihil omninò tam conveniens est justitiæ, quam ut æqualitas inter omnes servetur. Hinc respondet Paulus, vix convenire bonæ fidei, ut ei pacto stetur, quod alteri sit captiosum. *l. Si id, quod.* 7. §. 1. *in fin.* D. *de rescind. vendit.* Accedunt textus, *in l. de divisione.* 5. *l. fructus.* 7. §. 1. D. *solut. matrim.* Quibus adde, quod præterea sint emtori refundendi sumtus, cum in rem tum in fructus facti, per *d. l. fructus.* 7 *pr. l.* 51. D *famil. ercisc* In rem quidem ne locupletetur cum jactura emtoris venditor. *arg. l. in fundo,* 38. *D. de*

38. D. *de rei vindic.* Nec etiam tenetur emtor prius dimittere possessionem, quam sumtus ei sint autè refusi. *arg. l. domos.* 58. *D. de legat.* 1. *l. intra utile* 39. D. *de minorib. l. colonus.* 61. *pr.* D. *locat. l. sumtus.* 48. D. *de rei vindicat.* Vid. Tessaur. *decis. pedem.* 56. Tiraquell. *de retract. conv* §. 5. *gloss.* 4. *n.* 5. Ratio dubitandi. I. Qui emit fundum, eum nanciscitur cum omnibus fructibus, nec habetur ratio impensarum, quæ vel in fructus vel in rem sunt factæ *l.* 13. §. 10. §. 18. D. *l. pen.* C. *de act. Emt.* Ergò & is, qui redimit. II. Emtor, si conqueratur de injuria ob sterilitatẽ priorum annorum, id casui fortuito acceptum ferat; hunc nemo præstat. *l. Quæ fortuitis.* 6. *C. de pign. act.* ac suæ facilitati, quod ita contraxerit: quinimò & ob ea venditoris commoda minori precio antè ipse emerat, vel debuerat emere. Berlich. 2. *concl.* 1. *n.* 6. aut aliter pacisci. III. Fundum sequuntur omnes fructus. Fundum restituere tenetur emtor, ergò & omnem causam & fructus. *l. In condemnatione.* 137. §. 1. D. *de regul. Iur. l. videamus.* 38. §. 4. D. *de usur.* IV. In specie *d. l. si fundus.* 2. C. *h.* docetur, fructus ab oblatore precii esse restituendos. V. Usufructu finito omnes fructus etiam maturi ad dominum spectant. §. 36. *Inst. de rer. divis.* Ergò & hac causa finitâ. VI. Pertinent ad eum, qui dominus est factus, vel jus habet, ut dominus fiat, omnes fructus, licet pars maxima anni præterierit. *l. Herennius.* 42. *D. de usur.* VII. Sumtus in rem facti non sunt restituendi, quia eos fecit emtor sciens in re aliena, vel quam scire poterat à se avocari posse §. 30. *in fin. Inst. de rer. divis.* Vide Alex. *in l.* 122. D. *de verb. Oblig.*

17. Ius redimendi, simpliciter venditori ex pacto quæsitum, tollitur triginta annis. Omnes enim actiones personales eo tempore extinguuntur. *l. sicut.* 3. C. *de præs.* 30. *v.* 40. *annor.* Vid. Tiraquell. *de retract. convent.* §. 1. *gloss.* 2. nisi adeò late sint concepta verba, ut probabile sit partes etiam cogitasse de ampli-

ori tempore. Ratio dubitandi. I. Redimere, offerre precium est facti sive meræ facultatis; ergo nequit præscriptione tolli; quia res meræ facultatis non usucapiuntur aut præscriptioni sunt obnoxiæ. *arg. l. 2. D. de via public.* Gail. 2. *Observ.* 18. *n.* 4. Cujac. *in parat. C. de præsc.* 30. *ann.* II. Mala fide possidet Emtor, quare nunquam præscribet. *c. fin. x. de præscript.* III. Alteri possidet Emtor, non absolute sibi: possidet enim venditori, ut, si velit, is possit rem habere, & eam possessionis causam emtor non potest sibi immutare, ac præscriptionem allegare Vide Mynſ. 1. *obſ.* 16. Gail 2. *Observ.* 18. Moller. 3. *sem. st.* 9.

18. Oportet omne precium offerri, antequam intentur actio ex vendito vel præscriptis verbis ad redimendum. *d. l. si fundus.* 2. *C. h. Iunct. l.* 13. §. 8. *D. de act. Emt.* Nemo partem recipere tenetur. *dd. ll.* Quid ergò, si pars precii ante diem, ad quem redemtio erat concessa, sit numerata, & venditor reliquum offerat non multo post, emtorque nullum ex ea re sit passus damnum? non impedietur redemtio, *arg. l. si ita quis.* 135. §. *Seja.* D. *de verb. obligat.* Id omnino est æquius. videtur enim emtor, recipiendo partem, consentire in redemtionem. Huc faciunt textus *in l. Item, si filiusf.* 7. §. *pen.* D. *ad SC. macedon. l. commissoriæ.* 4. *C. h. l. si creditor.* 2. *C. de Iur. dom. impet.* Vid. Fachin. 2. *Controv.* 4. Ratio dubitandi. I. Nemo potest ex contractu agere, nisi eum ab omni parte impleverit. *d. l.* 13. §. 8. D. *de act. Emt.* At, qui partem non solvit, non perfectè solvit: quia totum tunc demum sum consecutus, cum nulla pars est penes alium. *l. Rectè.* 25. D. *de verbor. signif.* II. Cum dies cum pœna est obligationi additus, non datur moræ purgatio. *l. Trajectitiæ.* 23. D. *de verbor. Oblig.* III. Nihil huc facit *d. l.* 135. §. *Seja.* quia de alio casu ibi agitur & à separatis non rectè infertur. Vide Cagnol. in *d. l. si fundus.* 2. *C. h. n.* 162.

19. Qui retrahit secundum mores, ex jure sanguins

guinis vel confinii vel simili, cogitur offerre ac realiter solvere precium, quod extraneus reverâ pro re sibi vendita promisit, quamvis modum justum id excedat. Ita antiquior colonus in locatione prædiorum civilium præfertur, si augmenta ab aliis oblata præstare velit. *l. pon. & fin.* C. *de locat. prædior. civil.* Ita Dominus in emphytensi extraneo est superior, dummodò precium exsolvat, quod alii offerunt. *l. fin. C. de jur. emphyt.* Nec enim privilegium retrahendi debet incommodum ac injuriam inferre venditori. Adde *c. potuit. ult. versic. Ecclesia primitus requisita, eique nunciato quantum sibi ab aliis offertur. x. de loc. cond. l. prætor. ait.* 9. *§. In eum.* 6. *versic. cæterum.* D. *de reb. auth. iud. possid.* Vide Bald. *in l.* 2. *C. de rescind. vendit. col. ult. n.* 63. Vide Salicet. *in l. Dudum.* 14. *C. de contrah. emt.* Imol. Alexand. Socin. *in l.* 122. §. 3. D. *de verbor. Obligat.* Ratio dubitandi. I, Precia rerum non ex hujus vel illius affectione sunt æstimanda, sed ex communi utilitate hominum. *l. precia rerum.* 63. D. *ad l. Falcid. l.* 33. D. *ad l. Aquiliam.* II. Beneficium indultum non debet reddi inutile ex alterius facto: non enim ea, quæ publica lege constituta sunt, privatorum pactionibus possunt censeri vel mutari. *l. fin. D. de suis & legit. l. Ius. publicum.* 38. D. *de pact.* Nec lex dat beneficium, nisi & simul legitimum ad id det aditum sine damno. Beneficium qui dat cum damno, non benefacit sed nocet. III. Si permitteretur venditori exigere precium immodicum, quod promissum est, fraudes perpetuo fierent: malitiis autem non est indulgendum. IV. Non potest conqueri venditor de injuria, si justum percipiat precium. Suum enim cuique est tribuendum. *§.* 3. *Inst. de just. & jur.* Quod superfluum est, ex peccato est. V. Ubique condemnantur actus, quos calor licitantis ultra modum inflat. *l. Locatio.* 9. D. *de publican. & vectig.* V. Tunc admittitur extraneus atque animosus licitator ad rem emendam, cum justum precium nolunt

qui retrahere possunt, offerre. *l. ad officium.* 3. *C. Comm. divid.* VII. Quoties lex de re vendenda necessitatem imponit, justum precium dari vult. *l. si cui legetur.* 49, §. *meminisse.* 8. D. *de legat.* 1. *l. Cum quasi.* 30. §. *si plures.* 6. *& l. seq.* §. *si is, cujus.* 4. D. *de fideicommiss. libertat. l. Item. veniunt.* 20. §. *fin.* D. *de petit. heredit.* Vide Angel. Raphael. Cuman. Paul. Castrens. Iason. *in d. l.* 122. §. 3, D. *de verb. Obligat.* Gail. 2. *Observ.* 19. *n.* 7. *&* 8.

20. Si prædium in remotiorem consanguineum fuerit alienatum, æquè potest retrahi à proximiore: quia jus retractus sequitur naturam successionis ab intestato. Tiraquell. *de retr. lignag.* §. 1. *gloss.* 9, *n.* 81. *post. princip.* at in successione proximior excludit remotiorem. *nov.* 118. *C.* 3, Tiraquell. *de Retr. lign.* §. 11. *gloss.* 6. *verb. sil est plus proche. n.* 6. 7. 14. 15. 16. Boer. *decis.* 76. *n.* 7. *vers. quamvis.* Ratio dubitandi. I. Desideratur, ut res maneat in familia: non verò ex ea exit, licet in remotiorem res sit translata, *l. unum ex familia.* 67, §. 1. D. *de legat.* 2. *l. is qui cum plures.* 34. D. *de legat.* 3. II. Fortius ligant duo vincula quam unum. §. 2. *Inst. de adopt.* Itaque cum remotior & sanguine sit junctus & sibi per contractum vigilaverit, debet is superior esse eo, qui tantum jus sanguinis allegare potest.

21, Si ita sint pacti contrahentes in venditione, ut nisi placuerit, res redhibeatur, ac nihil de tempore sit dictum, poterit Emtor redhibere intra sexaginta dies utiles, post non, *l. Quod si nolit.* 31. §. *si quid ita venierit.* 22. D. *de ædil. Edict.* Ratio dubitandi. I. Tempus non est modus finiendæ obligationis. *l. Obligationum.* 44. §. 1. *versic. ad diem.* D. *de obligat. & act.* Suâ enim naturâ omnis obligatio perpetuatur. §. *At si ita.* 3. *Inst de verbor. obligat.* Itaque perpetuo poterit redhibere emtor. II. Videtur, cum tempus non adjectum, præsenti die, id est, in continenti oportere emtorem indicare an displiceat: non enim, cum

cum dies est omissus obligatio aut solutio differtur. *l. In omnibus.* 14. *D. de reg. Iur.*

22. Nemo paciscendo efficere potest, ne vicino invito prædium quis suum alienet. *l. pen. D. de pact.* scil: ut alienatio absolute impediatur. Ratio dubitandi. I. Ex *l. Si creditor.* 7. *§. final. D. de distract. pignor.* II. Ex *l. fin. C. h.* III. Ex *l. Ea lege* 3. *C. de condict. ob caus. dator.* IV. Ex *l. Ea quidem* 5. *C. si mancip. ita suer. alienat.*

Ex tit. de addict. in diem.

23. Purè vendito & in diem addicto fundo, si melior conditio sit allata, rem pignori esse desinere, si emtor eum pignori dederit, constat ex. *l. ubi autem.* 4. *§. sed & Marcellus.* 3. *D. h. l. si res distracta.* 3. *D. Quib. mod. pign. solv. l.* 31. *D. de pignorib.* Ratio dubitandi, I. Cum ita res est distracta, nisi emtori displicuisset, pignus non finitur. *d. l. Si res distracta.* 3. *in fin.* Quæ diversitas est inter hanc & priorem speciem? II. Ius tertio in re quæsitum non potest adimi per pactiones aliorum: atqui tertio, sc. creditori emtoris, est jus pignoris quæsitum, cum emtor esset dominus pignoris. *d. l. ubi autem. §. sed & Marcellus in fin.* id itaque ei auferri nequit per pactum inter emtorem & venditorem; ac magis ipsi hoc jus salvum manet, quia pignus constituit jus in re, pacta verò in venditionibus tantum jus in personam. Huc facit textus in *l. intelligere.* 2. *C. de luit pignor.* qui docet, vincula pignoris durare obligatione personali submota: hoc est, licet emtor ex contractu suo propter pactum non possit agere, tamen durat pignus.

24. Necesse habet venditor, meliori conditione allatâ, emtorem priorem certiorem facere, ut, si alius quid adiiciat, & ipse adiicere possit. *l. necesse.* 8. *D. h.* Ratio dubitandi. I. Obstat formula addictionis in diem, quæ est *in l.* 1. *D. h.* Hæc exigit, ut, si non

non fuerit melior conditio oblata, emtio pure inita resolvatur; cum itaque offertur melior conditio, jus prioris absolutè est sublatum, ac consequenter is prior nihil habet, quod opponat. II. Cum & possit venditor abiicere meliorem conditionem, vel amplecti, aut rejicere priorem emtorem. *l. Sabinus.* 9. D. *h.* frustrà fit priori denunciatio. III. Cùm in favorem venditoris hoc pactum sit adjectum. *d. l. Sabinus.* 9. non debet retorqueri in ejus odium. *l. Quòd favore.* 6. *C. de legib.* Retorqueretur verò, si ipsi magis conduceret post adjicienti rem addicere. Multum enim interest, utrum cum homine bono, an cum rixoso vel difficili res sit venditori. Quamdiu emtio non est plenè perfecta, servanda est emtori sua libertas contrahendi cum quo velit.

25. Pure fundo in diem addicto, fructus sive omnes adjectiones cedunt emtori, isque periculum rei sustinebit. *l. Quotiens* 2. *in fin.* D. *h.* Verum, si melior conditio adferatur, restituendi sunt venditori. *l. Item quod dictum est.* 6. D. *h* venditorque restituet ea, quæ sunt erogata interim ab emtore. *l. Imperator.* 16. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Non benè hæc cohærent: respondetur, quod emtor lucretur fructus in *d. l.* 2. § *fin.* & *in d. l.* 6. 16. quod teneatur reddere. Lucrari enim hoc quis dicitur, cujus nomine licet locupletior sit factus, non potest actio justitui. *l.* 4. §. 2. D. *finium reg. junct.* §. 35. *Inst. de rer. divis.* II. Jniquum est, emtorem teneri fructus restituere, cum interim sit verus dominus. *l.* 4. §. 3. D. *h.* habeatque actionem in rem. *l.* 41. D. *de rei vindic.* ac periculum ipsius rei sustineat: cum periculum immensam possit adferre jacturam. III. Non debent fructus restitui venditori, sed post adiicienti, quia in locum prioris emtoris succedit. Qui enim in alterius locum succedit, is ejusdem jure uti debet *l. Qui.* 177. D. *de reg. Iur.* Prior verò emtor retinuisset fructus. *d. l.* 6. *pr.* D. *h.*

Ex tit. de l. Commissoria.

26. Ad eum, qui lege commissoria fundum vendidit, dominium ipso jure redit, simulac legem commissoriam inceperit exercere, *l. Commissoria.* 4. C. *de pact. inter emtor. & venditor. composit.* Res enim fit inemta, ac si nulla fuisset facta venditio, ac fundamentum traditionis ac causa, ex qua sub conditione fuit translatum dominium, in totum tollitur; & sic consequenter dominium. *l. Nunquam.* 31. *D. de acq. rer. domin.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. Qui ea.* 3, *C. eod.* ubi negatur rei vindicatio. II. Ex *l. Si à re.* 7, *C. eod.* Ubi ab eo tempore, quo lex commissoria effectum suum habere poterat, rei venditæ manet emtor dominus. III. Non potest ex pacto redire dominium, cum non pactis sed traditionibus rerum dominia transeant. *l,* 20. C. *de pact. l.* 58. D. *eod.* IV. Datur actio ex vendito. *l. si fundus* 4. *pr D. h.* quæ est in personam, ergò non est dominus venditor; quia alias vindicaret. Huc facit. *l.* Si *fundus.* 2. C. *de pact. int. emt. & vend. compos.*

EXERCITIVM XXXVII.

Resp. PAULO WEYTENS, Lugd. Batav.

Ex tit. de hered. vel act. vendit.

THESIS PRIMA.

IN emtorem hereditatis non transit jus accrescendi: ea enim quantitas hereditatis venditæ spectanda est, quæ fuit tempore contractus, *l. venditor.* 2. §. 1. *in fin. D. h.* (facit huc *l. Rutilia.* 69. D. *de contrah. Emt.*) non alia, de qua tempore venditionis non constabat, *d. l. In lege. in fin.* D. *eod.* Ac jus accrescendi non est

eſt hereditatis ſive rerum hereditariarum, ſed aditionis, ac adeuntis heredis, qui, licet vendiderit, manet æquè heres; ita ut creditores, licet ita ſint pacti heres ac emtor, non poſſint convenire emtorem nolentem. *l. Ratio.* 2. C.*h.* vide Gomez. 1.*variar. reſolut. c.* 10. *de jur. accreſc. n.* 44. Cujac. 12. *Obſerv.* 13. Fachin. 10, *Controv.* 3. Hæc vero ita accipi oportet, niſi ſit amplitudo verborum talis, ut de jure accreſcendi partes cogitaſſe ſit probabile. Ratio dubitandi. I. Portio portioni accreſcit, non perſonæ. *l. Si Titio.* 33. *D. de uſuf.* II. Fideicommiſſario cedit, quod accreſcit. *l. Papinianus.* 43. *D. ad SC. Trebell.* III. Qui rem non habet, ei nihil accreſcit *l. Si totam.* 83. D. *de acq. vel omitt. hered.* IV. Verba in *d.l. venditor.* 2. *pr. & §. non ſolum.* 4. D. *h.* adeò ſunt perſpicua ut nemo debeat dubitare. V. Venditor vicem heredis obtinet. *d. l. venditor. §. Cum quis.* 18. VI. Beneficium venditoris, licet poſt accepit, prodeſt emtori. *l Emtori.* 6. D.*h.* vide Duaren. *de jur accreſc. lib.* 2. *c.* 5. Robert. 3. *anim.* 12. Arum. *Exercit.* 14. *Theſ.* 7.

2. Qui nomen diſtraxit, locupletem eſſe debitorem non debet præſtare, ſed eſſe debitorem. *l. Si nomen.* 4. *& ſeq. D. h. l. cum ea.* 68. *§.* . D. *de Evîction.* Idem obtinet, ſive ſciens ſive ignorans debitum receperit, per rationem ex *l. Qui cum alio.* 19. D. *de reg. Iur.* Exceptio eſt. 1. ſi dolus ſit commiſſus. *l. Si plus* 74. *§. fin. D. de Evict.* 2. ſi ceſſionarius juſtiſſima facti ignorantia ex facto venditoris, licet dolum is non adhibuerit, lapſus fuerit. *l. Si cum dotem.* 22. *§. ſi mulier.* 2. D. *ſolut. matrimon. l.* 8. 9. D. *de jur. & fact. ignor.* vide Coſtal. *in l.* 4. D. *h.* Ratio dubitandi. I. Qui cedit, cum effectu debet cedere, quia verba cum effectu ſunt accipienda. Cum effectu autem non cedit, qui inanem actionem transfert. *l.* 6. *D. de dol. mal.* II. Cum venditor rem vitioſam etiam ignorans teneatur recipere. *l.* 1. §. 2. *D. de ædil. Edict.* cur

non & actionem quæ est cessa sine efficacia? III. Facti ignorantia nunquam potest prodest emtori, quia ejus erat inquirere in conditionem debitoris.

Ex tit. Cod. de reb. alien. non alien. &c.

3. Prohibitio alienationis à lege, testatore aut judice facta, impedit alienationem, adeo ut alienatio ipso jure non teneat ac nihil transeat ad ementem. Quæ verò pacto sunt prohibita alienari, etiam non possunt vendi, quâ spectatur persona venditoris: Cæterum si sint translata ad emtorem fraudis ignarum, nulla datur actio adversus emtorem, qui ex traditione factus est dominus. *l. Quotiens.* 15. *C. de Rei vind.* sed in id quod interest, adversus venditorem, & aliquando accusatio contra eundem ob stellionatum. *l.* 3. *§.* 1. *D. de stellion.* vel publicum judicium falsi. *l. Qui duobus.* 21. *D. de l. Cornel. de fals.* Ratio dubitandi. I, Non est minor potestas conventionis, quam testatoris: Imò fortius ligat conventio, quæ duorum habet voluntatem, *l.* 31. *D. de oblig. & action.* quam testamentum, in quo unius est declaratio. II. Hac ratione conceditur venditori, ut fidem violet, atque possit, (pessimo sanè exemplo) fraudare emtorem eique jus quæsitum adimere,

Ex tit. C. de rescindend. vendit.

4. Ius *legis secundæ. C. de rescind. vendit.* Veteribus ICtis, ex quorum scriptis libri Pandectarum sunt desumti, fuit incognitum. Nullo enim textu id probari potest. Vide Pinell. *in d. l.* 2. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Donell. *n.* 3. Ratio dubitandi. I. Non est credibile æquissimos juris authores admisisse, ut enormis esset in precio læsio. Cum & legibus pandectarum sit comprehensum, ob minimam causam læsionis, res inemtas

inemtas fieri non posse. *l. Res bona fide.* 54. *D. de contrah. emtion.* Dolum in & ex re esse, si quis enormiter sit læsus. *l. Si quis cum aliter.* 36. *D. de verbor. Obligat.* III. Non datur species in libris Pandectarum, qua deceptus ultra dimidium possit cogi ut satis faciat contractui. III. Contrarium docent textus *in l.* 1. *§. fin. junct. l.* 2. *D. deposit. l. si duos servos.* 47. *D. de evict. ion. l. lucius.* 38. *D. Famil. ercisc. l. Iure.* 6. §. 2. *l.* 12. *§.* 1. *D. de jur. dot.* IV. Datur actio quanti minoris, si res non sit digna precio, quo erat vendita. *l. Quotiens.* 61. *D. de ædil. Edict.* Vide Duaren. 1. *disp. anniv. c.* 6. *in f.*

5. Tam in emtore locum habet *d. l.* 2. quam in venditore. Est enim eadem ratio humanitatis, quæ sola jus. *d. l.* 2. suasit, in utroque contrahente: & in correlatis idem jus esse oportet. *l. Cum Emtoris.* 5. *D. de resc. vendit. l. Si cum dies.* 22. §. *pen. D. de recept. arb.* modo non sit notabilis diversitatis ratio. Vid. Giphan. *in d. l.* 2. *& ibid.* Sichard. *n.* 4. Donell. *n.* 48. *& seqq* Fachin. 2. *Controv.* c. 16. Ratio dubitandi. I. Ius singulare comprehensum est *d. l.* 2. ac tantum. *in d. l.* 2. de venditore agitur; non ergò potest idem extendi ad alias personas aliosve casus. *l. Quod verò* 14. *& seqq. D. de legib.* II. Alia est ratio in venditore, qui ordinariò ex rei familiaris angustia ac æris alieni onere vendit. *arg. l.* 12. 16. *C. de resc. vendition.* cum emtor, nisi volens & ad acquirendum, ineat hunc contractum: quapropter & in venditore jus aliter dici oportet; est enim regula juris, ubi est diversa ratio, ibi & diversum jus. Vide Cujac. *lib.* 16. *c.* 18. *& lib.* 23. *c.* 32. Ant. Fabr. *part.* 1. *de Error. pragmatic. decad.* 8. *Error.* 7.

6. Non satis constat, an in venditione facta solemniter decreto judicis jus *d. l.* 2. vigeat; Non est dubitandum, quia est eadem æquitas: nec judicis decretum quod ad avertendam injuriam adhibetur, vinculum iniquitatis esse oportet *l. Quod favore.* 6. *C. de legib. l.* 1. *C. de h. qui ven. æt. impetr.* Ad confir-

mationem theſeos faciunt textus *in l. 1. 2. C. de fid. inſtrum. & jur. haſtar. l. ſi quidem. 11. verſ. ſi vero. C. de præd. & aliis reb. min. l. Si quos. 16. C. de reſcind. vendit. C. Cum dilecti. c. cum cauſa. x. de Emt. ac vendit.* Vide Menoch. *lib. 2. præſumt. 75. n.* 34. Fach. 2. *Controv.* 20. *verſ. altera eſt controverſia.* Imol. & Alexand. *in l. ſi quis, cum aliter. 36. D. de verbor. Obligat.* Ratio dubitandi. I. Ex *l. 1. C. de præd. Decurion. ſin. decr. non alien.* II. Decretum judicis excludit omnem fraudis ſuſpicionem. Unde, ſi prætor decreverit ſolutionem minori eſſe faciendam, minor non poteſt reſtitui *l. ait. prætor. 7. §. ſed & ſi. 2. verſ. Quid tamen D. de minor.* Et, ſi reſtitui juſſerit, etiam ambitioſè, hereditatem, publicè intereſt reſtitui, propter rerum judicatarum auctoritatem. *l. Servo. 65. §. cum prætor. 2. D. ad SC. Trebellian.* Hinc eſt, quod, quicquid judex adjudicaverit, ſtatim in dominium ejus, cui adjudicatur, tranſeat. *§. fin Inſt. de offic. Iudic.* Quod ſententia inter partes jus faciat; *l. 1. D. quæ ſentent. ſin. appell.* Iuſte habeat, qui prætore vel judice autore habet. *l. Iuſtè 11. D. de acq. vel amitt. poſſ.* III. Non pertinet edictum ædilitium ad fiſcales, quia decreto fiunt venditiones. *l. 1. §. Cauſæ 2. D. ad ædil. Edict.* Et, ſi ad eas id edictum non pertineat, quod agit de rebus vitioſis, ubi in re eſt vitium, nec dicta lex ſecunda. IV. Oportet eſſe aliquam differentiam inter venditiones, quæ ſine & cum decreto fiunt. V. Opus eſt reſtitutione in integrum minoribus, ſi viliori, decreto adhibito, vendiderint. *d. l. Si quidem. 11. C. de præd. & al. reb. min.* Non ergò jure ordinario agere poſſunt, cum decretum intervenit. *arg. l. In cauſæ. 16. pr. D. de minor.* Vide Bart. Bald. Immol. *in d. l. 1. C. de præd. Decur.* Paul. de Caſtr. *in d. l. 2. n. 5.* Berlich. *deciſ. aur. 126. n. 22.*

7. In venditione per ſubhaſtationem publicè factam idem aſſerendum eſſe jubet humanitas, quæ fundamentum eſt juſtitiæ commutativæ. Debet eſſe æqua-

æqualitas: nec alterum alterius detrimento fieri locupletiorem pietas admittit. Vide Fachin. 2. *Controvers.* 12. *vers. Sed contrarium docuerunt.* Pinell. *in d. l.* 2. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 25. Ratio dubitandi. I. Ex *l.* 1. C. *de præd. decur. sine decr.* II. Non potest hic dici quis esse deceptus, cum eo precio sit res vendita, quo vendi publicè apud omnes, populo toto ad licitationem admisso, potuit: id verò precium est verum, *l.* 33. D. *ad l. aquil. l. precia* 63. *D. ad l. Falcid.* III. Si venditori videatur nimis vile esse precium, non addicat: ac in potestate habet ut prius in precia rerum inquirat apud rerum æstimatores, & se ab omni damno liberet: si emtor conqueratur se deceptum esse, imputet sibi, quod per calorem ac ad æmulationem plus obtulerit quam offerre debebat. *arg. l. locatio.* 9. D. *de publican.* Siquidem enim emtor non auxisset precium, paulo minori fuisset res distracta. IV. Si *d. l.* 2. admitteretur in subhastatione, perpetuæ forent lites, quas tolli publicè interest. *l.* 1. D. *de usurp. & usucap.* Vid. Berlech. *decis. aur.* 126. *n.* 5. 11. 22. *& seqq.*

8. Ius *d. l.* 2. referendum est ad omnes bonæ fidei contractus, quibus ea ratio vertitur, quæ in emtione; id est, utrinque æquivalens præstandum est, ut unus det alter accipiat pro dato. Ideo permutantes ex *d. l.* 2. agere possunt, si enormiter sint læsi. Est enim vice emtionis. *l.* 2. D. *de rer. permutation. l. Sciendum*: 19. §. *pen. D. de ædil. Edict.* Vid. Donell. *in d. l.* 2. *n.* 58. Auton. Merend. 1. *Controv. c.* 37. Ratio dubitandi. I. Non satis convenit intentioni contrahentium, permutation m, ut suppletio in pecunia fiat vel, rei æstimatio: nec constat, quod sit precium, quæ merx, uti in Emtione venditione. Ob eam itaque dissimilitudinem, ac quia permutatio contractus non est nominatus, etiam dissimile jus dicendum est. Vide Molin. *ad consuet. paris. tit. de feud.* §. 21. *n.* 41. Anton. Fab. *P.* 1. *decad.* 8. *error.* 9.

9. In locatione obtinere *d. l.* 2. probabile est: quia iisdem juris regulis consistit, quib. emtio *l.* 2. D. *locat. cond.* quia ipsa conductio est redemtio fructuum. *l In lege.* 29. D. *eod.* nam merces est precium. *l. Si quis* 10. D. *de l. Rhod. de jact.* quia & damnum ex re intolerabile non fert conductor. *l. Si merces.* 25. §. *Vis major.* 6. D. *eod.* vide Anthon. Fab. 1. *dec.* 8. *Error pragm.* 8. Cujac. 16. *Obs.* 18. Ratio dubitandi. I. Fructus incerti sunt. *l. Si ea lege.* 17. *l. Oleo.* 23. *C. de usur.* Quocirca non potest constare, an quis sit deceptus, ac consequenter fundamentum, quod est in deceptione, *d. l.* 2. cessat: similiter operæ locatæ est incerta æstimatio; *arg. l. Inter.* 31. *D. de solut.* II. Non satis commodè in praxin hæc deduci poterunt: si vendita sit res & tradita, potest restitui res & precium, aut re retenta precium ad æquabilitatem reduci: si opera sit præstita, si fructus sint percepti, res non potest ad priorem suam causam redire, ut, sc. opera restituatur, ut fructus percipiantur. III. In locatione non est tantum præjudicium, quantum in emtione: non ergò jus singulare extendendum est. Vide Merend. 1. *Controv.* 36. *n.* 6. *& seqq.* Guitierrez *lib.* 2. *prac. quæst. civil. q* 138. Donell. *in d. l.* 2. *n* 56.

10. In Emphyteusi idem concludendum est: Est enim similima Emtioni ac Locationi §. *ad eo.* 3. *Inst. de locat. Cond. l.* 1. *C. de jur. Emphyteut.* Recurrendum & hîc est ad eandem æquitatis rationem. Ratio dubitandi. I. Canon nôn præstatur in Emphyteusi pro fructibus, sed tantum in recognitionem dominii. unde, cum æquivalens hîc non præstetur, deceptio dici non potest. II. In Feudis non est locus *d. l.* 2. uti communiter DD. statuunt, & verissimum est, quia beneficium est *c.* 1. §. *fin. in quib. caus. feud. an itt. tit.* 23. *lib.* 2. non ergo in Emphyteusi; quia à Feudo ad emphyteusin in causis dubiis argumentari licet. Everard. *loc. leg. à Feud. ad emphyteus.*

11. Nulla quoque est ratio, cur in divisionibus

d. l. 2.

d. l. 2. rejiciatur. Eſt enim diviſio non tantum permutationi ſimilis. *l. Cum pater.* 77. §. *Hereditatem*, 18. *D. de leg.* 2. ſed & vicem emtionis habet. *l.* 1, *C. Comm. utriuſque judic.* eademque eſt imo major ratio. *l.* 3. C. *Comm. utriuſque judic.* Nec diſtingv. utrum ſit diviſio facta per ſortem, an per judicem, utrum unus diviſerit, alter elegerit, an ſimpliciter inter eos, ad quos res ſpectabat: utrum tantum diviſio pacto, an traditione effectum acceperit; nullo enim caſu dolus in & ex re patrocinium invenire debet, & manet ſemper ratio *d. l.* 2. Ratio dubitandi. I. Nemo queri poteſt de damno, cum incertum ſive eventus incertitudinem, remiſit. *l.* 1 *C. de pact.* *l.* 11. C. *de tranſact.* &, cum per ſortitionem negotium eſt geſtum, incertum eſt remiſſum. Ita ſi jactus retis ſit emtus, licet nihil piſcator ceperit, æque precium præſtandum eſt. *l.* 5. D. *de fæn. nautic.* II. Conjiciuntur ſortes in gremium, à Jehova eſt tota earum ratio. *Prov.* 16. *v.* 33. Videtur ergò Deo obſtrepere, qui poſt ſortitionem querelam movet. III. Si judex adjudicaverit, pleniſſimo jure portiones cedunt iis, quibus adjudicatæ ſunt. §. *fin. Inſt. de off. judic.* IV. Si is velit movere controverſiam qui diviſit, aut elegit, objici ei poteſt, cur ſibi non melius proſpexerit: ſi is, qui diviſit, dicat ſibi injuriam factam eſſe, merito ſuo, quod alterum decipere voluerit, patitur, ac ſuam turpitudinem prodit: ſpem enim conceperat alterum deteriorem partem electurum,

12. In æſtimatione idem eſt judicium; ſive ſit rerum dotalium, ſive aliarum: ſive à judice ſit facta, ſive à privatis. Eſt enim æſtimatio loco emptionis, *l.* 1. *C. de jur. dot.* *l. plerumque*, 10. §. *ſi ante.* 4. *D. eod.* Ratio dubitandi. I. Debet fieri emendatio in æſtimatione, quantulacunque ſit læſio, ac maximè in dotalibus rebus. 1. quia conſortium omnis vitæ ac individua ſocietas non fert, ut alter alterius jactura locupletetur vel in minimo. Huc faciunt textus

in *l. si res.* §. 1. *l. Iure succursum.* 6. §. *fin.* D. *de jure dot.* Vid. Pinell. *in d. l.* 1 *P.* 1 *c.* 12. *n.* 12. Cujac. 17. *Obs.* 1. Ant. Fabr. 1. 8. *dec. error.* 6. II. Si judex æstimaverit, eam æstimationem omnino esse justam constat, ob authoritatem muneris, quod is sustinet. *l. Iuste.* 11. *D. de acq. vel amitt. possess.*

13. Ad stricti juris contractus quoque porrigenda est *d. l.* 2. Non enim licet in iis magis circumvenire in rei precio (etiamsi dolus non committatur) quam in iis, qui sunt bonæ fidei. *l. Bonam.* 4. *C. de Obligat. & action.* Accedit responsum *in l. si quis, cum aliter.* 36. *D. de Verbor. Obligat.* Vide Pinell. *in d. l.* 2. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3. *& seqq.* Bartol. Bald. *in d. l.* 2. Ratio dubitandi. I. Quod in stricti juris contractibus non est expressum, id non suppletur *l. Quicquid.* 99. D. *de Verb. Obligat.* II. Non licet id, quod in emtione propositum est, referre ad stricti juris causas. Vide Jason. *in d. l.* 36 *n.* 18. Castrens. *lib.* 2. *Consil.* 386. *Aron. in summ.* C. *de rescind. vendit. n.* 5. III. Potest competere Condictio indebiti, quasi ex errore plus sit solutum: vel exceptio, si conveniatur læsus. *d. l. Si quis, cum aliter.* 36. Est enim hæc exceptio perpetua; qui vero perpetuam habet exceptionem, habet condictionem indebiti. *l. Qui exceptionem.* 40. *D. de Cond. Indebit.* Vide Fachin. 2. *Controvers.* 22. *circa fin.*

14. In re mobili quoque procedit decisio *d. l.* 2. Ratio enim est eadem. Nec distingv. utrum sit res preciosa, an non. Non enim justitia quantitatem, sed qualitatem considerat. Vid. Pinell. *in d. l.* 2. *P.* 2. *c.* 2. *n.* 17. Ratio dubitandi. I. In *D. l.* 2. *in l. ad rescindendum.* 4. *in l. Si voluntate.* 8. *l. Quisquis.* 15. *C. de rescind. vendit.* Fit mentio Fundi tantum. Non igitur de re mobili idem statuendum est, cum argumentum à contrario sensu sit validissimum *arg. l.* 1. D. *de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Vid. Cujac. 16. *Observ.* 18.

15. Renunciari specialiter posse *d. l.* 2. neminidebet esse dubium, si dolus nullus interveniat *arg. l.*

ten. C. de Pact. Non verò sufficiet ad exclusionem, ut quis generaliter renunciet omni juris auxilio. Quam sententiam suadet hæc ratio; quod semper omnibus promissionibus ac renunciationibus insit ipso jure hæc clausula: *salvo jure erroris*, quod nemo quoque videatur velle amittere ea, de quibus non cogitavit probabiliter. *l. fin. §. Idem quæ fijt.* 3. D. *de condict. indeb. l. Qui cum tutorib.* 9. §. 1. D. *de transact. l. Si libertus.* 27, D. *de Oper. libertor.* Nec generali sermone comprehensa est facultas dolum committendi *l. Creditor.* 60. §. *fin.* D. *mandat.* Vide Fachin. 2. *Controv.* 23. *vers. Sexta.* Ratio dubitandi. I. Non specialis renunciatio hic sufficiet; quia nemo potest remittere dolum. *l. si unus.* 27. §. 3. D. *de pact.* atque in hac circumventione est dolus ex re. *d. l. si quis, cum aliter.* 36. Accedit, quod eadem facilitate quis renunciet *d. l.* 2. qua contrahit damno suo. Vide Bald *in D. l. 2. n.* 7. II. Generalis renunciatio complectitur omnes casus. *l.* 1. *§. & generaliter.* D. *de legat. præst. contr. tabb.* III. Posset distingui inter jurisperitum, ac non peritum; ut ille non possit juvari ex *d. l.* 2. hic utique *arg. l. Necessarium.* 2. *§.* 43. D. *de orig. jur.*

16. Juramentum in contractu præstitum, quod contra eum non sint contrahentes venturi, non excludit jus *d. l.* 2. non enim cogitatum esse videtur de tam enormi læsione quæ in se habet dolum. *d. l. si quis, cum aliter,* 36. Add. *arg. l. mater decedens.* 19. *vers. cæterum. D. de inoffic. l. Emptor.* 47. §. *lucius.* 1. *D. de pact.* Ratio dubitandi. I. Juramentum est servandum, licet damnum concurrat. *Psalm.* 15, Ita & minores ætate non possunt restitui, cum jurarunt *l.* 1. *& Auth. seq. C. si advers. vendit.* II. Petenda est prius absolutio à juramento, vel contra id restitutio. *arg. c. si verò*, 8. *x. de jurejur.* Vide Fachin. 2. *Controvers.* 17. *vers. sexta.* Alexand. *in l. stipulatio ista.* 61. *n.* 10. D. *de verbor. Obligat.*

17. Titius fundum vendit viginti, additâ hac clau-

ſula: *Et ſiquid pluris valet, dono,* tacitè *d.l.* 2. renunciavit: multo itaque magis, ſi clauſula ſit concepta hoc modo; *totum illud, omne, quantumcunque eſt, dono ac remitto Emtori.* Verba enim quid operari oportet, &, ſi ob enormin læſionem Titius poſſet agere ad contractus reſciſſionem, nihil operarentur, cum & ſine ea clauſula ob modicam læſionem non detur actio. *l. Quiſquis.* 15. C. *de reſcind. vendit.* Ratio dubitandi. I. Verbum, *pluris*, non ad infinitam ſummam, ſed modicam refertur. *l. Hæc adjectio* 192. D. *de vebor. Significat.* quod maxime valet in Donatione, quæ non ſolet præſumi, cum contineat perditionem. *l.* 7: D. *de donat.* II. Donationis mentio nihil hic operatur: cum enim venditionem volunt celebrare, non donationem contrahentes, nullo fundamento poteſt admitti donatio, iſti fini, ut quis nimium lædatur. *arg. l.* 23. C. *Mand. l. ſi tibi decem.* 17. *pr. D. de pact. l. Rogaſti.* 11. *§. ſi tibi* D. *de reb. cred.* nec, quod ſimulatè conceptum ſed veritatem *l.* 1. *& tit. C. plus val. quod agit.* ac originem, cauſam contractus *l.* 3. C. *ad SC. maced.* ſpectare oportet. Sunt ſecundum *l.* 36. D. *de contr. emt.* aſyſtata, cauſam contractus eſſe emptionem & ex ea cauſa eſſe donationem. Vid Sarmient. *l. ſelect. inter pr.* 11. *n.* 6.

18. Sciens precium rei, ex *d. l.* 2. agere nequit. Non enim læſus eſt, qui ſcit, niſi à ſe *l. Nemo videtur.* 145. D. *de reg. tur.* C. *Scienti.* 27. *eod. in* 6. *l. venditor.* 11. C. *de reſcind. vend.* Add. *arg. ex l.* 1. *§. fin. D. de act. Emt. l. Cujus.* 53. D. *de reg. jur. l. quæritur.* 14. §. *Si venditor.* 9. D. *de ædil. Edict.* Ex *l.* Domum. 57. *§. ſimili.* 2. D. *de contrah. empt.* Pro ſciente verò non habebimus hominem diligenter ac caute res ſuas curantem *arg. l.* 1. *C. Qui & adverſ. quos.* Cæterum, ſi ſciens precium compellatur magna neceſſitate ad vendendum vel emendum, ac ab alio, alibi, ac aliter rem diſtrahere vel ab alio comparare nequit, ſubveniendum eſt ex æquitate. *arg. l. Rem.* 18. *in fin.* D. *de adimend. legat.* Vide Anton Merend.

Merend. 1. *controvers. Iur.* 34. *n.* 9. Ratio dubitandi. I. Nihil aliud postulatur in *d. l.* 2. quam ut quis sit læsus; tam autem sciens quam ignorans læditur; nec distinguit *d. l.* 2. inter scientem & nescientem II. Rarissimus esset hujus legis usus, ac perpetuo orirentur lites, si scientia excluderet usum juris in *d. l.* 2. Semper enim quisque præsumitur precia rerum suarum nosse. *l. Quisquis.* 15. *C. de rescind. vendit.* Vide Donell. *in d. l.* 2. *n.* 10. Pinell. in *d. l.* 2. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 11. Sarmient. *d. lib.* 1. *selectar. interpr. c.* 11. *n.* 6.

19. Ratio præcepti in *d. l.* 2. est; quia inhumanum est, ut alter alterum ultra dimidium in precio circumveniat: ipsa enim ea res in se dolum habere censetur. *d. l. si cum aliter. D. de verb. Oblig.* Ratio dubitandi. I. Ob nullam læsionem potest rescindi contractus: contrahentibus enim, modo dolus absit, in infinitum se invicem in precio circumvenire est permissum. *l. In causæ.* 16. *§. Idem Pomponius.* 4. *D. de minor. l. Item si.* 22. *§. fin. D. locat. conduct.* Quisque debet imputare sibi, cur non melius inquisiverit in valorem rei vel suæ, quam vendit. *l. Quisquis.* 15. C. *h.* vel ejus, quam emit. *arg. l. Qui cum alio.* 19. *C. de regul. Iur.* Contractus sunt voluntatis cum ineundi sunt, sed necesse est eos omninò impleri, cum sunt initi. *l. sicut.* 5. C. *de oblig. & action.* Nulla ergò fit injuria ei, qui vult, & consentit. *l. Nemo videtur* 145. *D. de reg. Iur.* II. Ob quamcunque læsionem in precio, reductionem ad æqualitatem fieri oportet: quia Iustitia commutativa exigit æqualitatem exactam in commerciis: hinc est, quod, si quid perperam vel inæqualiter factum esse constiterit, in melius reformandum sit. *l. Majoribus.* 3. *C. Comm. utriusque Iudic.* Huc faciunt generalia verbi divini præcepta. Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite aliis: ista enim est lex & Prophetæ. *Matth.* 7. *v.* 12. Non circumveniat frater fratrem in negotio. 1. *ad*

Thessal.

Thessal. 4. *v.* 6. adde *Levit.* 19. *v.* 13. *&* 25. *v.* 14. 17. III. Præstaret ob minorem læsionem, sc. in sexta, quinta vel quarta parte dari actionem ad reformationem contractus.

20. Si Titius bona fide rem comparaverit ab emtore Cajo, qui in ea ultra dimidium læserat Mævium, non potest conveniri ex *d.l.*2. Actio enim personalis ex obligatione non datur adversus possessorem. *arg. l. Actionum.* 25. D. *de oblig. & act, l. f. § fin.* D. *de cont. Emt. l.* 1. §. *Si heres.* 16. D. *ad Sc. Trebell. l. Dolus.* 10. *C. h. Auth.* Hoc *si debitor*. C. *de pignorib.* Nec distinguendum est, utrum ex causa lucrativa rem sit nactus Titius, an ex onerosa, *arg. l. æris alieni.* 15. *C. de donat.* utrum Cajus sit solvendo vel non. Vide Pinell. *in d. l.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *n.* 32. *& seqq.* Fachin. 2. *Controv.* 18. Gomes. 2. *resolut.* 2. *n.* 22. Ratio dubitandi. I. Actiones rescissoriæ dantur contra possessorem tertium, si is, quem principaliter res tangit, non sit solvendo. *l. In causæ.* 13. §. 1. D. *de minor. l fin.* §. 1. D. *de* Eo *per quem fact. erit.* II. Distinguendum est in causa alienationis dolosæ inter eum, qui ex causa donationis rem ab emtore habet & eum, qui ex onerosa: ille conveniri potest. *l. Quod autem.* 6. *§ simili.* 11, D. *Quæ in fraud. creditor.* Cum autem enormis est læsio, alienatio habet dolum. *l. si. quis, cum aliter.* 36. D. *de verbor. obligat.* Vide Covarruv. 2. *resol.* 3. *n.* 3. Berlich. *decis. aur.* 157. Tiraquel, *in l. si unquam.* 8. *verb. revertatur. n.* 323. *C. de revoc. donat.*

21. Actio ex *d. l.* 2. non vere est ex vendito vel emto sed condictio ex lege: cum enim datur novum remedium sine nomine condicitur ex lege. *l. un.* D. *de condict. ex lege.* Vide Pinell. *n. d. l.* 2. *part.* 1. *c.* 3. *n.* 9. *& part.* 2. *c.* 1. *n.* 26. Ratio dubitandi. I. Remedio restitutionis in integrum est opus, quia ab æquitate procedit jus constitutum in *d. l.* 2. & æquitas parit restitutionem *l. pen. pr.* D. *de restit. in integr.* 2. Quia expressim dicitur *d. l.* 2. *authoritate* (id est officio,

ficio, quod est in restitutione) *Iudicis intercedente*, rem ad æqualitatem reduci. 3. quia remedium *d. l.* 2. planè excedit ordinem communis juris; ubi verò extraordinario est remedio locus, ibi est restitutio. *arg. l.* 16. *pr. D. de minor.* 4. quia rescinditur contractus prior, & res in priorem statum redit, si reus precium ad æqualitatem nolit reduci. Vide Cyn. *in d. l.* 2. II. Intentanda est actio emti vel venditi. *arg. l. Ex emto.* 11. *§. si quis virginem.* 5. *& seq. l. Iulianus.* 13. *§. si venditor.* 4. *& seq. & §. si quis colludente.* 27. *D. de act. Emt. l. si nolit.* 31. *§. quia assidua.* 20. *D. de ædil. Edict. l. Si fund.* 2. *C. de pact. int. emt. & vendit. compos.* Vide Donell. *in d. l.* 2. *n.* 44. Fachin. 12. *Controv.* 31. III. Non male responderet, qui assereret, cum hæc causa sit dubia, vel actioni ex contractu, vel restitutioni, vel condictioni esse locum: prout sæpe id admittitur in dubiis. *l.* 1. §. 4. *D. Quod legat.*

22. Hæc actio tolletur demum præscriptione longissimi temporis, uti in omnibus actionibus personalibus evenire solet. *l sicut.* 3. *& seq. C. de præscrpt.* 30. *vel* 40. *annor.* Ratio dubitandi. I. In omni causa restitutionum datur tantum quadriennium. *l. fin. C. de Tempor. in integr. restit.* Etsi quidem non sit vera restitutio, tamen magnam habet similitudinem cum ea, ejusque verum effectum. II. Interest, ne semper in incerto hæreat emtor vel venditor; nec cogi quis debet pati actionem ob precium, quod facilè mutatur, & post quatuor vel quinque annos non liquidò potest probari. Vide Cujac. 23. *observ.* 24. Hinc Lusitani quindecim annos actioni *ex h. l.* 2. præscripserunt. Pinell. 2. *part. c.* 1. *n.* 26. Hispani quatuor Paidil. *ad h. l. n. n.* 47. Galli decem Molin. *§.* 33. *ad Consuetud. Paris. gloss.* 1. *n.* 47.

23. Venditor læsus non recte agit ex *d. l.* 2. cum res apud emtorem periit casu fortuito I. Quia jus in *d. l.* 2. sic constitutum est, ut emtor, venditore læso, nihil aliud amittat, quam rem, quam restituit

tuit, si precium, de quo convenit, ad justam rei æstimationem supplere noluerit. Quandoquidem itaque rem justo modo amisit, non stat per eum, quominus restituat, & consequenter nihil eo nomine ei est imputandum. *arg. l. Iure civili.* 24. D. *de condit. & demonstrat. junct. l. Quæ fortuitis.* 6. C. *de pignerat. act.* Vide Covarr. 2, *resolut.* 4. *n.* 14. Gomes. 2, *resol.* 2, *n.* 22. Fachin. 2. *Controv.* 18. Pin. *in d. l.* 2 *part.* 2. *c.* 1. *n.* 36. *& seq.* Idem quoque statuendum puto, si per emtoris negligentiam, sine dolo, res perierit: quia emtor revera fuit dominus, & nemo in re sua ob negligentiam potest conveniri. *l. Etiam.* 18. §. 1. *versic. quia. D. solut. matrimon. l. Sed etsi.* 25. §. *consuluit.* 11. *versic. quemcunque.* D. *de petit. heredit.* ac venditor imputare sibi debet, cur non antè egerit. Ratio dubitandi. I. Cum ex rebus alternativè debitis una interit, quæ superest, præstanda est: sive creditoris sive debitoris sit electio. *l. Stichum.* 95. *pr.* & §. 1. D. *de solut. l. si in emtione.* 34. §. *si emtio.* 6. D. *de contrah. Emt.* Et dubitare nemo potest, quin alternativè emtor sit obligatus *d. l.* 2. II. Res perit domino *l.* 9. *C. de pign. action.* Emtor interim est dominus. III Ubique costitutum, quod culpa sive negligentia noceat negligenti, non alii. *c. mora.* 25. *de reg. Iur. in* 6. *l. Factum.* 155. D. *eod.* ac damnum casus fortuiti transferat in negligentem. *l. si ut certo.* 5. §. *nunc videndum.* 2. *versic. vi si aliqua.* D. *Commod. l. In rebus.* 18. *versi. alioquin.* D. *eod. l.* 3. *C de peric. Tutor.*

24. Non est ambigendum, quin, si emtor rem vendiderit æquo precio, ac is secundus emtor eam per casum amiserit, venditori sit succurendum, quia precium habet, ac consequenter rem. *arg. l. si ipsa res.* 18. *D. Quod met. caus.* Vide Pinell. *d. c.* 1. *n.* 38. Covarruv. *d. c.* 4. *in fin.* Fachin. *d. c.* 18. *in fin.* Ratio dubitandi. I. Rem, quam jure, ut evitare posset necessitatem precii supplendi, restituere poterat, non potest reddere, cum non sit in rerum natura; ac, si quis dixerit,

erit, emtorem teneri ut, quod deest ad verum precium, præstet replicari, potest, illum ad hoc simpliciter non esse obligatum, sed ad rem restituendam, vel suppletionem precii, utrum elegerit. Cum verò ut rem præstet ei sit impossibile, ac impossibilium nulla sit obligatio. *l. Impossibilium* 185. *D. de reg. jur.* emtorem liberatum esse constat: magis, quia venditor non egit, antequam res periret ex qua negligentia si damnum sentiat, habet quod sibi imputet. *l. si is à quo ff. fis vers. ipsam D. ut in possess. legator.* si porro quis urgeat: at Emtor; quia rursus alteri vendidit, accepit majus precium; ex hoc cum jactura venditoris non debet locupletari, secundum l. 24. ff. de condict. indeb. huic dicetur, precium habet ex contractu cum alio habito: Ex contractu autem alieno, nullius jus vel deterius vel melius redditur. *t. t. Res inter al. gest.* per contractum enim quisque conditionem suam meliorem facit, sibique vigilat §. alteri. 19. instit. de inutil. stipul. id ipsum mutat hujus negotii naturam, cum res periit eaque naturâ præstari nequit, periit enim non à quo sed cui præstanda erit, *l. si ex legati*, 23. *ff. D. de verb. oblig.* eique qui non satis diligens fuit. vid. covarr. 2. resolut. 3. n. 10.

25. Thesaurum, antequam venditor læsus agat ex d. l. 2. inventum ab emtore, cedere in totum emtori est verius. cedit enim thesaurus ei, qui eum invenit, in proprio solo §. 39. *inst. de rer. divis.* at emtor interim absolutè est dominus, ac quia omne periculum rei sustinet consequetur ex ea commodum §. 3. *inst. de empt. & vendit.* inauditum quoque est, Thesaurum esse vel partem rei, vel ex eo æstimationem fundi crescere. *arg. l. possideri 3. ff. Neratius 3. ff. de acq. & amit. poss. l. fructus 7. §. si fundum 12. versic. non magis ff. solut. matrimon. adde l. à tutore 67. ff. de rei vind. vid. Heig. part. 1. quæst. 13. n. 61. Fachin. 2. contr. 20. Aretin l. si quis, cum aliter 36. ff. de verb. obl.* Ratio dubitandi I. Non debet res æstimari ex eo de quo constat, sed ex eo quod latet, *arg. l. non intelligitur, 3. §. divi 5. ff. de rur. fisc.* Pone aurifodinas, quas ignoravit venditor, esse in fundo, cur non & thesauri habenda ratio II. Non thesaurum

ſed fundum vendidit, ergo theſaurus emptus eſſe non poteſt. III. In locatione ob maximos fructus augetur merces *arg. l. ſi merces* 25. §. *vis* 6. *ff. locat. conduct. l.* 2. *C. de alluvion.* ergo & precium eſt augendum ob theſaurum vel theſaurus eſt reſtituendus vid. Ludov. Roman. in *l. ſi quis aliter* & Johan. de Plat. l. unic. n. 3. c. de theſaur.

26. Venditori læſo, qui egit ex d. l. 2. Emtor reſtituere vult fundum; an & fructus reſtituere tenetur? Nequaquam, niſi velit: & cum vult eos reſtituere, debent ſimul ei uſuræ precii ſoluti perſolvi. Uti enim electionem habet emtor, ut vel rem reſtituat vel defectum eum, qui in precio eſt ſuppleat, ita & in hac eligat. Nunquam enim in damno eſſe debet Emtor qui rem reddit, & per extraordinarium juris præceptum re cogitur quaſi invitus carere. Deinde emtor revera fuit dominus, iniquum verò eſſet ei extorqueri fructus, cum & precio quod ſolvit, uti non potuerit, potuiſſet enim forte eo uti majori cum ſuo commodo, quam ſi uſuras accipiat: præterea in d. l. 2. nulla fit mentio fructuum, adde textus *in l.* 2. §. 1. *ff. de in diem addit. l. ſi fundum* 2. *c. de pact. inter emt. & vendit. compoſ.* vid. Pinoll. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. *& ſeqq.* Gomeſ. 2. *Reſol.* 2. *n.* 24. Fachin. *controv.* 24. qui dicunt emtorem non eſſe ad fructus reſtituendos obligatum. Ratio Dubitandi I. Nulla lege probari poteſt diſtinctio inter emtorem & venditorem nolentem reſtituere fructus. Nec ratio ejus eſt juſta, quia iniquum eſt, ut ſi velit emtor habeat jus ut à venditore recuperet, precium cum uſuris & reddat fructus, ſi verò emtor nolit, venditor cogatur contentus eſſe re ſine fructibus *l.* 3. §. *f. in mandat.* II. Omnino ſunt reſtituendi fructus: verbo enim reſtituendi tacitè comprehenduntur fructus, licet nulla fiat mentio fructuum, *l. in condemnatione* 173. §. *cum &* 1. *ff. de req. jur.* idem urgent loca *in l. quod ſi minor* 24. §. *reſtitutio* 4. *in l. patri* 27. §. 1. *verſic. item ex adverſo D. de minor. in l. videamus* 38. §. *in faviana D. de uſur. junct. l.* 1. *verſic. ſiquis D. ſi quid in fraud. patron. in l. cum autem* 23. §. *cum redhibetur l. quod ſi nolit* 31. §. *fin. D. de ædil. edict. l. item quod dictum* 6. *l. imperator* 16. *D. de in diem addict.*

l. 1.

t. 1. c. si major fact. hab. rat. vid. Couvarr. 2. *resolut. 3. n. 9.*

27. Impensarum quæ in rem factæ sunt quoque habendam esse rationem, licet fructus non restituat emtor, æquitas suadet: non quidem earum quæ sunt modicæ ad ordinariam rei refectionem aut ad ipsos fructus pertinent, sed quæ ad perpetuam utilitatem faciunt. Modicæ non refunduntur, quia is qui fructum ex re habet ad eas naturaliter est obligatus *l. usufructu 7. §. quoniam 2. versic. hactenus D. de usufructu. l. omnino 12. D. de impens. in rem dotal.* reliquæ præstabuntur ad exemplum aliorum possessorum bonæ fidei, qui interim loco dominorum fuerunt. Huc faciunt textus in *l. intra 40. §. 1. D. de minor. l. domum. 5. c. de rei. vind. in l. fundo 38. D. eod. l. quod dicitur 5. §. si dos D. de impens. in rem dotal. l. qui exceptionem 40. §. si pars D. de condim. indeb.* Ratio dubitandi I. Impensæ cum fructibus compensantur l. sumtus 48. ff. de rei vind. II. Emtor suo nomine impendit, non ergo repetet: imputet sibi cur sumtus fecerit, & magis, quia potest rem retinere; si velit solvere justum precium vid. salic. *in l. h. n.*

28. Si emtor antequam conveniretur, rem pignori dederit, non resolvetur pignus, cum ex actione à venditore mota, emtor rem restituit, fuit enim interim emtor plenissimo jure dominus, & pignorare potuit, quod casu non finitur pignus quamvis conditio resolvatur. est jus creditoris qui jus in re, & actionem ex eo in rem habet *l. 17. D. de pignor. l. si res 3. in fin ff. quib. mod. pign. vel hypothec. solv.* & fortius omnino, quam venditori cui tantum datur condictio ex lege uti supra ostensum est: hæc verò est actio personalis, quæ ipsam rem non afficit arg. l. obligationum 3. D. de oblig. & act. Ratio dubitandi I. Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem quæ sequuntur locum habent, l. nihil dolo 129. *ff. l. cum principalis 178. D. reg. jur.* Id jus causa pignoris maximè valet, est enim regula juris: Resoluto jure dantis pignori, resolvitur & jus accipientis *l. lex vectigali 31. D. de pignor.* II. Verbum restituendi erigit restitutionem cum omni priori conditione reddita causa; l. fin. §. 1. ff. de verb. sign. causa vero omnis

non est reddita si res redeat ad venditorem cum onere pignoris. Vendidit venditor rem liberam, liberam redire eam oportet. III. Nemo rem vel jus in re sua amittit sine suo facto *l. id quod nostrum 2. D. de reg. jur.* ita nec venditor onerando est ut sine sua voluntate rem habeat alteri obstrictam. IV. In simili directo contrarium respondetur *l. si res pr. D. quib. mod. pign. solv. l. ubi autem 4. §. sed Marcellus 5. ff. de in diem addict.* V. Cum res viliori precio est vendita ita ut d. l. 2. locus esse possit, afficitur per legem (scil. d. l. 2.) in commodum venditoris res vendita ut sit ea restituenda, si non præstetur justum ac verum precium. Quod vero per legem afficitur, ex aliorum hominum factis ac pactis non potest mutari in detrimentum ejus cui lex prospexit.

Ex tit. de commod. rei vendit.

29. Simulac res est vendita, licet non sit tradita, licet & convenerit, ut fructus ad aliquod tempus pertineant ad venditorem est ea periculo emtoris *§. cum autem 3. Inst. de emt. & vendit l. id quod post. 7. & l. seq. D. l. 1. 4. 5. fin. c. hic. l. cum emtor 5. § fin. D. de resc. vend. l. venditor 24. D. de hæred. vel act. vendit.* Ita quidem ut licet res interierit æque venditor possit agere ad precium dd. ll. vid. convarr. 1. *resolut. 25. n. 2. Gomes. 2. resol. 2. n. 2.* Ratio dubitandi I *Ex l. si fundus 33. D. locat. & conduct.* II. *Ex l. lectos 12. & seq. D. hic.* III. *Ex l. quod si neque 14. §. 1. D. hic.* IV. *Ex l. fin. ff. de condict. caus. dat.* V. *Ex l. si soluturus 39. ff. de solut.* VI. Res perit domino *l. pignus 9. C. de pign. act.* Venditor ante traditionem manet dominus, D. §. cum autem 3. in fin. VII. Nimis durum est ut emtor casum præstet, cum venditor ex pacto percipit fructus, cum generalis & ex jure naturæ deducta sit regula; ad quem pertinet commodum, ad illum spectat & incommodum *l. secundum 10. D. de reg. jur.* & nemini res esse quæstui potest priusquam sit ejus periculo l. qui commodum 13. §. 1. in fin. D. comm.

vid.

vid Cujac. tract. ad African. lib. 8. in explic. D.L. ſi fundus. Vult. in p. 2. Inſt. de empt & vendit. n. 71.

30. Venditor tenetur tantum de dolo ac levi culpa *d. l. cum autem.* 3. *verſ. quidquid. Inſt. de empt. & vendit.* fit enim emtio utriuſque tam emtis quam venditis cauſa huc fac. *l. ſi ut certo* 5. *§. nunc videndus* 2. *D. commod. l. ſi vendita* 11. *D. hic. l. ſi ſervus* 54. *§. quid ſi verſic. itaque D. de act. emt.* Ratio dubitandi I. *Ex l. cuſtodiam* 3. *D. hic. junct. §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* II. Cum venditor re venditâ ſibi ſublata furti habeat actionem, ex qua eſt commodum propter pœnam, non emtor *l. cum qui* 14. *D. de furt.* juſtum eſt ut & de læviſſima culpa teneatur venditor.

Ex tit. de action. Emt.

31. Venditor, ſi poſſit, tradere tenetur rem venditam: nec liberari poteſt oblatione ac præſtatione ejus quod intereſt *l. ex emto* 11. *§. 2. ff. h. §. aliæ Inſt. de donat. junct. l. ſi quis argentum. §. fin. c. eod.* ratio eſt evidens ne contractus fides violetur *contra l. 1. D. de conſtit. pecun. l. ſicut.* 5. *c. de oblig. & act.* ne aliud pro alio ſolvatur contra *l. mutuum.* 2. *§. 1. D. de reb. cred.* ſi id permiſſum eſſet venditori, non ſi duobus eandem rem venderet, in crimen falſi incideret l. 21. D. ad l. Corn. de falſ. vel in pœnam Stellionatus l. 3. §. 1. ff. ſtellionat. vid. Althuſ. *l. 1. decæolog. cap.* 74. *n.* 30. Tim. Fabr. *diſp. anim. ad tit. ruſt. de emt. & vendit.* & Buſc. *l.l.* 1. *n.* 2. *D. hic.* Arum. *exercit.* 14. *theſ.* 2. Ratio dubitandi I *ex l.* 1. *ex l. emto* 11. *§. idem ait.* 9. *ex l. ſi jactum* 12. *D. hic. ex l. ſi traditio* 4. *l. cum venditorem c. hic. ex l. ſi in venditione* 60. *D. de evict. ex l. ſi ita* 25. *D. de contrahend. empt. ex l. contractus* 17. *C. de fid. inſtrum.* II. Ex quibus cauſis in litem juratur in iis præſtari id quod intereſt ſufficit. *arg. l. penul. D. in litem jurand.* at in emtione quia eſt bonæ fidei, in litem juratur *l. in actionibus* 5. *D. eod.* III. Nihil damni patitur emtor, cum percipit quod ſua intereſt, quod autem mihi prodeſt & tibi non nocet, id Te

 oportet,

oportet, mihi concederet *l.38. D. de evict.* IV. Ad factum nemo compellitur, *l. si qui ab alio 13. §. 1. D. de re judic.* Tradere vero est facti *l. stipulatus 4. D. de usuris l. si rem tradi 28. l. stipulationes 72. p. 2. versic. idem puto D. de verb. oblig.* vid. Contarr. 2. *resol.* 19. *n.* 1. Vaud. *lib.* 1. *quæst.* 9. Donell. 13. *comment.* 2. *& in l. stipulationes 72. n.* 40. *D. de verb. obl.* Goed. *de contrahend. stipulat. c.* 9. *conclus.* 4. *num.* 65. *& seqq.* Fachin. 2. *controvers.* 30.

32. Emtor ex eo momento, quo ipsi tradita res est, quæ fructus nullos profert ad usuras tenetur, si pretium statim non solverit. textus est *l. Iulianus 13. §. veniunt verb.* Item Usuræ precii post diem traditionis D. hic. *l. curabit 5. verb.* Nactus possessionem *C. h.* Ratio dubitandi I. Sine interpellatione nemo est in mora l. mora 32. D. de usur. Ex mora verò in bonæ fidei judiciis usuræ debentur *d. l. mora 32. §.* 2. ipse enim venditor si sibi rem servasset nullos habuisset fructus: quo ergo jure petit ex pecunia re per se sterili, fructum, requiritur ergo, præter traditionem, mora. II. Non ob traditionem rei nudam sed ob fructus perceptos usuræ sunt solvendæ. *d. l. Iulianus §. veniunt 19. in fin. & §. seq. l. curabit 5. l. 5. fructus 13. C. h.* Unde cum res non parit fructus non potest peti usura.

EXERCITIUM XXXVIII.

Resp. PETRO OCCERTIO, Zirxæa Zelando.

Ex tit. locat. conduct.

THESIS PRIMA.

SUbstantialia locationis sunt 1. Consensus, 2. Usus, aut fructus aut opera 3. Certa merces, merces verò ex natura contractus consistit in pecunia numerata, *per l. naturalis 5. §. al. cum do. 2. D. de præscript. verb. l. 1. §. si quis servum 9. verbis: sed quia pecunia non datur, præscriptis verbis datur actio D. depos. l. 3. §. fin. D. mandat. junct. l. 2. D. h. & l. 1. §. 1. D. de contr. emt.* ad quæ loca accedit, quod colonus dica-

dicatur emtor fructuum, *l. liberto* 21. *D de annu. legat.* redemtor. *l. l.* 29. *D. h.* merces appelletur precium, *l. quod si domi* 28. § *fin. l. & hæc* 35. *h.* 1. *l. insulam* 58. *D. h.* & precium sit nummus *l.* 1. *ff. de contrahend. ent.* vid. Gomas. 2. *resolut.* 3. *n* 3. Mazz. *de locatione tit. de substantialib. n.* 13. Donell. 13. *commentar.* 6. Arumæ. *Exercit.* 14. *thes.* 10. Tim. Fabr. *disp. anniversar.* 24. *thes.* 6. Ratio dubitandi. I. Fit locatio annuis quantitatibus indistinctè *l. licet* 8. *c. h.* certa rei ponderatione *l si olei* 21. *c. h.* ergò non tantum pecunia numerata. II. Fructus in locatione domino præstantur l. excepto 18. c. h. & si duo, qui proprios fundos habent, convenerint, ut alternis annis alter alterius ita conductum haberet, ut fructus mercedis nomine pensaretur, actionem ex locato & conducto habent, cum *d. l. & hæc distinctio* 35. §. 1. *in fin. D. hic.* Partiarii dicuntur coloni qui conduxerunt ea lege, ut & locatores partem fructuum habeant *l. sed adde* 19. §. 3. *l. etsi merces* 25. §. *vis*, 6. *D. h.* III. Merces est apud Latinos Authores generaliter id quod pro labore, vel usu rei præstatur, ut Varro testatur, & ex communi usu verba valent. IV. Nullus textus ex iis quæ pro thesi allegati sunt, mentionem facit pecuniæ numeratæ, sed tantum simpliciter pecuniæ: notum vero est pecuniæ nomen generaliter accipi pro qualibet re *l. l. pecuniæ* 222. *de verb. sig.* Vide Dinel. *in l.* 2. *l. de resc. vend. part.* 2. *Rubr. c.* 3. *n.* 28. *& seqq.* Connan. 7. *comment.* 11. *n.* 1.

2. Non satis convenit uter locator vel conductor dicendus sit? Probanda videtur definitio statuentium eum dici locatorem, qui definita mercede rei usum alteri concedit, vel operam offert: conductorem cui rei usus & fructus conceditur, vel qui operam offerentis suscipit; ita exceptores, Notarii sive librarii artifices ac similes operas suas locant, *l. sed addes* 19. §. *per l. item si* 22. §. *cum insulam* 2. *in f. l. in operis* 26. *l. qui operas* 38. *D. l. si hi contra* 22. *C. h.* Vide Bocer. *in l. contractus* 23. *c.* 4. *n.* 9. *D. de reg. jur.* Gædd. *disput.* 8. *Th.* 2. *lit. D.* Ratio dubitandi. I. Qua ratione respondet JCtus in *l. videamus* 11. §. 3. *D. h.* cum

qui suscepit vinum transportandum, vinum conduxisse transportandum? in *l. item quæritur* 13. §. 1. *D.h.* Navicularium conduxisse onus Minturnas vehendum? In §. 2. *d. l.* 13. *D.* Magistrum navis, qui merces suscepit, teneri ex locato, in §. 3. *&* 4. *ibid.* quem conduxisse servum vel puerum docendum & ex locato conveniri? In §. 5. 6. contra eum qui gemmam includendam vel insculpendam, aut qui vestimenta polienda acceperit, ex locato dari actionem? In *l. ea lege* 51. §. 1. *D. h.* locari opus faciendum, ac redemptorem mercedem accipere? similiter *l. Marcius* 59. *l. cum in plures* 60. § *lege* 3. *D. h?* Vide Cujac. *in parat. C.h. &* 2. *observ.* 28. Wesemb. *in parat. D.h. n.* 2. Vult. 1. *jurisp.* 36.

3. Uxor divortio facto non potest expellere colonum, cui ad annum; sed eum cui ad longum tempus fundum dotalem locavit maritus: ita tamen ut si longius sit tempus datum, marito ejusve hæredibus caveat de indemnitate nomine damni, quod ex ea re sensurus est vel sensuri sunt ex actione conducti marito à conductore intentanda *l. si filiofam.* 25. §. *f. D. solut. matrim.* Vide *ibid.* Duaren. Ratio dubitandi. I. Uxor succedit singulariter, & est vera domina, ergo nihil præstat & intra annum expellit *arg. l.* 9. *C. l. si merces,* 25. *D. h.* II. Usufructuarius non potest onerare rem sua locatione, maritus est usufructuarius *l. dotis* 7. *D. de jur. dot.* Ergo nec ad annum, nec post cavebit. Vide Roman. *in d. l.* 25. §. *f. n.* 27. Berlich. *parte* 2. *conclus.* 45. *n.* 13. *& seqq.*

4. Sacerdos, cujus antecessor ad commodum Ecclesiæ, tanquam ejus administrator, locavit fundum, ut & pupillus si tutor locaverit tenetur stare locationi, *arg. l. si tutelæ* 8. *D. de administr. tut.* sive locatio sit utilis sive inutilis, modo collusio absit *l. Iulianus* 13. §. *si quis colludente* 27. *D. de act. empti.* Et locator non sit egressus tempus ad quod locari solent fundi *arg. d. l. si tutelæ* 8. *arg. l. vel universorum* 12. *verbo, solebat D. de pignorat. act. arg. l. semper in stipulationibus* 34. *verbis quod in regione in qua actum est, frequentatur sequamur, D. de reg. jur.* Hæc ita sunt interpretanda,

pretanda, ut si inutilis sit locatio facta, peti possit, restitutio in integrum *l. etiam,* 3. *C. si tutor vel curat. interv. junct. arg. l. respublica* 4. *C. quib. ex caus. major.* Sin autem antecessor ad plures annos addixerit usum fundi, cujus usus ad Pastorem tantum pertinet successor potest intra tempora locationis rei usum repetere *arg. d. l. emptorem* 9. *C. h.* adeo quidem ut conductorem habeat actionem adversus hæredes locatoris: quandoquidem antecessoris locationi inest tacitè hæc conditio *si vixerit usque in tempus contractui dictum,* siquidem is tanquam sacerdos locaverit *arg. l. in omnibus,* 68. *l. privilegia* 196. *D. de reg. jur.* Vide Covarr. 2. *var. resolut.* tom. 2. c. 15. Ratio dubitandi I. Administratio Ecclesiæ morte interit, post ejus ergo mortem non potest durare effectus; deficiente enim causa effectus deficit *arg. l. actione* 65. §. *morte* 9. *D. pro socio.* Vti enim prætor ultra annum sui imperii non potuit edictum propagare, ita nec privati suos contractus poterunt propagare ultra tempus vitæ quo administrant: II. Uxor obligatur ex locatione à marito facta, licet ad eam pertineat omnis rei utilitas *l. si filiof.* 25. §. *f. D. solut matrim.* cur non sacerdos?

5. Emptorem fundi non est necesse stare colono cui ante dominus locavit *l. emptorem* 9. *C. h. l. si merces* 25. §. 1. *D. h.* Idem in Domino qui fundum vindicavit à possessore *l. si quis domum* 9. *D. h.* In usufructuario *l. arbores* 59. §. 1. *D. de usufruct.* Ratio dubitandi I. Hæres locatoris ac conductoris eodem modo est obligatus quo defunctus qui contraxit §. *fin. inst. h.* Ergo & emtor, qui succedit in venditoris locum. Nec venditor potuit plus juris in emptorem transferre, quam ipse habebat *l. nemo* 54. *l. qui in jus* 177. *D. de reg. jur.* II. An non præstat hic servare regulam in *l. quotiens* 15. *C. de rei vind.* quæ vult ut is præferatur, cui res priori loco est tradita? ita si colonus fundo utatur, præferetur is emptori. III. Pacta omnino servari oportet l. 1. D. de pact. Nec admittere oportet ullam rationem qua malitiis indulgeatur *l. in fundo* 38. *D. de rei vind.* & suum jus cuiquam detrahatur *l. 2. D. de his qui sunt sui vel alien. jur.* IV. Præstat colono relinquere fructus

emptori pensionem *l. fin. verſ. Papinianus D. de jur. fiſci.*

6. Si ea lege emerit quis ne expellat colonum non poteſt eum expellere *d. l. emptorem* 9. *C. h.* Quin imo ſi dominus ædium vendiderit eas ac habitationem habitatoribus receperit, ſalva manebit, excepto venditore, habitatoribus omnibus, etiam iis qui gratis habitant, habitatio *l. mercedem* 53. *§. f. D. de act. empti.* Ratio dubitandi I. Pactum nunquam vel ſtipulatio tertio efficaciter poteſt fieri *l. ſtipulatio* 38. *§. alteri* 17. *D. de verbor. oblig.* II. Cum generaliter habitatio eſt recepta habitatoribus, non comprehenduntur ii qui gratis habitant *d. l. ſi mercedem* 53. *§. f.* Id enim ſummam habet rationem, cum illis, quibus gratuita habitatio conceſſa eſt, nulla detur actio contra venditorem.

7. Emphyteutæ, ſuperficiarii, quibuſque vel generaliter vel ſpecialiter res conductæ ſunt obligatæ conductoribus ad contractus ſecuritatem, ab emptoribus expelli nequeunt. Datur enim iis jus retinendi, cum jus in rem habeant, & ſint quaſi domini *l.* 1. *§.* 1. *D. ſi ager vectig. l.* 1. *§.* 1. *in fin. §.* 6. *D. de ſuperficieb. l. in ſpecial.* 73. *§.* 1. *& ll. ſeqq. D. de rei vind. l. ſi creditor,* 7. *§ f. D. de diſtract. pign. l. pignoris,* 17. *D. de pignor.* Vide Bart. *in d. l.* 9. Immol. *conſ.* 118. Quod adeo verum eſt, ut, licet emptores colonis qui pignus habent offerant quod ſua intereſt, non tamen coloni cogantur cedere, quia jus quæſitum in fructus iis auferri non poteſt. Ratio dubitandi I. Generaliter definitum eſt *d. l. emptorem* 9. *C. h.* emptorem non tenere ſtare locationi, at locatio eſt in Emphyteuſi *l.* 1. *&* 2. *D. ſi ager vectig.* in ſuperficie *l.* 1. *D. de ſuperfor.* Nec pignus ceu acceſſu principale jus conductionis poteſt immutare. II. Deſideratur ut ſpecialis ſit hypotheca & conveniat, ne res conducta vendatur *d. l. ſi creditor* 7. *§. f. D. de diſtract. pign.* Ita & ſæpius eſt judicatum Papon. 10. *arreſt.* 3. *n.* 1. *&* 1. *Notar.* 2. *c. de louage.* Imberd. *in Enchrid.* III. Oportet conductorem credere emptori, offerenti quod ſua intereſt *l. Paulus* 12. *in f. D. quib. mod. pign. ſolv.* Vide Rolland. à Valle 1 *conſil.* 6. *n.* 10. *& ſeqq.*

8. Res

8. Res alienæ locari possunt; ita tamen ut domino liceat prohibere *l. si tibi alienam 7. D. h.* Et si conductor alteri locaverit, eique qui secundò conduxit, à domino fiat interdictio, non liberabitur prior locator præstatione mercedis, quam prior conductor à conductore secundo pactus est, sed præstare debet omne id quod ratione ejus quod interest idem secundo conductori præstiterit *l. nos videamus 8. D. h.* Ratio dubitandi I. Dominus non potest prohibere, cum contractus locationis ad eum non pertinet, sed tantum vindicare *l. officium 9. D. de rei vind.* II. Prior conductor non consequitur omne, quod secundo conductori est præstandum nomine ejus quod interest, sed tantum mercedem quam secundus conductor ei promisit *d. l. si tibi alienam 7. l. ex conducto 15. §. ubicunque 7. l si fundus 33. l. 35. D. h.* Idem & æquitati congruit, ne in amplius teneatur locator primus, quam conductor prior à secundo conductore consequitur. *Vide de hac quæstione* Cujac. *in explicat. ad African. l. 35. D. h.* Anton. Fabr. 2. *conject.* 5. Arum. *exercit.* 14. *Th.* 11.

9. Servitutes reales non locantur *l. locare 44. D. h.* uti nec usus §. 1. Inst. de usu & habit. ratio juris quam Cujacius dat, quod locatio fiat ad tempus, & servitus ad tempus non possit constitui *l. 4. D. de servit.* satis non est conveniens. Ratio dubitandi I. Servitus rustica pignori dari potest *l. sed an viæ 12. D. de pignor.* cur non locari? Vendi potest servitus realis §. *f. Inst. de servit. præd. rustic.* cur non locari? cum arctissima sit affinitas inter emptionis & locationis contractum *l. 2. D. & §. 1. Inst. h.* Ususfructus *l. arboribus 12. §. 2. D. de usufr.* Vectigal publicum *l. f. C. de vectig. & commiss.* feudum *cap. un. §. 1. qualiter olim poterat feud. alien.* locantur, cur non servitus realis? II. Cur magis habitatio locatur quam usus, cum par sit juris causa in usufructu ædium ac habitatione *l. si habitatio 10. D. de usu & habit.* & usuario sit permissum ab inquilino recepto pensionem percipere *l. cui usus 2. in fin. l. 4. pr. D. eod.*

10. Locatio rei recte fit in perpetuum *l. viam 10. C. h. l. qui fundum 32. D. h.* nec per hoc dominium in conductorem

ctorem transit *l. non solent* 39. *D. h.* Ideoque conductori nec directa nec utilis actio competit ad rem vel jus suum vindicandum cum amisit possessionem. Nec etiam contractus hoc modo initus, in emphyteusim degenerat. intentionem enim agentium spectari oportet *l non omnis* 19. *D. de reb. credit.* & secundum eam proprietates naturales locationis sunt servandæ. vid. Alvar. Valasc. *de jure emphyt. quæst.* 29. *n.* 28. Connan. 7. *comment.* 12. Welem. *parat. D. h. n.* 8. Ratio dubitandi I. Cui prædium perpetuo est locatum is habet actionem in rem. *l.* 1. §. 1. *D. si ager vectig. l.* 1. §. *autem D. de superfic.* ac consequenter vel jure civili vel gentium est dominus *l. in rem.* 23. *D. de rei vind.* Proprietas abscedente semper usufructu est inutilis §. *ususfructus* 1. *Inst. de usufr.* ac conductor plenam in re habet potestatem. II. Contractus quo perpetuo datur fundus utendus, fruendus, emphyteusis dicitur apertè. §. *adeo* 3. 3. *Inst. h.* vide Sermien. *lib.* 3. *select. interpretat. c.* 2. *n.* 21. *& seqq. aliosq; apud* Alvar. Valasc. *d. quæst.* 29. *n.* 5.

11. Dubitandum non est quin quis suas operas perpetuo alteri possit certa mercede addicere *l. viam* 10. *C. h.* Azo *in summ. ibid.* hujus rei hic erit effectus, ut qui eas debet, non possit ad eas cogi, si nolit, sed liberatur præstatione ejus quod interest *arg.* §. *fin. Inst. de verb. oblig. l.* 13. §. 1. *D. de re jud.* vid. Coler. *de process. execut. part.* 1. *c.* 9. *n.* 27. Covarr. *de Sponsalib.* 2. *part.* 7. *n.* 5. Soar. *in Thesaur. recept. sentent. lit. O. n.* 16. Ratio dubitandi. Pugnat cum libertatis jure, ut quis perpetuo alteri inserviat, nunquam sua, sed alterius negotia agat *l.* 2. *D. de hom. liber exhib.* legibus vero est cautum ne quis se servum faciat *arg. l Titio* 71, §. 2. *D. de condit. & demonst. l. conventio* 37. *D. l. nec si volens* 6. *l. interrogatam* 24. *C. de liberali caus.* Vide Sichard. *in rubr. C. h. n.* 6. *&* 9. *post.* Dyn. Cyn. Alber. de Rosate.

12. Exigit æquitatis ac commiserationis ratio, ne famuli, morbo aliave justa causa impediti officium suum præstare, in continenti ab iis quibus inserviunt domo expellantur; verum si diutius suas non exhibeant operas integram

tegram mercedem petere nequeunt. Rescriptum est ab Antonio, non immerito vecturam repeti, cum nauta munere vehendi non est functus *l. ex conducto* 15. §. *item* 6. *D. h.* Vide Gomer. 2. *resolut.* 3. *n.* 3. Bartol. *in d.* §. *item* 6. Nec enim casus contingens in persona ejus, qui operas debet, nocere debet ei, cui præstari debebant. Ratio dubitandi I. *ex l. qui operas* 38. *pr. &* §. 1. *D h.* *ex l. sed addes* 19. §. *cum quidam* 9. *D. h.* III. *ex l.* 1. §. *Divus Severus* 13. *D. de var. & extraord. cognit. l. post.* 15. §. 1. *C. de Advocat. divers. judicior.* IV. *ex l. f. inf. D. ad l. Rhod. de jact.* V. *ex l. pen. C. de condict. ob caus. dator.* VI. *ex l. cum hæres* 4. §. *stichus* 5. *D. de statu lib.* VII. Casus fortuitus nocet domino non debitori, *l.* 9. *C. de pignerat. act. l.* 23. *D. de verbor. oblig.* vide Vand. 1. *Quæst.* 7. Math. Stephan. *cent.* 3. *quæst.* 75.

13. Conductor expelli potest ex ædibus conductis ante tempus conductioni dictum 1. si non solverit mercedem per biennium *l. æde* 3. *C. h. junct. l. quæro* 54. §. *D. h.* licet convenerit de eo non expellendo *d.* §. 1. atque hoc casu nec id quod interest nec pœna promissa, si locator expulerit, debetur. 2. si dominus docuerit ædes propriis usibus suis vel suorum esse necessarias *d. l. æde,* 3. si dominus ex necessitate ædes corrigere voluerit *d. l. æde,* 3. 4. si conductor male in re conducta versetur *d. l. æde,* 3. Ratio dubitandi ad 1. Non requiritur biennium, quia non fit ejus mentio in *d. l. æde,* 3. nec obstant textus in *d. l.* 54. §. 1. & in *d. l.* 56. quia in *d. l.* 54. exempli causa biennii fit mentio, non de inquilino, sed colono eoque non simpliciter accepto, sed cum pacto de non expellendo. ac deinde in *d. l.* 56. non de eo, qui expellendus est, sed cujus bona sunt annotanda, non de præsente sed absente conductore tractatur. Ad 2. valde absurdum id esse videtur, ac pugnat cum intentione contrahentium, quæ est, ut conductor possit locata re frui interim. *l. si quis domum* 9. *D. h.* A venditione semel ritè inita non licet recedere, quomodo à locatione, quæ fructuum ac usus rei venditio? Imputet sibi dominus quod locaverit. ad 3. Inquilinus potest prohibere refe-

ctionem,

ctionem vel ædificationem; daturque super hacre interdictum, non ut expellatur inquilinium, sed ne possideat *l. si duo* 3. §. *inquilinus* 3. *D. uti poßid.* Ad 4. Contractus nominatus non est rescindendus ex eo, quod alteruter ex contrahentibus non satisfaciat conventioni, sed in id quod interest agendum est *l.* 1. *D. de act. empt. l. empti* 9. *C. de contrah. empt. l.* 2. *C. quand. lic. ab empt. disced.*

14. Male uti re conducta est, cum fit deterior *arg. Auth. qui rem hujusmodi C. de SS. Eccles.* Deterioratio vero non debet esse levis, sed major, ut cum arbores sunt excisæ, quæ non cæduæ, vel gremiales fuerint excisæ vel per ipsum conductorem *l. fructus* 7. §. *si fundum* 12. D. *locati cond.* vel per alium ob inimicitiam conductoris *l. si merces* 25. §. *culpa* 4. D. *h.* Id vero omne cum in facto consistat est arbitrio judicis committendum *arg. l. mora* 32. D. *de usur.* Ratio est quia cum ipse bonam fidem non servet rejici debet *arg. l. quæro* §. 1. D. *h.* Quæstionis autem est an integram pensionem teneatur solvere, & insuper damna resarcire. Affirm. ita tamen ut si intra tempus, ad quod locavit, ab alio aliquam mercedem percipiat, eam reddat priori conductori locator, ac sumptus necessarios exsolvat. Non enim debet locupletari locator cum alterius damno. *l. nam hoc* 14. D. *de condict. indeb.* & malæ fidei possessor ac mala consequenter fide ædificans recipit sumptus necessarios. Ratio dubitandi I. Ex *auth. qui rem hujusm. C. de SS. Eccles.* II. Cum sua culpa damnum sentiat non videtur sentire *l. nec hoc iniquum* 15. D. *si quis omiss. caus. test.* Vide Cyn. Salic. Sichard *in l. æde* 3. *C. h.* III. Non debet distingui utrum major vel minor fuerit deterioratio, cum justitia non ex quantitate, sed ex qualitate jus dicat; & tam sit in minimo quam in maximo, cum de damno resarciendo agitur, bona fides servanda *l.* 1. §. *illud* 10. D. *de conjung. cum emanc. l. si proprietarius* 22. *in f. pr.* D. *de damn. infect. Nov.* 69.

15. Si conductor malis moribus det operam, pone cum lupanar exercere quid juris? Distinguendum est, aut rei sit præjudicium aut personæ, aut non. Rei si simul sit abusus

abusus rei, excutiantur fenestræ, domus reddatur infamis. Personæ, si locator male audiat. hoc casu expelli docet Cyn. *in l.* 3. *C. h.* non illo. Baldus vero distinguit inter personas & loca. Si homini bono sit locata domus, erit expellendus. si quem sciverit esse talem locator, non expelletur, nisi vicinia agat. Si loca sint famosa, maneant, si sint honesta expellatur. Ratio dubitandi. I. In totum sunt expellendi *arg. l.* 12. *C. de re milit.* II. Ex *l. non aliter* 7. D. *de usu & habit.*

16. Si domus ac hortus uno ac eodem contractu locentur, etiam in totum est expellendus. Qui enim parte male utitur re ipsa male utitur. Adde arg. ex l. etiam *si partis* 111. D. *de legat.* 1. *l. & si non totam* 13. D. *si quis omiss. caus. test.* ac absurdum esset ut si quis imo cubiculo abuteretur, ex cubiculo tantum ejiceretur. Ratio dubitandi I. Pœna non debet excedere delictum. II. Vasallus partem fundi alienans sine domini consensu, tantum partem amittit. *c. un. de vasall. qui feud. contra constit. Lothar. alien.* 2. 38.

17. Conductor sumptus ad perpetuam utilitatem ob fructus colligendos ac asservandos in rem conductam factos jure repetit. Pone, ab eo ædificatum esse horreum, in quod vehantur fructus. Pone vineas esse institutas ob quas pluris potest fundus locari *l. dominus horreorum* 55. §. 1. *l. colonus* 61. D. *h.* Pone viam publicam esse refectam, aquæ ductum purgatum *l.* 1. §. 3. *in fin.* D. *de via publ.* Vide Fachin. 1. *controvers.* 85. post Ruin. & Roll. à Vall. non enim æquum est ut dominus locupletetur cum alterius jactura. Ratio dubitandi I. Imputet sibi conductor, qui, sciens esse alienũ solum, in eo ædificat. Semper enim ei potest objici culpa, ex qua non censetur damnum pati *l. adeo* 7. §. *ex diverso* 12. D. *de acq. rer. dom.* II. Tollat potius conductor quod ædificavit: id enim tantum ex æquitate ei est permissum *l. Iulianus* 37. *in fin.* D. *de rei vind.* III. Inauditum est, ut qui fructus percipit, impendia ob & in fructus facta ipse non ferat. *l. fructus* 7. §. *f. vers. sed hæ impensæ* D. *solut. matrim.* maxime cum ob impensas majorem uti-

litatem

litatem sit consecutus: quem autem sequuntur commoda, illum & incommoda *l. secundum* 10. D. *de Reg. jur.* IV. Ineatur potius hæc ratio, ut cum fructibus compensentur pro rata sumptus *l. sumptus* 48. D. *de rei vind.* Vide Castrens *lib.* 2. *consil.* 270.

18. Certi juris est, quod sterilitates, quæ lue tempestatis vel alio cœli vitio eveniunt ad onus domini pertineant. *l. licet.* 8. *C.h.* Idem statuendum est si per vim, cui resisti non potest, fructus sint sublati vel corrupti; sive ea sit vis ab hostibus illata, sive à flumine sive à graculis aut sturnis *l. ex conducto* 15. §. *si vis*, 2. D. *h.* aut à repentino incendio damnum. *d.l. ex conducto* §. 3. Hac in re tres quæstiones oriuntur. Prima est an recte id sit constitutum? altera qualis debeat esse sterilitas, ob quam remissio vel exoneratio mercedis fieri debeat? Cum hæc res in facto consistat, primo ad arbitrium judicis decurrendum est. *arg. l. mora* 32. D. *de usur. & mor.* Variæ enim concurrunt hic circumstantiæ personarum ac factorum, adeoque impossibile est certo ac uno modo rem omnem explicare. Pone colonum esse divitem, dominum pauperem, qui si nihil accipiat inedia sit periturus, huc facit. *l. in fundo* 38. D. *de rei vind.* Pone colonum ut plus ex fructibus redigeret consevisse agrum semine, quod rarius, cum ex eo incertus sit proventus ac fructus, prudentiores agricolæ solent terræ committere. huc facit *l. nec hoc*, 15. D. *si quis omiss. caus. testam.* Pone ei agricolæ, qui conqueritur, soli, non aliis periisse fructus: labores non convenienti tempore esse factos: diligentiam exactissimam non fuisse adhibitam. huc facit *c. damnum* 86. *de reg. jur. in* 6. *l. quod quis* 203. D. *eod.* Deinde si nihil eorum, de quibus supra, vel simile concurrat, erat ea demum sterilitas reputanda, cum deductis opera ac sumptibus dimidia pars mercedis haberi nequit ex fructibus, ea enim est enormis læsio in emptione, cum quis ultra dimidium in pretio est deceptus *l. rem majoris*, 2. *C. de rescind. vendit.* ac consequenter in locatione, quia ea ejusdem juris regulis censetur *l.* 2. D. *h.* nec aliam enormis læsionis definitionem jura tradiderunt: quocirca ea
&

& in hac re est retinenda *arg. l. non possunt* 12. *D. de legib.* Tertia quæstio est: quousque remitti mercedem oporteat? æquior ac juri magis consentanea est sententia: quod si dimidium mercedis non possit confici ex fructibus, merces sit remittenda; ita, ut, si ex fructibus, deducta omni impensa ac opera, nihil sit receptum, nihil præstetur, *arg. d. l. ex conducto* 15. §. *si vis* 2. Alias si quid collectum, tantum mercedis nomine solvatur, quantum redactum est *arg. d. l. ex conducto* 15. §. *ubicunque* 7. *verbis exonerationem pro rata.* Sin autem ex fructibus, deductis iis, de quibus ante, haberi possit pars dimidia mercedis, nihil remittendum est *arg. l. si merces* 25. §. *vis major* 6. *D. h.* Id vero his adjiciendum, quod licet merces remittenda sit, nunquam tamen ex hisce causis agi possit in id quod interest. *d. l. ex conducto* 15. §. *ubicunque* 7. Ratio dubitandi ad I. 1. conductor est emptor fructuum *l. liberto* 21. *pr. D. de ann. leg.* Emptor vero omnem casum præstat. §. 3. *Inst. de empt. ac vendit.* 2. Conductor fructus immodicos non tenetur restituere d.l. si merces §. vis major 6. D. h. Ergo æquo animo feret, si immodicum damnum patiatur *arg. l. secundum* 10. *D. de reg. jur.* Ad II. 1. Præstat definiri sterilitatem ex vulgi opinione, *arg. l. cum lanionis* 18. §. *item in f. D. de instruct. & instrum. leg. l.* 1. *D. de usur. l. semper* 34. *D. de reg. jur. l. si chorus* 79. §. 1. *D. de leg.* 3. *l. si arbor* 28. *D. de probat. l.* 1. §. 1. *D. de fluminib.* Vide Hostiens. Imol. *in c. propter sterilitatem* 3. *x. h.* Sichard. *in d. l. licet* 8. *num.* 13. *in f. C. h.* II. Satius est tunc proprie ob sterilitatem remitti mercedem, cum conductor non est consecutus semen *per d. l. ex conducto* §. *si vis* 2. *vers. sed & si labes, &* §. *ubicun.* 7. III. Rectius fecerimus si damnum dimidiæ fructuum eorum, qui percipi solebant, sterilitati imputaverimus, uti sensit Ruin. 1. *consil.* 81. 87. Ad III. In genere est definitum *d. l. ex conducto* 15. §. *si vis* 2. omne damnum pertinere ad dominum indistinctè, modo ex casu fortuito obvenerit: Non ergò distinguendum est.

Ex titulo Cod. de jure Emphyteutico.

19. Emphyteusis est contractus, quo dominus alteri concedit rem immobilem utendam fruendam ad meliorandum, præstito annuo canone in recognitionem dominii. Giphan. *ad tit. Cod. h.* Paulo aliter definitur à Schradero ad §. 3. *Inst. de locat.* Alvar. Valasc. *quæst.* 1. *Iuris Emphyteut. n.* 2. Tulden. *ad tit. Cod. h. n.* 1. hunc contractum esse bonæ fidei, non ambigo, Connan. 7. *comm.* 12. Tuld. *d. l.* Ad ejus perfectionem desiderari scripturam, probant *l.* 1. *C. h.* Bronch. *cent.* 1. *Assert.* 79. Sichard. *ad d. l.* 1. Nec tantum ad probationem necessariam esse, sed & esse de substantia quoad perfectionem, videtur mihi verius *d. l.* 1. vide Alvar. Valasc. *late d. tract. quæst.* 7. Nec tantum in fundo, sed & in ædibus eam constitui posse, indicatur *l. finita §. si de vectigalib. D. de damn. infect. Nov.* 120. *c.* 1. *Auth. si quas C. de Sacros. Eccles.* Si solum vel ædes sint Ecclesiasticæ, Ecclesiastica; si non sit solum Ecclesiasticum dicitur Emphyteusis civilis. Treutl. *vol.* 1. *Disput.* 29. *Thes.* 9. *in fine.*

20. Constitui potest jus Emphyteuticum ad tempus, & in perpetuum. Clar. §. *Emphyteus. q.* 28. Constituta Emphyteusis civilis ad quosvis hæredes transit *d.* §. 3. *Inst. de locat.* Ecclesiastica tantum ad descendentes etiam ultra pronepotes. Sed excipi oportet eam quæ est à Majori Ecclesia Constantinopolitana, & in ædibus quæ intra eam urbem sunt *Nov.* 7. *c.* 3. *Nov.* 120. *c.* 6. §. 3. Clar. *d. quæst.* 28. *n.* 2. hanc in Nepotibus finiri certum est. An & Emphyteusis temporalis finito tempore renovata censeatur per taciturnitatem ad instar locationis multi ambigunt. Præstat id negari, quia scriptura non nudo consensu fit *d. l.* 1. *C. h. ubi* Jason. Nec constitui posse si ab initio res locata sit, per uniformem canonis præstationem puto. Emphyteusis si sit simpliciter constituta præsumitur perpetua *arg. d.* §. 3. *Inst. de locat. ubi* Schrad. *n.* 19.

21. De

21. De Canone multæ incidunt quæstiones. An in pecunia numerata tantum consistat & necessario? Negat Schrad. *d. loc. n.* 17. Clar. *d. quæst.* 28. Giphan. *ad. l.* 2. *C. h.* An ob sterilitatem debeat fieri pensionis remissio? Negatur *arg. l.* 1. *C. h.* An ob inundationem? siquidem inundatio rem totam non tollat, non debere compelli dominum ad remissionem probabilius est. An Emphyteuta intra triennium in civili Emphyteusi non solvens pensionem, suo cadat jure & expelli possit, si non fuerit interpellatus? utique *l.* 2. *C. h. ubi* Sichard. *N.* 3. Quid si non solverit totum debitum? Melius & benignius est, ut non expellatur *arg. d. l.* 2. *arg. c.* 9. *x. de pœn.* Coras. *ad d. l.* 2. *C. h.* An ipso jure amittat jus Emphyteuticum Emphyteuta cessans in solutione canonis? Affirmo, modo dominus declaret suam voluntatem *arg. d. l.* 2. *& ibid.* Jason, Harprecht. *ad d.* §. 1. *Inst. de locat. n.* 520. An valeat pactum de non expellendo ob cessationem in solutione pensionis? Affirmo, Bronchorst. 1. *Miscell.* 42. An dominus possit propria authoritate Emphyteutam, ob cessationem expellere? Non videtur. Bronch. 1. *Assert.* 82. An Emphyteuta fructus, quos ante denunciationem domini percepit, suos faciat? Affirmo *arg. d. l.* 2. Fachin. 1. *controv.* 94. An Emphyteuta possit pro futuris aliquot annis invito domino pensiones solvere aut deponere? Negat Harprecht. *ad d.* §. 3. *n.* 110. *per. l.* 59. *D. de solut. l.* 122. *D. de verbor. oblig. l.* 1. *C. de condict. ex lege.* At magis contraria sententia arridet; cum quis ante diem recte solvat, modo idem solvatur quod debetur. An patre cessante & suo jure cadente, filius non debeat admitti? Negat Bald. *in l.* 8. §. *patronum D. de in jus vocand.* An uno ex hæredibus non solvente canonem, jus Emphyteuticum reliquis cohæredibus recte solventibus pereat? Benignius sunt pœnæ interpretandæ. Harprecht. *ad d.* §. 3. *n.* 510. *&* 511. Fachin. 1. *controvers.* 97. An hæres rem ignorans Emphyteuticam esse, & cessans in solutione jus suum amittat? Ignoranti subveniendum *l.* 29. *D. Mandati.* An deteriorans cadat suo

jure? Negandum videtur. Hartm. Pistor *lib.* 1. *quæst.* 28. An qui per cessationem jure suo excidit, amittat meliorationes, quas ex natura contractus facere debet? Affirmat. Sand. 3. *decis. fris. tit.* 6. *definit.* 6. At id paululum ex æquitate mitigandum. An mora oblatione pensionum possit purgari? Negatur, *arg l.* 12. *C. de contrah. & commit. stipul. l.* 23. *D. de oblig. & act.* Bronchorst. *cent.* 1. *Miscell. c.* 46. Fachin. 1. *Controv.* 95. Et hic temperamento opus est. An dominus accipiendo, post elapsum tempus, canonem renunciet suæ actioni? Eum æque expellere Emphyteutam posse, puto verius, modo ante suam voluntatem de expellendo declaraverit. *Vide* Tuld. *cod. h. n.* 15.

22. Statuo Thesaurum inventum in fundo Emphyteutico pertinere ad lucrum domini *arg.* §. 39. *Inst. de rer. divis.* dissentit Giphan. *ad l.* 2. *C. h.* Alluvionis commodum, quoad proprietatem domino; quoad usum, Emphyteutæ cedere; Domum exustam, quæ data erat in Emphyteusin, non esse restituendam ab Emphyteuta, nisi domus sit accessio fundi emphyteutici, affirmo. Si duobus jus Emphyteuticum sit pactione constitutum, unusque sit in possessionem inductus? puto præferendum eum, qui in possessione est *arg. l.* 15. *C. de rei vind.* Errant interpretes, qui pactioni de Emphyteusi tribuunt eam efficaciam, ut jus in rem constituatur; nisi id utilitatis ratione accipiamus.

23. Emphyteuta jus suum alienare inscio domino non potest. Debet enim ante requiri Dominus *l.* 3. *C. h.* Quid si in contractu Emphyteutico dederit dominus potestatem alienandi? Non erit imponendum Emphyteutæ, ut post requirat consensum sui domini *d. l.* 3. *junct. l.* 29. *C. de pact.* Id pactum de alienandi potestate etiam proderit hæredibus Emphyteutæ: Harprecht. *ad d.* §. 3. *n.* 324. Nomine alienationis hic comprehendi venditionem extra dubium est. An & donatio comprehendatur? Non video id deduci posse ex *d. l.* 3. *arg. l.* 1. *C. de fund. patrim. l.* 71. §. *f. D. de legat.* 1. An permutatio? An in do-
tem

tem datio? Negatur *arg.d.l.3.ubi Iason n.* 101. 107. An servitutis constitutio? Affirmo *arg.l.f.C.de reb.alien.non alienand. junct.d.l.*3. An oppignoratio? Negatur *l.* 16. *§ f.de pignorat. act.l.*31. *de pignor.* Clar. §. *Emphyteusis q.*18. Gail. 2.*obs.* 25. Quid si Emphyteuta vendiderit & nondum tradiderit? Melior est sententia quod non sit locus commisso. sunt enim verba cum effectu accipienda: Giphan. *ad d.l.*3. Quid, si partis sit alienatio facta? secundum illam partem committitur. Vide Grammat. *decis.*49. Quid si Emphyteuta vendat, ut fiat cum consensu domini? Non video cur dominus Emphyteutæ possit adimere jus Emphyteuticum. Quæritur à multis an invito domino possit Emphyteuta fundum suum deserere? Negatur *arg. l.*3. *C. de fund. patrimon. l.*3. *C. de omni agro desert.* An commissum Emphyteuseos præjudicet iis, quibus jus suum Emphyteuta oppignoravit? Negatur. Vide Tuld. Cod. h. n. 20.

Ex tit. De Æstimatoria.

24. Contractus æstimatorius est contractus innominatus, quo agitur, ut cum res æstimata vendenda datur, aut res, aut æstimatio, de qua convenit, reddatur *l.* 1. *D. h.* De periculo rei quæritur, an sit ejus, qui rem suscepit? id innuitur *l.* 1. §. 1. *D.h.* At res sic temperanda est, ut procedat, si in specie convenit, ut æstimatio reddit possit: Costal. D. *ad d.l.*1.*hic.* Si autem fiat æstimatio, ut intelligatur, quanto pretio vendi debeat: hoc casu qui suscepit non ex omni periculo ac casu fortuito tenebitur, sed sequi oportet distinctionem *l.* 17. §. 1. *D.de præscript.verb.Vid.* Bus. *ad d.l.* 1. §. 1. Connan. 7. *comm.* 15. *n.* 4. Quid si pluris res fuerit vendita, quam erat æstimata? Spectari debet quod actum est *l.* 34. *D. de reg. Iur.* Si de eo non possit constare, in dubio restituetur æstimatio, de qua convenerat *d.l.* 1. §. 1. Quid si qui recepit sibi velit rem retinere, & æstimationem solvere? Non dubito, quin id fieri possit, modo convenerit, ut res ipsa, aut æstimatio reddatur: secus si æstimata vendenda simpliciter sit data.

Ex tit. de Præscript. verb.

25. In contractibus innominatis licet pænitere *l. 3. §. Idem erit. l. si pecuniam 5. D. de condict. ob caus.* addit Costal. *ad l.* 5. hasce limitationes. I. Nisi aliud inter partes convenerit. *l. si alienam §. 1. D. de donat. caus. mort.* II. Nisi permutatio rerum venalium sit facta *l. 1. D. de permut.* Jason *in l. 11. D. de reb. cred.* III. Nisi contractus fiant per conditionem *c. verum. de condit appos.* IV. Nisi juramentum sit appositum. V. Nisi primum aliquid sit datum, deinde ex intervallo convenerit ut aliquid fiat. Bart. Jason *in l. si cum fundum C. de pact.* VI. Nisi res desierit esse integra *d. l. 5. D. de condict. caus. data.* Et si res desierit esse integra non sufficit oblatio, nec oblatio vim implementi habet. Costal. *d. loco.*

FINIS.



INDEX

INDEX
Titulorum qui hoc libello continentur.

In-

L.

M.

N.

FINIS.

ARNOLDI VINNII, J.C.

ORATIO

Habita in funere VIRI Cl.

D. BERNARDI SCHOTANI,

Primarii Juriſprudentiæ PROFESSORIS,

XXIV. *Octobr.* CIↃ IↃCLII.

BENE ac ſapienter Majores noſtri judicaverunt, ſpectatiſſimi Auditores, ſacram eſſe debere magnorum virorum memoriam, atque hanc ipſam optimè repræſentari, cùm recenti adhuc luctu acriùs in defunctorum amorem agimur. Mandavimus hodie terræ præſtantiſſimum atque eruditiſſimum Virum Bernardum Schotanum, cujus Viri tot ac tanta in illuſtres Academias, Franequeranam, Ultrajectenſem, & vel maximè in hanc noſtram extant merita, ut quicquid honoris impenſum ante exequiis clariſſimorum Profeſſorum antiquo more fuit, id neutiquam denegandum ſit hujus noſtri recens defuncti memoriæ. Ac vos quidem ea omnia, quæ veſtrarum erant partium, jam peregiſtis, & quicquid defuncti manibus debebatis, ritè perſolviſtis, poſtquam à vobis terræ traditus, & ſepulchro ſolenni funere conditus eſt. Nec dubito, quin, ſi quis hominibus rerum humanarum poſt mortem relictus eſt ſenſus, ſanctiſſimus & fœliciſſimus Bernardi Schotani animus illâ tam honorificâ exequiarum pompâ,atque hoc extremo

vestro pietatis officio mirificè delectetur. Unus adhuc actus superest memoriæ magnarum animarum debitus, quem vobis quiescentibus, ac tristissimæ cogitationis secreto interim fruentibus mihi expediendum Rector & Senatus hujus Academiæ mandaverunt, nempe ut ejus, quem, quòd omnes sciunt, propter singularem eruditionem cæterasque insignes animi virtutes præcipuè semper colui, & quoad vixit, veneratus sum, nunc mortui ac sepulti laudes publico præconio prosequerer, atque hoc ipso in loco de vitâ, moribus, studiis, atque institutis optimi & integerrimi viri verba ad vos facerem. Non deerant mihi causæ excusationis, & vel ob id unum, quod non ita pridem piæ memoriæ Collegæ nostro Nicolao Dedelio parentaveram, detrectare hanc provinciam, atque in alios ex more rejicere potueram. Sed occurrebat animo antiquus ille & laudatissimus Romanorum mos, apud quos in præstantium virorum funeribus ii defunctos pro rostris laudare solebant, aversique facem primi rogo admovere, qui defunctis chariores fuerant, & cum iis vixerant familiarius, non semper qui facultate dicendi aliisve animi dotibus cæteris antecellebant. Quamobrem nihil obtendere volui. Quin ultrò professus sum ipsum etiam D. Schotanum non multò ante quam diem suum functus est, meæ fidei commisisse, ut ne extremum hoc pietatis munus ipsi denegarem: velle me morem gerere amicissimo Collegæ, fideique meæ commissum manibus defuncti persolvere. Nolite verò, Auditores, lon-

gam hîc à me expectare eorum omnium, quæ relatu digna defuncto nostro evenerunt, quæve ipse digna laude in vitâ suâ gessit, commemorationem. Pleraque illa nos latent. Nihil admodum ipse de se, quod quidem ad nos pervenit, annotavit. Tantùm paucula quædam subministrata nobis sunt à reverendo Viro D. Samuele Althusio defuncti nostri affine. Quæ cujusmodi sint, & præterea quæ nos ipsi de summo viro comperta habemus, bonâ fide vobis repræsentabimus.

Natus est Bernardus Schotanus Franequeræ, quod oppidum Frisiæ Occidentalis est, Leoverdiam inter & Harlingam situm, in solo uberrimo & lætissimo cùm ad arandum, tùm ad pascendum: cujus loci amœnitate, munditie, ac salubritate rerumque omnium affluentia delectata quondam nobilitas valde frequens domicilia ibi posuit, ut nusquam fere tota Frisia frequentius; quam ob causam à nonnullis nobilium sedes hoc oppidum nominatum fuit. Atque ut est proximum Leoverdiæ, ita & meritò post Leoverdiam, ubi sedes Curiæ Provincialis est, prima inter regionis civitates numerari potest, non propter antiquitatem, magnitudinem, aut opes, sed quia illic Musarum sedes ab Ordinibus illius Provinciæ erecta, quæ illam præ cæteris claram & illustrem reddidit. Natus ibi est Schotanus noster anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Nonis Octobris: qui annus comprimis celebris est conciliatione pacis inter duos potentissimos Reges,

Henricum IV. Galliæ, & Philippum II. Hispaniarum, ejusdemque Philippi Regis dira & infami morte non multò post & eodem anno insecuta. Patrem habuit Henricum Schotanum juris utriusque Doctorem, & Professorem Primarium in illâ, quam diximus, Frisiorum Academiâ, quam ille Provinciam magna cum laude & commodo studiosæ Legum Juventutis viginti annos sustinuit, ab incunabulis nimirum ejusdem Academiæ usque ad mortem suam, quæ incidit in annum millesimum sexcentesimum quintum, quo tempore noster Schotanus agebat annum ætatis suæ septimum. Oblatam aliquando Patri fuisse Senatoriam in suprema Frisiæ Curia dignitatem accepimus, sed illum recusato modeste honore sibi ultro delato maluisse in studiis Academicis otioque hoc literario consenescere, quam toties torturis & quæstionibus reorum capitalium criminum, quas omnes curia legibus ac moribus patriis sibi vindicat, interesse aut præesse: id illum à miti & clementi suo ingenio impetrare non potuisse. Mater ei fuit Gertruda Meinardi Poll, Consularis Leoverdiensis filia & proles unica, quæ singulari pietate & erga sobolem charitate ducta, post obitum mariti liberos suos, quos octo ei maritus reliquerat, interque eos filios duos, Meinardum & Bernardum nostrum, literarum studiis jam dicatos, non destitit assidue salutaribus monitis & vivo suarum virtutum exemplo ad pietatem, modestiam, humilitatem & injuriarum oblivionem extimulare, linguæ Latinæ non plane ignara, & quod rarum tunc

tunc temporis illo in tractu, Gallici sermonis facilem ac promptum usum habens. Quibus Præceptoribus noster sit usus in tirocinio & prima disciplina non ausim affirmare: sed credibile est eosdem illum habuisse, quorum opera fratrem Meinardum usum, Simonem nempe Bernardum, & Johannem Fungerum, cujus nomen scriptis editis inclaruit, testatur clarissimus & reverendissimus D. Gisbertus Voetius in Oratione funebri, quam in obitum Meinardi Collegæ sui in professione Theologicâ octo ab hinc annis Ultrajecti habuit. Rude donatus noster à ludimagistris ad præclara illa & verè nobilia juris utriusque studia se contulit, primùm in Academiâ patriâ, ubi præceptore in primis usus est, quem & summè dilexit, Timæo Fabro, magno & non vulgari eruditione prædito Jurisconsulto, quod egregia ejus scripta testantur. Mox & in hanc Academiam se contulit, ubi publicè docentes per biennium audivit Cornelium Svvanenburgium, Johannem Linderhusium, Cornelium Sylvium, & qui tunc recens in ordinem Professorum juris allectus erat, Petrum Cunæum, omnes magni nominis jurisconsultos. Precipuè tamen ab ore pependit Cornelii Swanenburgii: ac tandē in patriam reversus Doctor utriusque juris à Timæo Fabro creatus est anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Cæterum non ille intra Cæsarum Pontificumve scita se continuit, aut totum adolescentiæ suæ tempus solius Juris civilis aut canonici studio impendit, quod pravo more plerique nunc facere

ſolent, ſed per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque tranſegit. Græcas non minus quàm Latinas literas addidicit, omnemque penitus antiquitatis memoriam percepit. Diſciplinas Mathematicas tam avidè hauſit ſibique familiares fecit, ut etiam liberalium artium Magiſter ante juſtam ætatem creari meruerit. Adhæc & Theologiæ rerumque ſacrarum ſtudioſiſſimus fuit, & immane quantùm in harum rerum cognitione profecerat ex viri optimi & ſummi Theologi fratris ſui Meinardi conſuetudine.

Eodem anno, quo Doctor juris renunciatus eſt Leoverdiam ſe contulit operam forenſem tractaturus, receptuſque in numerum, ac matriculæ Advocatorum in curia Leoverdienſi inſertus eſt pridie Kalendas Majas. Incredibile dictu eſt, quàm brevi tempore illic viri virtus & doctrina inclaruerit. Sub idem tempus de ſocia vitæ ſibi adſciſcenda cogitavit, ac matrimonio ſibi junxit honeſtiſſimam matronam Mariam Schotanam ſobrinam ſuam, reverendi viri Johannis Schotani Eccleſiæ Goutumanæ Paſtoris fideliſſimi filiam, ex qua duos ſuſcepit filios, quorum alter in ipſo propemodum vitæ limine extinctus eſt, alter, nomen avi paterni referens Henricus Schotanus utriuſque juris Doctor, adhuc ſuperſtes; quem & hîc præſentem, mœſtum quidem meritò, ſed incolumem intuemur: mater in ſecundo puerperio vitam cum morte commutavit. Magna ingenia non diu deliteſcere aut omnino ſine honore ac mercede eſſe poſſunt. Vix bien-

biennium causas in foro oraverat noster Schotanus, cùm ecce Curatores Frisiorum Academiæ, moti famâ viri, Franequeram eum evocant ad publicam juris civilis professionem, quam ille anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto suscepit, & egregiè ornavit: eoque munere summo cum honore & magno auditorum concursu functus ibidem est annos ferme undecim: ita ejus, cujus discipulus ante fuerat, Timæi Fabri factus est successor. Interea temporis & alia munia, eaque honorifica eodem in loco obivit, Consiliarii trium territoriorum quas Gretanias vocant, Senioris Ecclesiæ, custodis & inspectoris rerum pupillarium, Syndicatum civitatis, ad quem à Magistratu vocatus fuit anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo. Consulatum tumultu civium exorto sibi ultrò oblatum cordatè ac modestè recusavit. Tertiò post susceptam professionem anno septimo Kalendas Octobris ad secundas transiit nuptias, ductâ uxore lectissimâ virgine Anna Catharina Johannis Althusii jurisconsulti eximii, reipublicæ Embdanæ Syndici, & Margaretæ Naurathiæ filia: Quantus vir Johannes Althusius fuerit, quantaque rerum forensium peritia instructus, ostendunt doctissimi illius libri Dicæologicæ Herbornæ editi anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, ubi & ipse jus civile olim publicè professus fuit. Ex Anna Catharina mœstissima nunc vidua suscepit Schotanus noster unicam filiam Margaretam nomine, & formâ corporis & animi bonis juxta commendabilem, quæ hac in urbe ex vita evo-

cata, atque immatura ac luctuosa parentibus morte vix annum duodevicesimum egressa abrepta est sexto Idus Majas anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto. Jam civitas Ultrajectensis illustre Gymnasium erexerat: cumque eò non contemnenda studiosorum multitudo confluxisset, propter diram contagionem, quâ tunc temporis nostra hæc civitas præ cæteris harum regionum infecta erat, Academiam moliri cœperat, & qui eam surgentem fulcirent, conquirere. Schotanum nostrum, cujus jam fama & existimatio apud omnes mirum in modum magna & illustris erat, Franequera accersendum Primores illius civitatis censuerunt. Invitatur grandibus promissis, oblata gemina professione, primaria juris, altera Mathesios cum luculento stipendio. Ille re benè expensâ, exploratoque super eâ amicorum judicio, tandem de consilio illorum conditionem oblatam amplexus est. Ita noster relicta Franequera & solo patrio Ultrajectum commigravit anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto. Cujus adventus quàm acceptus & charus Senatui populoque Trajectino fuerit vel ex eo conjicere licet, quòd advenienti statim sceptrum Academiæ delatum sit, & per quinquennium, id est, toto eo tempore, quo ibi vixit, Rectoratus Academiæ ei prorogatus. Per idem tempus ex rebus humanis excesserat vir omni prædicatione dignus, sed omni major, Petrus Cunæus, ingens Academiæ nostræ lumen & ordinis juridici decus. Visum est ex bono publico atque ex Academiæ hujus dignitate fore, si

acceptum ex tanti viri obitu damnum repararet Schotanus noſter. Miſſi Ultrajectum Procerum Academiæ noſtræ nomine viri ampliſſimi Clemens Baerſdorpius Conſul,& Johannes Wevelichovius urbis hujus Syndicus, qui illum ad profeſſionem juris in hac Academiâ capeſſendam ſplendidis & magnificis conditionibus invitarent, oblatis etiam honorificis titulis perpetui hujus Academiæ Conſiliárii, & collegii practici Præſidis, denique prærogativis omnibus, quæ Petro Cunæo tributæ fuerant, cujus in locum ſuccederet. Ægrè & tantùm non invitus eorum deſiderio annuit: annuit tamen tandem poſt multam deliberationem: cæterum non alia re magis, ut ipſe mihi aſſeveravit, motus, quam ſplendore & vetuſtate hujus Academiæ, cujus laudes longe lateque ſupra cæteras vicinarum regionum diffuſæ eſſent ac diſſeminatæ. Nimirum celebriori adhuc in loco hujus viri virtus eniteſcere debuit, & vel hoc ipſum non potuit non ei honorificum ac glorioſum eſſe, quod Petro Cunæo dignus ſucceſſor habitus fuit. Quantum deſiderium ſui apud populum Ultrajectinum diſcedens reliquerit, & quam ægre illinc dimiſſus ſit, cognoſci poteſt cùm ex variorum epiſtolis, tùm ex eleganti epigrammate, in quo illa tam tot magnorum virorum monimentis celebrata Anna Maria à Schurman ſub perſonâ Academiæ Ultrajectenſis,parantem abitum his affatur verſibus:

Qui dederas noſtris naſcentibus aurea rebus
Sæcula, cur tenebras nunc dare, Phœbe, paras?

Ne sis stella cadens proprio carissima cœlo,
Occidat ut prima ne mihi luce dies.
Parce tuæ soboli, teneris te detinet ulnis:
Sit noster remoræ, sit tuus instar amor.

Quin & abeuntem non pauci secuti sunt, interque eos, quem honoris causa nomino, Adrianus Pauw Bennebrouckii Dominus, nuper in ordinem senatorium allectus, filius nobilissimi & amplissimi viri Domini de Heemstede, Syndici hujus Provinciæ & Academiæ quondam Curatoris. Annus jam agitur duodecimus, ex quo noster ille ordinariam juris professionem in hac Academia suscepit, & sub nomine primarii jurisprudentiæ Professoris Codicem Justininianæum fœliciter interpretatus est. Quo fere tempore cum variis morbis conflictatus fuit; ac inprimis renum doloribus dirus ille & immitis tot eruditarum animarum carnifex calculus eum divexavit. Id malum ex sedentaria vita contractum, dum passus non est alimenta per somnum quietemque æqualiter digeri, augmentum ex tempore magis magisque accepit, plane ut jam vires dejectæ essent, & vix ulla pars corporis officium perageret. Ille tamen ut erat immoderati adversus se imperii, cum rem inimicissimam corpori suo faceret, & in laboribus perduraret, vetari nullo modo potuit. Tandem omnia in pejus ire cœperunt, & vis morbi ingravescens paulatim eum attrivit, donec tandem plenus spei ac fidei, totusque non humi, sed in Deo, Dominoque suo Jesu Christo defixus exspiravit. Non puto quenquam vestrûm esse, Auditores, qui non intelli-

gat,

gat, quantum incommodi ad omnes & ſingulos ex obitu tanti viri pervenerit. Nemo quiſquam mortem illius æquo animo ferre poteſt. Luget mœſtiſſima conjux, luget filius, mœrent conſanguinei & affines, illa marito, iſte patre ſuo, hi amico, omnes optimis ejus conſiliis orbati. Luget Eccleſia, quæ Senioris ſui prompto conſilio & fideli opera in poſterùm carebit. In primis verò affli&atur hæc Academia, quæ Profeſſorem tanta doctrina tantiſque ingenii dotibus præditum amiſit. Jacet jam ille, jacebitque exiguo contectus pulvere, & qui cura atque animi ſtudio profutura ſæculo agitabat, paucorum jam pedum continetur tumulo. Cæterùm vivit vivetque in animis noſtris, atque in ore famaque hujus Academiæ & populorum omnium ſemper erit, apud quos modò nomen aliquod decuſque eruditionis eſt. Memoriam habuit firmam ac tenacem: ſed acri in primis judicio fuit, quod cum reliqui Profeſſores ordinis juridici crebro experti ſunt, præſertim in cauſis eorum, qui rerum ſuarum incerti conſilium ſibi à facultate noſtra expetiverunt; tum univerſus Senatus Academicus, & eo maximè tempore, quo Rectoris Magnifici munere apud nos functus eſt: ad quem honorem ſuffragiis Profeſſorum, judicio Conſulum hujus urbis, atque auctoritate illuſtriſſimi & invictiſſimi Principis Auriaci Frederici Henrici celſæ memoriæ evectus eſt anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto. In eo, inquam, munere prudentiam ejus, fidem, ac rerum agendarum peritiam omnes & Collegæ ejus, &

viri

viri amplissimi Consules & Senatores hujus urbis admirati sunt. Nullus fere casus ei inopinatus aut incognitus erat. Omnes omninò salebras perrumpebat, noctem diei interdum conjungens, planè ut ad hæc natus factusque videretur. Quamobrem nemini mirum videri debet, quòd toties & singulis fere hebdomadis consiliarius à Trajectensibus in Curia provinciali adscitus fuit. Nec tamen quamvis multis variisque aliarum rerum occupationibus per totam vitam distentus fuerit, curam rei familiaris unquam deseruit, sed quod boni & prudentis patrisfamilias est, res suas industria atque honestis artibus semper non modò tutatus est, verùm etiam augere impensè studuit. In primis autem id operam dedit, atque in hoc unicè incubuit, ut jurisprudentiæ nostræ suus honor, ornamenta ac præsidia omnia sarta tecta custodirentur, identidem apud me conquerens de irrumpente perverso quorundam more, qui jurisprudentiam nunc addiscerent, tanquam sordidum aliquod opificium, sapientiæ, literarum & antiquitatis studia penitus aspernantes; à quibus tamen nisi disciplina juris præsidium caperet, eam regno suo expelli, omnique honore atque apparatu spoliari necesse esset. Cæterum, ut erat judicii acerrimi & rectissimi, ita ea potissimùm sequebatur, quæ hominum vitæ & rebus gerendis accommodata sunt, de tricis illis & nugis literariis, argutisque, sed inutilibus, & ad ostentationem tantùm comparatis quæstionibus, quibus præposteri quidam Doctores patientiam auditorum absque ullo fructu fatigare

gare ſolent, minimè ſolicitus. Vos ipſi quotquot hîc adeſtis, Schotani noſtri diſcipuli & auditores, teſtes hujus rei eſtis locupletiſſimi. Teſtes ſunt tot facundiſſimi cauſarum forenſium patroni & advocati: tot nobiliſſimi & ampliſſimi viri, qui jam aut rempublicam curæ ſuæ commiſſam regunt, aut civibus ſuis jus dicunt redduntque, non modò apud Friſios, Batavos, cæteroſque Belgas noſtros, verùm etiam apud exteros, Danos, Suecos, Gallos, Germanos, & quotquot alii quondam ex illius ore pependerunt. Evulgaverat, cùm adhuc Trajecti ageret, Examen juridicum, quo juris fundamenta juxta ſeriem Pandectarum compendiosè explicantur. Hunc librum poſtea à ſe recognitum atque altera fere parte locupletatum denuo edidit anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto. Ex quo profectò uno volumine facilè quivis æſtimare poteſt, quàm ſubactum atque excultum ingenium habuerit: quippe quo opere, ſi quid ego judicare poſſum, nihil eſt conſummatius, nihil quod cum eo in iſto genere comparari poſſit aut rerum pondere, aut ubertate utilitatis. Edidit & alia nonnulla, quæ nunc omitto, & præterea expectamus propediem Collegium ejus controverſiarum juris, quod ipſe dudum prælo commiſiſſe & jam ab operis ad finem fere perductum eſſe dicitur. Æquitatis amantiſſimus ſemper & obſervantiſſimus fuit. Quæcunque legibus aut Romanorum aut patriis cauta ſunt, ea ad benignitatem & facilitatem ſemper referebat, liteſque & controverſias tollere potiùs & compone-

re

re exemplo magni illius Juriſconſulti Servii Sulpitii, malebat, quàm novas litium cauſas excitare aut conſultoribus & clientibus ſuggerere. Nihil illo fuit humilius, nihil humanius. Pietatem cæteraſque virtutes Chriſtianas ei à teneris mater, mox & adoleſcenti frater Meinardus inſtillaverat, quem ob id unicè ſemper dilexit; & tanquam patrem veneratus eſt. Afflictiones ſuas & dolores nephriticos patienter tulit, certus omnes ærumnas, omnia adverſa non forte fortuna, ſed Dei omnipotentis manu, paternaque ejus providentia propter peccata nobis immitti, non iraſcentis nobis, nec perdere cogitantis, ſed gratia ſua nos proſequentis, ut ad veram pœnitentiam & fidem nos in hac vita quaſi manu ducens, tandem à peccato, cui quamdiu hîc vivimus, obnoxii ſumus, & ab omni calamitate, corporaliter pariter & ſpiritualiter liberet. Cùm punimur à Domino, dicebat cum Apoſtolo, erudimur, ne cum mundo condemnemur. Item illud; Qui diligunt Deum, iis omnia cedunt in bonum, nec quicquam eos ſeparare poteſt à dilectione Dei, quæ eſt in Jeſu Chriſto Domino noſtro, non ignis, non gladius, non fames, non cruciatus, non mors, non ulla creatura, non aliud quodcunque. Teſtantur amici ejus & chariſſima conjux aſſiduum eum in precibus totâ hac æſtate fuiſſe, & quacunque opportunitate precandi oblatâ dixiſſe, oremus, quæſo oremus. Dicit Dominus invoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & tu glorificabis nomen meum. Percunctanti viduæ fratris ſui Meinardi, quo medico potiſſimùm

mum uteretur, respondit omnium optimo, in quo spem fiduciamque meam tutò collocare possum, Dei scilicet misericordia. Biduo fere ante mortem cum nocte intempesta summis doloribus cruciaretur, preces animo contrito, sed voce clarâ & manibus in cœlum sublatis fundens, oravit Deum patrem suum cœlestem, mortis ac vitæ dominum, ut sibi largiretur spiritum tolerantiæ & constantiæ in hac visitatione & die tribulationis suæ: ut ex ista paterna castigatione verè agnosceret se peccatis suis pœnas illas attraxisse, & multò meruisse graviora: ut vivificam hanc consolationem in corde suo firmiter retineret, visitationem istam non iræ cœlestis argumentum esse, sed paternæ erga se Dei benevolentiæ, ducemque optimam & fidelissimam ad veram resipiscentiam: ut Spiritûs sancti robore confirmaretur in vera fide & stabili fiducia misericordiæ Dei, quam in filio suo Jesu Christo, Domino & servatore nostro nobis exhibuit, & similia: ac tandem biduo aut triduo post placide pieque inter ipsas preces in Domino quievit, præsentibus & in genua devolutis mæstissima conjuge, charissimo affine suo D. Samuele Althusio, paucisque aliis amicis, & duobus juris Doctoribus, discipulis quondam & auditoribus suis, Johanne Hanedoucio, & Johanne Thyssenio, quos etiam hîc coram adesse cernimus. Cum istam sortem Schotani nostri cogito, propemodum dolet mihi, quòd me antecesserit. Sed non patitur aut animi mei candor, aut illius amor, ut quicquam ei invideam. Ille, qui antea

multam operam in rerum ſacrarum contemplatione & perveſtigatione poſuerat, nunc cupiditatem ſuam explere poteſt, atque ea inſpicere ac diſcere, quæ nos cuncti ignoramus. Ille nunc liberatus ab omnibus malis vero lumine ſe implet, noſtraſque curas & molitiones ex alto deſpicit. Illius nunc cœlo recepta mens, unde in hæc loca deſcenderat, immortali gaudio fruitur, nihil earum rerum deſiderans, quæ apud nos in pretio ſunt, & quæ nobis in hoc luto atque in hac imperfectâ vitâ verſantibus ſæpè convertuntur in perniciem. Quotieſcunque recordabor ſymboli illius, quod in albis ſtudioſorum adſcribere ſolitus fuit, *Ora, labora, ſpera,* dicam & exclamabo, Speravit in te Domine, non confundetur in æternum. Laboravit, imò noctem cum die conjunxit, & cum per totam noctem ſubinde lucubraſſet, diurna tamen munia non intermiſit. Oravit aſſiduè, & tu eum exaudiviſti Deus. Tibi ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum.

F I N I S.



